HISTORIA
BELLI
COSACCO-POLONICI

AVTHORE

SAMVELE GRONDSKI DE GRONDI

CONSCRIPTA ANNO MDCLXXVI.

EX MANVSCRIPTIS MONIMENTIS

HISTORIÆ HVNGARICÆ

IN LVCEM PROTVLIT

CAROLVS KOPPI, IN REGIA SCIENTIARVM VNIVERSITATE

HISTOR. VNIVERS. PROF. PESTINI,

MDCCLXXXIX.



LITTERIS FRANCISCI AVGVSTINI PATZKO.

EXCELLENTISSIMO AC ILLUSTRISSIMO

S. R. I. COMITI SAMUELI TELEKI

HUNGARIÆ, ET TRANSILVANIÆ PROCANCELLARIO,

CAROLUS KOPPI SAL. ET FELICITATEM.

Cum ego eorum quatuor annorum memoriam repeto, quibus in Transsilvania, regione a natura ad omnia mortalium commoda facta, a fatis autem in celeberrimum quarumvis Historiarum theatrum destinata domicilium fixissem, non ego hæc arbitria Superiorum interpretatus fui, sed luculentum quodpiam præmium studiis dehinc meis promerendum. Versabar in Claudiopolitano veteri Musarum domicilio institutor Historiæ Universalis, non voluptate solum maxima, qua majorem in Patria mea vix senseram, sed & fructu in meipsum redundante uberrimo. Quæ enim ipsius regionis nobiliorum incolarum est indoles exteros, remotos etiam, comitate, veraque humanitate devinciendi, nemo est, si Transsilvaniam intelligit, etsi obfirmato animo Cosmopolita esse præferat, qui non ejus regioni civis esse præoptet. Multi præclari Viri ante oculos mihi adhuc versantur; Tuam autem imaginem inprimis mihi videor videre; illam in Curia gravitatem, in congressu affabilitatem, temporis quod reip. supererat, ne quid defueris litteris, œconomiam, supellectilis Tuæ librariæ longe selectissimæ communem pœne usum, tum illos certæ virtutis indices, ad plausus publicos, seu Fortunæ illecebras æquanimitatem, aut non fallentia studia, quibus Principem, civesque simul demereri consue-

visti,

visti, similiaque mihi & adhuc obversantur, & communi cum aliis, qui quo loco collocatus sis, intelligunt, sermone oblectant. Est aliud etiam, quod de Transsilvanis cum dignitate commemoratur: tanta eos in vetustatis Patriæ analecta, manuque exarata monumenta, aut notandas quasvis historias, factaque diligentia ferri, quantam alibi vix reperias. Multi ibi simul tempora sua signare, posteritatique transmittere studuerunt; id præstitere Principes, Proceres, aut Patresfamilias. Ipse Grondszki, exterus licet, cum in Transsilvania exul ageret, in contubernio Wolffgangi, & Joannis Bethleniorum, tum Joannis Kemény, Ducis ejus exercitus, apud quem ipse Legatus versabatur, postea Principis, eam scribere historiam induxit animum, cujus pars non parva fuit. Hunc ego ex aliis manuscriptis in lucem produco, Tuoque, Vir Illustris, talium cimeliarchæ, nomini inscribo. Non dubito, boni, id muneris, a Te consultum iri: quod hunc tam illud commendet, quia vices quaspias notabiliores Transsilvaniæ descripserit, quam, quod hoc Bellum Cosacco-Polonicum ceteris Polonis, Russisque Scriptoribus plenius, luculentiusque consignarit. Illud Te, Vir Illustris, unum impensius deprecor, ut hoc obstricti animi mei quale quale testimonium esse existimes. Vale. Scribebam Kal. Jun. MDCCLXXXIX. Pestini.

Præfatio Editoris.

Cum non ultima funestarum Polonici regni epocharum fuerit illa, qua Joannes Casimirus a morte Fratris sui Vladislai IV. rex pluribus uno tempore hostibus circumfusus e Polonia in Silesiam confugerat, ipsumque regnum, brevi licet tempore, nihilominus inter Carolum X. Suecum, & Georgium II. Rákóczium Transsilvaniæ Principem divisum jam esset, de hac plenior, & omnes vices complexa, digna lectione Historia est. Bellum hoc Cosacco-Polonicum a parvæ Russiæ populis Cosaccis originem cœpit; quos cum alii complures Scriptores, tum vel inprimis *I. B. Scherer* spissis satis duobus voluminibus Parisiis 1788. gallico idiomate editis lucubrare adnisus fuit, parum curiosus ordinis, factorumque delectus, sæpeque res magnas paucis, parvas ad fastidium usque persecutus, dignum operæ judicium, & sententiam tulit ab eruditis Göttinganis. (a) Laudabiliorem paulo operam præstitit Cl. *Carolus Hammerdorferus* Jenensis Professor eo compendio, quod de Ukrajnis, & Saporogibus Cosaccis ex ipsis Schererii annalibus concinnavit; (b) sed tamen excerpta solum in ordinem reducta complectitur; majores autem Polonorum cum Cosaccis revolutiones, ut modum cœpti operis retineret, non-

(a) Göttingische Anzeigen von gelehrten Sachen. = = 169. Stück den 23. Oktob. 1788.

(b) Geschichte der Ukrainischen, und Saporogischen Kosaken, nebst einigen Nachrichten von der Verfassung und den Sitten derselben = = von Karl Hammerdörfer öffentl. Lehrer auf der Universität zu Jena. = Leipzig 1789. in 8.

nonnisi ad summam attigit. Antiquior utroque est Joannes Dionysius Lobzynszki ord. S. Pauli primi Eremitæ, qui *Epitomen de rebus ab anno* 1648. *usque* 1649. *contra Zaporovianos Kozakos in Polonia*, *&* *Lithvania gestis* fecit, & Comiti Ladislao Cháki Judici curiæ Regiæ in Hungaria inscripsit, anno 1653. Viennæ Austriæ in forma quarti typis editam; imo & proxime sequentium factorum analecta quæpiam addidit: sed vel ipsi hi anni docent ad Suecico Rákotzianas turbas eum non pertigisse, ut quas ne alii quidem Scriptores Polonici Historiæ suæ bene nexas habeant. Hinc pretium arcessitur Grondszkio harum turbarum non spectatori solum, sed & actori. Nobilis hic Polonus, unus ex iis, quos perniciosa, ipsi Poloniæ, consuetudo, Dissidentes vocat, reformatæ religionis, peracto studiorum cursu in aula versabatur; mox militiæ muniis annis aliquot gestis, hæredium amplum satis, patre fatis erepto adiit, & uxorem duxit. Versabatur inter suos ea prudentia, illa indolis, ingeniique præstantia, ut ejus consilia publice expeterentur. Anno 1655. Stanislai Luborvitzki ad Cosaccos regis nomine dimissi socium egit Legationis. Mox ipse pro Rege Sueciæ Carolo Legationem suscepit ad Chmielnicium Cosaccorum Hetmanum (ita illi summum Magistratum vocare solent) omnium qui adhuc id muneris gesserant, celeberrimum. Inde, ne quibus suorum molestiis objiceretur, flexit iter per Transsilvaniam, & apud Rákótzium, gratus hospes, adhæsit. Multum pondederis ad Fœdus cum Sueco ineundum adjecit, etsi, quod Rákótzi Polonos hostiliter invaserit, nunquam probaverit. Expeditioni Rakótzianæ, quam tertio Libro complexus est, interfuit. Tandem, cum Danorum Rex Fridericus III. eo loco positus, ex quo progressus Suecorum, cum aliis obsequitur, impedire potest, ad Polonos accedens, Suecum ad propria tuenda revocavit. Jam & Russorum Autocrator Alexius spe successionis in Polonia illectus minabatur. Imperator quoque Romanus auxilia Casimiro miserat; sed inprimis Tatari ingentibus copiis sese Poloniæ infundentes partes Casimiri tuebantur. Tum vero assurgere Poloni, Suecicos, Rákótzianosque asseclas ferro, & flammis persequi, atque bonis publicatis complurimos, in his Grondszkium, & Vengerszkium Viros sui temporis cultissimos solum vertere coegerunt. Venere hi in Transsilvaniam, diesque vitæ reliquos in maximorum Virorum qua contubernio, qua amicitia transegerunt. Gratulabantur horum consortione complures, & ipsi docti Transsilvani. Atque hinc crevit quorumdam, sed infundata, opinatio, quasi Grondszki fuerit, qui Historiam Volffgangi Bethlen, aut adjuverit, aut in ordinem redegerit, vel stylo exornaverit; demus aliqua horum præstitisse Grondszkium; non ideo Bethlen merita carebit laude. Sed vero stylus Bethlenii a Grondszkiano toto cœlo diversus est, ut legentibus utrumque patet. Quin imo certum habeo Grondszkium ingenio, & diligentia Bethlenii

lenii delectatum, quo majorem historiæ hungaricæ sibi notitiam compararet, eclogas ex eo, seu excerpta fecisse. Exstat certe manuscriptum Viennæ in Folio nunc per Bibliopegum Veiss venui expositum ex Bibliotheca Consilarii Aulici Hitner, cujus hic est titulus: *Elenchus præcipuorum inter Hungariam, & Transsilvaniam, ac occasione illarum in vicinis regnis gestorum ex Historia spectabilis, ac magnifici Dni. Dni. Volffgangi de Bethlen excerptus opera, & labore Samuelis de Grendi Grendzey.* Erronee descriptum authoris nomen apograchum esse ostendit. Duplex in eo elenchus est: prior brevior Principum Transsilvaniæ; alter gestorum vastus sane, & amplus, qui a Mohátsiensi Clade incipit, & in abrupta narratione turbarum Rákótziano-Polonicarum desinit, credo, quia singulare de hoc opus, quod nos edimus, aut jam conscripserat, aut certe scripturus erat. Plura de Grondszkio in ipso hoc libro reperias. Editioni nostræ, cum plana sit Historia, suffecere paucæ, præter marginales, notulæ; indicem popularium meorum gratia, qui Patriæ præcipue vetusta morum monumenta unde unde studiose conquirunt, addidi. Atque hæc præstitisse suffecerit.

CELSISSIMO ATQVE ILLVSTRISSIMO

P R I N C I P I,

AC DOMINO DOMINO

MICHAELI APAFI,

DEI GRATIA TRANSILVANIÆ PRINCIPI, PARTIVM REGNI HVNGARIÆ DOMINO, ET SICVLORVM COMITI, &c.

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.

Celsissime, atque Illustrissime Princeps,

ac' Domine, Domine Clementissime!

Dabit veniam T. C. pro insita animi Magnitudine, &, quæ hujus soboles est, Clementia, quod vilis iste ingenii mei foetus in terra T. C. natus, ad T. C. terræ hujus Dominum properet, & nuspiam, nisi in gremio T. C. requiescere gestiat. Nec ideo metuit ille ambitionis aut temeritatis damnari. Nam quanquam Vos, o Magni Principes, fortunæ Vestræ fastigium, in quo estis positi, procul a nostra mediocritate submoverit, Vobis tamen pulchrum, & gloriosum est, quando ex alto illo acumine rerum, per summam animi moderationem, quodam modo descenditis, & Vos etiam ad tenuium hominum vota demitti-

tis, Clementiæque Vestræ fores quibusvis, eas debita cum summissione pulsantibus, reseratis. Qua in re Divinitatis æmula est virtus Vestra. Quid enim Deo sublimius? quid augustum magis, & a vilitate mortalium remotum? & tamen nemo tam abjectus est in terris, & in profundo infimæ sortis cœno se se volutans, cui non ad Majestatem ejus pateat aditus, quemque ille, si puro adeatur corde, non in suæ gratiæ ulnas dignetur recipere. Hæc est summa in Deo summo (ut sic loquar) humanitas: quæ virtus uti facit Deum ad homines proxime accedere, ita vicissim homines, qui hominibus imperant, plus quam homines, ac Deo simillimos efficit. Aliæ virtutes, ac divinitus in Vos congesta munera, sacrum quendam horrorem ac venerationem erga Vos animis hominum infundunt; & amorem. Ille absterret & arcet magis, hæc allicit, & adamantino quodam vinculo cunctos Vobis devincit. Hanc ego divinam virtutem jam pridem in Te, Celsissime Domine, cum admiratione adoro; cujus specimen tam luculentum extare voluit T. C. præ aliis in me, quem ad exemplum Titi Vespasiani laudatissimi

Cæsaris, nunquam a conspectu suo tristem discedere passa est, ut, si se in laudes T. C. laxatis habenis effunderet Oratio mea, nullam incurreret ignobilis adulationis suspicionem, sed infra merita T. C. substitisse, merito diceretur. Quocirca, infantiæ meæ conscius, mare istud laudum T. C. non ingrediar: hoc duntaxat cum Romano scriptore profiteor, & dum vita suppetit profitebor: me cum nec dicendo gratus esse queam, in maximis T. C. beneficiis, hac unica affici injuria, quod mihi & vivendum & moriendum sit ingrato. Nunc quoque partum hunc ad pedes T. C. deponendo, non tam gratiam pro acceptis beneficiis exhibeo, quam novum posco beneficium, ut eum læto hilarique vultu excipere Tua dignetur Clementia. Equidem non ita mihi suffenus sum, neque ita fœtum hunc simiæ instar depereo, ut eum oculis T. C. dignum existimem; cum non modo careat exquisitis verborum calamistris, & eruditi ac sublimis styli lenocinio, sed ne Latini quidem sermonis puritate se ubique commendet. Mihi enim non in umbris Scholarum, sed in Castrensi pulvere educato, neutiquam elegantias pu-

ræ Latinitatis consectari vacavit. Non prorsus tamen injucundam fore spero lectionem hujus Historiæ, quæ variam & in multis novam rerum gestarum faciem oculis T. C. subjiciet, Videbit enim hic T. C. proferri tum belli Cosacci veras causas occasionesque, tum gentis Cosaccorum plerisque exterorum ignoratam originem. Videbit, qui factum, ut se bello huic Moscorum primo, mox & Svecorum arma immiscuerint: ac tandem quo pacto in eandem belli aleam Princeps Rakocius pertractus sit. Quæ cuncta non nescio jam dudum indicio famæ per Orbem terrarum ubique sparsa; etiam vulgo nota compertaque esse; sed nulli auctori minus tuto, quam famæ creditur, quæ plerumque est

> *Plus ficti, pravique tenax, quam nuntia veri*

& non solum veris amat admiscere falsa, sed etiam summa tantum solet rerum stringere fastigia, ad interiorem veri nucleum non pertingere. At cum mihi rerum istarum, quarum pars aliqua fui, exactior præ cæteris contigerit notitia, certiora, ac pleniora ex me avidus sciendi Lector,

quam ex disseminatis rumoribus discet. Si proinde harum rerum liquida ac verissima narratio voluptate aliqua T. C. perfuderit, liceat ei, obsecro, sub umbra alarum T. C. adversus omnes Theonini dentis morsus secure delitescere. Audivisse me aliquando memini, quod avicula quædam, ut accipitris se insequentis ungues evitaret, subito in Principis cujusdam manus, sinumque illapsa, atque ab eo servata fuerit. Perinde & hæc opella mea a maligna obtrectatorum rabie sibi metuens se in sinum T. C. conjicit, nusquam securior, quam sub T. C. patrocinio futura. Sic T. C. quoque tegat clypeo Divinæ Providentiæ suæ Ter Maximus & Ter Optimus mundi Moderator, & pacatum T. C. regimen, hucusque per tria amplius lustra prospero cursu continuatum, in eodem felicitatis flore per annos innumeros conservet, ut quas aliis Regibus ac Principibus concussus per bella Orbis, multusque hominum sanguis promiscue fusus imponit laureas, iisdem alma quies & servata inter vicinos armorum strepitus Reipublicæ tranquillitas, caput T. C. devinciat; utque aliquando cœlestis & marcescere

DEDICATIO.

nescia immortalis gloriæ corona circum tempora T. C. serpat in æternum. Hæc ex intimo pectore profundit vota

T. C.

maximus e minimis cultor, & obsequentissimus servus

Samuel de Grondi Grondzki.

LE-

Lectori benevolo Salutem!

Quisquis es, Lector, si tibi volupe est, rerum aliquot retro annis in vicina Polonia bello gestarum, veram genuinamque haurire notitiam, hocce Opusculum lege. Sed æquitatem Tuam requiro. Et, si adeo præpostere curiosus es, ut neglectis rebus, styli puritatem aut elegantiam veneris; vel adeo morosus, ut omnia ad Prisciani regulas exigas, & religioni tibi sit quicquam in Oratione, quod a puritate Ciceroniana abludat, recipere; res tuas tibi habe, & meum scriptum potius ne attingito, quam vel me subito mordicus arripias, vel rigida censura illud depreties. Quicunque autem solius genuinæ rerum istarum notitiæ avidus es, meus es Lector; Tuæ lectioni scriptum hoc permitto, Tibi ejus rationem reddo: Compertum habeo, plurimos reperiri in vicinis Regno Poloniæ nationibus excellentes atque prudentes Viros, qui mirari non desinunt, qui fieri potuerit, ut populus Cosaccorum in remotioribus orbis partibus, aut ignotus, aut contemptus, & pro plebis amurca habitus, contra inclytum, vastum, armis potens, bellis & victoriis clarum Regnum Poloniæ non solum arma sumere ausus fuerit, sed, quod majus est, jugum Dominorum suorum excusserit, & partam libertatem, jam prope triginta annis tutatus fuerit? Itaque non dubitavi ista, utpote mihi optime cognita, quibusque ipse interfui, litteris mandare. Attexui insuper brevem aliorum bellorum relationem, quibus Poloniam Cosaccica involvit rebellio. Habes itaque hic, Lector, in prima Operis parte expositam originem & antiquum Cosaccorum statum, causas belli suscepti, armorum socios, denique belli progressus atque incrementa. Secunda Parte traditur, quomodo Cosacci desti-

ſtituti a Tataris, Moſchos atque Svecos in ſuas traxerint partes. Tertia denique Parte exponitur, quomodo Coſacci (diffiſi Societati tum Moſchorum, qui a Polonis in ſuas trahebantur partes, & jam nutare atque in auxiliis ſibi ferendis tergiverſari cœperant, tum Suecorum, a quibus cum amplius in ſuppetias non vocarentur, ſe ſpretum & deſertum iri conjiciebant) Principem Tranſilvaniæ Georgium Rakocium ſibi aſſociaverint. Styli nævos agnoſco, & hac ratione tibi excuſo: Primum ſcito, me poſtquam in Adoleſcentia, Litterarum ſtudia ſimul cum nucibus reliqui, nunquam ea reſalutaſſe. Nam me primum juris Patrii ſtudium excepit, mox Aula, dehinc Militia, poſt Conjugium, & rei familiaris cura, denique motus & bella iſta in Patria, & in iis Ilias curarum & adverſorum, & exinde in peregrino ſolo difficillima vitæ ratio, litteris & libris prohibuerunt; adeo, ut nec animam nec vires, nec tempus quidquam emaculatius moliri ſiverint. Deinde, perſuaſum habeas, maluiſſe me tum multorum deſideriis, cum uſui, in prodenda & publici juris facienda hac narratione velificari; quam fugiendo acriores cenſuras vel in perpetuum, vel diutius iſta premere. Ad hæc, addiderunt mihi animum, nonnullorum, qui Eruditi videri voluerunt, tum Hiſtorica, tum alterius commatis ſcripta, non minus a puritate & elegantia Latini Sermonis aliena, quæ ſatis æquis acceptantur & leguntur animis. Poſtremo: de vocibus barbaris, aut peregrinis, uti ſunt: *Partia*, *Paſſus*, *Salva guardia*, *Commenda*, *Quartirium* &c. ſcito, me eas data opera uſurpaſſe, & dediſſe uſui & intellectui eorum, qui noſtro ſæculo bellica & militaria, qua opere, qua ſermone, tractant negotia, & huic aſſueti ſunt nomenclaturæ. His perpenſis Lector benevole, ſtudium de te bene merendi meum aequi bonique conſules Vale.

HI-

HISTORIÆ BELLI COSACCO - POLONICI

PARS PRIMA.

Hiſtoriam Belli *Coſacco - Polonici* ſcripturus, operæ pretium facturum me reor, ſi leviter ſaltem originem Coſaccorum, peregrinis præcipue minus cognitam, declaravero. Sciendum itaque eſt, illos eſſe reliquias Ruſſorum, ab antiquis Græcis (quorum Religionem nunc quoque mordicus retinent) oriundorum, qui antiquitus inhabitando tractum illum incipiendo a Fluvio *Dun* (qui Latinis eſt *Tanais*) promanante ex Moſchovia, quaſi ab oriente, exonerante autem ſeſe in Nigrum mare, penes Civitatem Turcicam dictam Ozorv procedendo in longitudinem, verſus minorem Poloniam. In latitudinem vero ab eadem Moſco-

ſcovia inferius, usque ad Provinciam Tataricam dictam *Perekop* (quaſi dicatur foſſa transverſim facta, nomen autem ſortita eſt hoc, ideo, quia incipiendo ab Alveo fluvii Borysthenis, deducitur recto tramite magna foſſa usque ad Tanaim &c. trans foſſam autem agger altiſſimus, & murus toto tractu fortiſſimus, unam habens portam loco intermedio: hinc dicuntur Tatari *Perekopienſes*) ſuperius autem incipiendo a Lithvania usque ad Fluvium *Dnieſtrum*, qui Latinis eſt *Tyras*, qui originem ducens ſupra Civitatem Sambor, exonerat ſe ſe ſimiliter in Nigrum mare, ſed ex altera parte, videlicet infra Albam Græcam, alias Neſter Fejérvár vel Bialogrod, & diſlimitat Valachiam & Podoliam, efficiebant magnum Ducatum Ruſſiæ; ita ut non immerito inter Titulos Regum, tertium obtineat locum, conſtans ſex Palatinatibus, videlicet Podolienſi, Bratslavienſi, Kijovienſi, Czernichovienſi, Wolhinienſi, & denique Ruſſiæ, cujus Metropolis eſt Leopolis. Attingebat autem Ruſſica ſive Græca Religio usque Lublinum; cujus rei documentum eſt, quod non ſolum in recenſitis Palatinatibus ad præſens etiam ſint Templa, & Epiſcopi ritus Græci; ſed inſuper & Lublini habuerunt jam hoc noſtro ævo Templum eo loco, ubi eſt Forum dictum *Slomiany Rynek*; verum aliquot ſupra XXX. annis ademptum eſt a Ruſſis, & applicatum ad uſus Eccleſiæ Romano-Catholi-

cæ,

cæ, nihil proficientibus ſolennibus hominum Græcæ Religionis proteſtationibus, inter quos eo tempore eminens Nobilis quidam *Baſilius Lytynski* dum & ipſe conſtitutus fuiſſet inter Aſſeſſores Tabulæ Judiciorum Generalium Regni Tribunalitiorum, Lublini tunc celebratorum (vulgo Deputati vocantur) cum nulla ratione conatibus Catholicorum reſiſtere potuiſſet, tandem in publico conſeſſu dictorum Judiciorum, in hæc verba peroravit: „Equidem video tan-
„ topere invaluiſſe conatus Dominorum Ca-
„ tholicorum in occupando hocce Templo,
„ quod unicum in hac Civitate Anteceſſores
„ noſtri Religionis Græcæ erexerunt, atque in
„ pacifica ejusdem poſſeſſione per longiſſima
„ temporum intervalla extiterunt, adeo ut me
„ jam ſexageſimum annum agente nulla de ipſo
„ controverſia inſtituta fuerit; ut, ſiquidem ſin-
„ gulis annis ex univerſa Ruſſia, omnibus, quo-
„ rum actiones ex variis Palatinatibus per
„ viam appellationis in hocce ultimæ inſtantiæ
„ ſubſellio decidendæ ſint, comparere hic ne-
„ ceſſe ſit, habeant & illi modum ſacra Deo
„ debita ſecundum conſcientiam ſuam celebran-
„ di. Video inquam conatus adverſæ partis
„ in tantum invaluiſſe, ut nulla habita ratione
„ Privilegiorum antiquorum, prout per præ-
„ deceſſores ſereniſſimos Reges, ita & per mo-
„ dernum feliciter regnantem (regnavit autem
„ *Vladislaus IV.*) juramento ſolenni confirma-

to-

„ torum, Templum hoc vi summa nobis eri-
„ piatur; cui malo cum mederi aliter nequeam,
„ solennem instituo protestationem, Religioni
„ Græcæ magnam vim & injuriam esse illatam,
„ quam mihi quidem nec animus, nec modus
„ est ulciscendi. Præsagit tamen animus mul-
„ tos ex hoc consessu supervicturos ad ea tem-
„ pora, quibus Deus, qui est omnis injustitiæ
„ & perjurii vindex acerrimus, excitabit gen-
„ tem, pro hoc uno centena Templa occupa-
„ turam." Pro qua protestatione confestim est de Ordine suo exturbatus, & nisi ipsi subvenissent cæteri Dissidentes a Religione Catholica, & aliqui sanguine juncti, capite detruncatus fuisset. Sed hoc intra parenthesin dictum esto. Jam redeo ad Propositum. In Ducatu illo Russiæ antiquitus extiterunt magni Principes, a quorum nominibus prout aliæ Civitates, quæ nunc quoque a Russis inhabitantur, ita hæ quoque, quæ nunc possidentur defacto a Romano-Catholicis, sortitæ erant nomina sua, eo quod ab illis extructæ fuissent; utpote, a Duce Leone, *Leopolis*; a Præmislo *Præmislia*; a Jaroslo *Jaroslavia*; a Wlodimiro *Wlodimiria*, & in quibus etiam nunc Templa Ruthenorum exstant. Qui quidem Ducatus Russiæ sensim in potestatem Polonorum devenit, partim devictis quibusdam Principibus Provinciarum illarum hæredibus, partim per connubia Regno incorporatis, partim denique per defectionem Princi-pum a Religione Græca, plebe tamen eandem mordicus hucusque retinente. Qui autem ex hac Russorum gente, ad arma tractanda magis idonei reperiebantur, neque Dominorum Terrestrium jugum jobbagyonale subire voluerunt, illi ad remotiora loca, tunc temporis adhuc inhabitata, se se recipiebant, & libertatem Juris sui asserendo, novas subinde ducebant colonias, atque ad discrimen cœterorum Russorum Dominis terrestribus subjectorum, nuncupati sunt *Cosacci*. Pol. *Cozacy*, quod Latine denotat milites levioris armaturæ. Et re vera reperiebantur inter illos strenuissimi milites, ad bella subeunda aptissimi: inediæ, vigiliarum, injuriæ cœli seu tempestatum perferendarum patientissimi, simul & laboriosissimi in conficiendis fossis, vallis, & agendis cuniculis peritissimi, peditatu tamen magis quam equitatu pollentes, inprimis autem in defensione Fortalitiorum, nec minus in oppugnatione penes aggeres militares & carraginem, (in quibus conficiendis sunt celerrimi & exercitatissimi) laudabiles, sclopetis optimis instructi, præterea conficiendi pulveris pyrii ferme singuli gnari. Illi a parte Tatarorum & Turcarum fuerunt antemurale Russorum, ac per consequens potius Poloniæ, (prout hoc ex Historiis constat) sed sæpe levissima de causa maximas excitabant turbas, & plurima damna incolis vicinorum locorum, præsertim Nobilibus, inserebant; ni-

hilominus tamen armis Polonorum ſemper reprimebantur. Quoties autem ſuperabantur, toties cum ſuis territoriis ſubjugabantur, expeditioribus nihilominus ad remotiora ac tutiora loca ſe ſe ſubtrahentibus & novas colonias rurſus ducentibus. Delere namque illos totaliter, nunquam eſt viſum conſultum Reipublicæ, ſed potius conſervare easdem ad excipiendum primum impetum Tatarorum placuit.

Coſacci Dunenſes. Prædictorum autem *Coſaccorum* antiquiſſimi, ſimul & celeberrimi, belloque exercitatiſſimi, ac plane jurati & nunquam reconciliabiles Ethnicorum hoſtes in remotiſſimis partibus degentes, vocantur *Dunenſes*. Sic dicti a fluvio, qui Ruthenice dicitur *Dun*, Latine autem *Tanais*. Hi nullum habent Fortalitium, ſed incertis ſedibus morantur, in campis patentiſſimis. Bona antem & familiam conſervant in quibusdam inſulis parvis, quæ reperiuntur, tum inter Tanaim, tum & inter alias paludes, quæ multæ dantur inter Tanaim & Boryſthenem, quarum famoſiſſima eſt *Mæotis*. Jumenta alunt plurima varii generis, & exinde, prout etiam ex piſcatione (piſces ſale conditos & arefactos magnis plauſtris in Poloniam transmittendo) nec minus ex mellificio ac venatione præcipue vulpecularum, quarum maxima copia, & quidem pulcherrimarum ibi reperitur, & denique per irruptionem navibus ad id maxime idoneis, in partes Turcarum, plurimas opes ſibi com-

comparant. Hi etenim tam navali quam Tereſtri prælio plurimum valent, & ſæpe numero demeando navibus usque ad *Tauricam Cherſoneſum*, id eſt, ubi terminatur *Pontus Euxinus*, & denique continenti progrediendo in remotiores Turcarum partes, plurima illis damna inferunt; prout anno circiter 1640. cœperant nobiliſſimam Turcarum civitatem dictam *Ozoru*, illamque diu validiſſimo præſidio tenuerunt, nec poterant illos Turcæ exturbare, niſi uſi fuiſſent oppugnatione longioris temporis; quam tandem Coſacci ad inſtantiam ſummi ritus Græci Pontificis, quem illi Patriarcham Hieroſolymitarum apellant, acceptis magnis muneribus, quaſi ab illo ipſo Patriarcha ſibi oblatis, qui ſub Turcis ſedem habens, & ſecuritati Græcorum proſpiciens, dandum hoc publico cenſuit, reſtituerant. Sed quia interjectis poſtea aliquot annis idem Patriarcha, neſcitur qua de cauſa a Turcis fuit interfectus, inimicitia Coſaccorum contra Turcas tanto infeſtior recruduit, ideoque aſſociarunt ſibi Tataros *Calmucienſes*, *Aſtracanienſes*, & *Caſanenſes*, quibus cum conjuncti ſemper de Tataris Crimenſibus & Turcis Siliſtrienſibus victoriam & ſpolia ampla reportant. Alii autem Coſacci, qui jam relictis paludibus inter Tanaim & Boryſthenem ſitis, propius reſpectu Ruſſiæ, trans Boryſthenem tamen in partibus ejusdem inferioribus, manent, vocantur *Zaporovienſes*, *Zaporovienſes.*

 ideo

ideo sic dicti, quod habitent circa insulam nuncupatam *Zaporoze*, quod si interpreteris, designat locum trans limina situm: quia non multo superius ultra dictam insulam, aliquot in locis ab una ripa Borysthenis usque ad alteram, transversim sunt petræ grandes, quasi de industria aliquis ad retinendam aquam immitteret trabes ingentes, quæ omnino repræsentant limina; quod tum Polonice, tum Russice significat *Progi*, seu *Porohy*. In eadem insula est etiam civitas Cosaccorum fortissima, ejusdem nominis, scilicet *Zaporoze*. Illius itaque loci inhabitatores vocantur *Zaporoscii*, quasi translimina degentes, qui in arte militari per omnia sunt pares *Dunensibus*.

Superatis istis liminibus, iterum magno intervallo, (Borysthenes enim a Tanai inferius, eo videlicet loco, ubi hic quidem per paludem Mœotidem exonerat se in Mare Nigrum, sive Pontum Euxinum, illius autem alveus abluit *Perekop*, distant ab invicem itinere equestri duodecim dierum; sed quanto superius ascenditur, tanto magis sunt dissiti) sunt campi deserti, tandem variæ Civitates & pagi populosissimi, versus *Canjoro* & *Kyoviam* usque ad *Czernichoviam*. Qui itaque circa hæc loca, juxta eandem fluvii ripam degunt, vocantur *Zadnieprscy*; eo quod respectu Ukrajnæ habitent, trans Borysthenem, prioribus non inferiores.

Cosacci Zadnieprscii.

Post

Postmodum, qui inhabitant tractum illum cis Borysthenem, versus Palatinatum *Bratslaviensem* & *Podoliensem*, incipiendo inferius a Civitate *Rasskoro*, sita ad ripam fluvii Dniestri, Latine autem *Tyræ*, intra alium fluvium, dictum Russice *Boh*, Latine autem *Hippanis*, & rursus circa *Ladyryn*, *Hubnic*, *Nimiroro*, *Winnica*, *Chroastoro*, *Pawotz*, *Mastoroftaro*, *Machoroka*, *Trilely*, *Humany*, *Kalnik*, *Manasterzyscze*, *Czehryn*, *Sambotorv*, *Wasilkorv* &c. usque ad Albam Russiam, (cujus pars attingit Borysthenem, pars autem extendit se se ferme ad Moscoviam) & ad *Polesie*, quod ab Alba Russia procedendo, attingit *Wolhiniam*, & altera parte usque ipsam Lithvaniam vocantur *Ukrainscii*: sic dicti ideo, quod degant in iis Provinciis, quæ sunt sitæ, quasi ad marginem Regni Poloniæ, respectu aliorum regnorum, utpote Valachiæ, quam dislimitat *Tyras*, & camporum desertorum versus ditiones Tataricas. Margo enim Polonice *Kray*: inde *Ukrajna*, quasi Provincia ad fines Regni posita, antiquitus quidem inhabitata, sed postmodum multis Civitatibus ac pagis aucta. Inter hos Cosaccos, jam plures, quam trans Borysthenem reperiuntur equites, qui, Tataris Ditiones suas invadentibus mascule resistebant, & si forsan illis minus vigilantibus per loca sive campos desertos in partes Podoliæ & Russiæ irruptionem fecissent, redeuntes solebant egre-

Ukrainscii.

 gie

gie retundere, & prædam eripere. Quia vero isti omnes recensiti Cosacci, ceu aliquis liber populus, aut miles voluntarius, non semper jussa Regis exequi voluerunt, propterea tempore *Stephani Bathorei* Regis Poloniæ, ex consilio ejusdem, (qui postquam cognovisset, quam multa adhuc in partibus Ukrajnæ reperiantur inhabitata loca, & quam populosa sit gens illa Russorum, in territoriis Magnatum degentium, suasit, ut ad formam militiæ Hungaricæ versus confinia Turcica habitantis, qui *Haydones* dicuntur, Domini terrestres subditorum suorum filiis, qui complures apud eundem Patrem reperiebantur, darent facultatem uni illorum, exeundi ex possessione sua, ad servitia Regni subeunda; quod si etiam in bonis Domini sui manserit, dummodo arma tractet, & quoties jussum fuerit a supremo Generali Exercituum Regni immunitas ei ab omnibus servitiis Domini sui, præsertim ab agrestibus laboribus concedatur) novum *Cosaccorum* genus est ad inventum, nimirum *Rejestrorvi Kozacy*, hoc est, in computum seu regestrum recepti, & Regimini Generalis Exercituum Regni subjecti. Computus autem illorum non debebat excedere numerum sex millium; ad quos conscribendos de novo, & post collustrandos, designabatur Notarius Campestris dictus, a dicto Generali. Quod equidem consilium dicti Regis, initio videbatur sa-

Kozacy Rejestrorvi.

saluberrimum Reipublicæ; at brevi post compertum est summe nocivum. Etenim opulentissimorum Colonorum filii, quin imo ipsi etiam antiqui Patres familias, postquam sibi majores comparassent opes, nec rogata a Domino suo licentia, convasatis rebus suis conferebant se inter Cosaccos, unde jam reduci, renitentibus *Cosaccis Regestratis*, vel ab illis ad remotiores Cosaccos profugientibus licentiosis, nulla ratione poterant. Cui malo volens mederi Respublica, sanxit Legem, ut Notarius Campi, qui fuit ex præcipuis Nobilibus, & quidem juratus Regno, singulis annis instituat collustrationem Cosaccorum, ut, si compertum fuerit illos excedere numerum sex millium, relictis in Regestro, ac servitio Regni antiquioribus, jam antea computu contentis, cæteri ad servitia Dominorum terrestrium, etiam vi redigantur. Sed habuerunt illi in promptu ad id evitandum, varia remedia: alii enim donariis corrumpebant Notarium, alii dum imminebat collustratio Cosaccorum, conferebant se interea ad alia loca; complures autem profugos insciis Dominis suis, colonos Dominorum terrestrium protegebant ipsi quoque Cosacci, alios appellando famulos suos, alios armentorum pastores, alios apum custodes, sine quibus militiam se exercere nequaquam posse ajebant.

Inconvenientia varia ex occasione Regestratorum Cosaccorum.

Cum autem animadvertissent aliqui in illis partibus degentes Magnates, quod vilissimis

Cosaccis tam frivolæ suffragarentur excusationes in non extradendis profugis colonis aliorum, designato aliquo loco deserto, ad duo aut amplius milliaria se se extendente, novam Coloniam municipalem (quas *Sloboda* vocabant) dicebant; & quia illis proprii, qui eam inhabitarent defuerunt homines, curarunt proclamari in variis locis, ut ad se confluerent undique, & cujuscunque conditionis homines, promittendo iisdem per annos XV. aut XX. omnimodam immunitatem: post exactos autem immunitatis annos, se nunquam eos ad aggrestes operas adacturos, sed contentos fore levi aliquo censu, & decima ex bobus, ovibus, apibus; præterea assecurabant se eosdem nunquam extradituros, etiamsi illos Domini terrestres repetere vellent. Quibus rebus efficiebatur, ut ex remotissimis etiam Regni partibus, si aliquis vel crimen aliquod patrasset, vel comparatis sibi divitiis, pertæsus servitiorum, antiquo more Domino suo præstandorum, illuc se contulerit, tunc nactus est certissimum asylum. Et sic in interioribus Regni partibus, rura, pagi, oppida desolabantur, loca autem antiquitus desolata incredibili glebæ fertilitate ad se invitantia, complebantur, cum maximo antiquorum possessorum damno. Qua de re licet in Comitiis Regni solennes instituebantur querelæ, & novæ super eo, ut brevi processu restituantur profugi, condebantur Constitutiones, tamen illi Magnates adhibitis variis remediis, nihil hæc curabant. Nam & difficile erat cognoscere, quonam se receperit profugus, & si etiam aliquis id cognovisset, repetere illos res erat plena periculi, propter insolentiam inhabitatorum, & ideo aliquis nec accedere *Slobodas* repetendi gratia est ausus.

Incommoda occasione Regestratorum Cosaccorum

Præterea, ex rusticorum Filiis ad servitia sua Magnates aulica & opulentiores Nobiles deligebant juvenes, efficiebantque ex illis sub bonis Officialibus Dragonerios, Pedites, alteriusque ordinis famulos, ita ut egentiorum Nobilium Filii famulari cupientes, in despectum apud Magnates venerint, nec locum apud illos obtinere potuerint. Et his rebus effectum est, ut numerus Cosaccorum in dies magis ac magis cresceret. Illi namque servitores degustata semel libertatis dulcedine, levissima de causa Dominos suos derelinquebant, & ad antiquiores & remotiores Cosaccos se se conferebant, in locum autem horum alii succedebant. Hæc de origine, statu, multiplicatione & habitaculis Cosaccorum dicta sufficiant.

Causæ & occasiones belli Cosacci

Accedo jam ad exponendas occasiones & causas, atque media belli per Cosaccos contra Polonos suscepti, persuasum habens, quod quamquam reperiantur quam plurimi, qui in magnam rapiuntur admirationem, dum audiunt gentem barbaram & ignobilem, & (ut putant) meros rusticos, Regno nobilissimo, eo in tempore

pore florentiſſimo, militibus veteranis exercitatiſſimis, ſimul & armis inſtructiſſimis, nec minus Ducibus exercituum peritiſſimis ac fortiſſimis celeberrimo, tam multa intuliſſe damna, tam multos egregios Heroes, aperto Marte de medio viventium ſuſtuliſſe, tum multa millia hominum in captivitatem Ethnicorum deduxiſſe, libertati ſe ſe aſſeruiſſe, aliquot Palatinatus (omnibus inde Nobilibus partim ejectis, partim trucitatis) occupaſſe, eosdemque pro ſe hucusque retinere: non amplius miraturum, quisquis horum omnium cognoverit cauſas atque incrementa, quæ multa per multos annos conglomerabantur in unum, & tandem effecerunt acervum magnnm, qui in hunc usque diem conſumi non poteſt. Quorum malorum quis finis futurus, tantum id in abſtruſo ſolius Cœli ac Terræ Rectoris repoſitum eſt conſilio. Cauſæ autem illæ fuerunt: partim ſolos Coſaccos, partim univerſam plebem, partim Religionem Græcam, partim denique Ductorem ipſorum Coſaccorum, quem illi *Hetmanum* apellant, ad arma concitantes, quibus omnibus acceſſit aliquod extraordinarium, inexpectatum, & a ſcopo, ad quem collimabatur, valde alienum; quod tamen ſuper omnia maxima incrementa attulit rebellioni Coſaccorum, de quibus ſeorſive dicturus incipio a Coſaccis.

Quan-

Quandoquidem manifeſtum hoc erat univerſo Reg. Poloniæ, Coſaccos quieſcere nunquam poſſe, ſed ex innata inſolentia, quam generabat opum affluentia, augebat major in dies multitudo, nec minus rei militaris, de die in diem melior experientia, multas & frequentes excitare turbas, & vel in partes Turcicas contra pacta ſolitos eſſe irrumpere, vel contra Reg. Poloniæ minima de cauſa inſurgere, prout talia aliquoties fecerant ſuperioribus annis, præcipue ſub Duce *Nalewayko* ad *Mediwede Lozy*, numeroſiſſimo in loco munitiſſimo congregato Exercitu, qui undique cinctus erat paludibus impenetrabilibus; eam vero partem, qua acceſſus patebat, triplici aggere, interjectis foſſis, aggeribus autem ſuperpoſitis frequentibus tormentis, & adjunctis plurimis ſclopetariis. Sed eo in tempore, officio Supremi Generalis Exercitus Regni perfunctus *Zamoyski*, intra tres horas diſpendio unius cohortis haſtatorum, finem huic malo & ſeditioni impoſuit, & rebelles ad deditionem coegit. Quod quia inſolito more factum (utut facta digreſſione a propoſito) referre me non piget, exiſtimantem, quod nec legere quenquam pœnitebit. Poſtquam dictus *Zamoyski*, opinione citius, cum majori quam ſperaſſent Coſacci Exercitu in Ukrajnam appuliſſet, Coſacci non integrum ſibi fore rati aperto marte in patenti decertare campo, receperunt ſe ad illud propugnaculum

lum omnibus neceſſariis inſtructiſſimum, ſpe ea freti, Exercitum Polonicum ob inopiam commeatus diu in illo loco commorari non poſſe, de expugnatione vero deſperando debere obſidionem illam ſolvere, interim ſibi aliter proſpecturos. Tum *Zamoyſki* volens more ſolito, perluſtrare ſitum loci, ut informaretur, qua arte ſibi in oppugnatione illorum utendum eſſet, conſtituto ob oculos Coſaccorum exercitu, illoque in egregium ordinem redacto, attamen loco ita diſſito, ne tormentis peti poſſit, cum paucis ſibi adjunctis, proceſſit verſus fortalitium hoſtium incognite, ſimulando ſe aliquem gregarium militem: quem dum eminus conſpicati fuiſſent Coſacci data ſecuritatis fide, accerſiverunt ad ſe, ut poſſint ad invicem colloqui: depoſito omni timore *Zamoyſki*, acceſſit ita prope, ut penitus omnem apparatum, probeque cognoviſſet, inſtitutiſque ultro citroque colloquiis, receſſit, cognito vero eo illos omnem ſalutem ſuam ponere in aggeribus frequentibus tormentis communitis, communicato cum Officialibus Conſilio, quid faciendum ſit, atque compluribus in eam ſententiam euntibus, ut lenta obſidione illos fatiget, & ad obſequium redigat; ille vero prævidens, quod ſi ibi longam moram trahere velit, præter alia diſcrimina cunctationem ſubſequentia, magna pars Exercitus ex ipſis morbis, qui diuturna caſtra comitari ſolent, diſſiparetur; quapropter po-

tius

tius abjecta cunctatione fortiter agendum eſſe cenſuit, atque uno & altero ſecum ſentiente, hæc verba effatus: *Nunquam periculum ſine periculo vincitur*; accerſivit unum gravioris armaturæ Equitum Magiſtrum dictum *Jordan*, cujus animi fortitudinem & leoninam audaciam in aliis occaſionibus habuit perſpectam, juſſitque, ut cum cohorte ſua CC. haſtis conſtante accepto ſigno irruat in illos aggeres. His dictis & exercitu tanquam ad pugnam præparato, atque heroica oratione animato, jubet percuti tympana, tubis claſſicis canere, & lente univerſum Exercitum producere. Quibus rebus Coſacci viſis, ex omnibus locis concurrunt cum ſclopetis, tormentorum Magiſtri aſtant, quisque ſuo tormento intentus, expectando ut aliquanto propius accedant Poloni. Dum jam ita prope acceſſiſſent, ut poſſint peti tormentis, jubet *Zamoyſki Jordanum* ut irruat, qui dicto citius proſiliit (interim aliquantulum cohibuit Exercitum *Zamoyſki*) & in momento Coſaccis arbitrantibus univerſum Exercitum aſſultum facturum, eamque ob rem, omnibus explodere feſtinantibus, cum omnibus commilitonibus ſuis ita deletus eſt præfatus *Jordan*, ut ne ſella quidem integra, tanto minus homo aut equus vivus repertus fuerit, ſed omnia fragmenta per aerem disjecta fuere. Quo caſu nihil turbatus *Zamoyſki*, confeſtim ſubmittit quingentos Dragonerios, qui citato cur-

cur-

cursu advolantes ad munitiones Cosaccorum, atque de equis desilientes, frequenti glande sclopetaria emissa, illos qui iterum tormenta implere voluerunt, disjecerunt. Dragonerios 500 subsequuti sunt hastati (ex quibus paucissimi desiderati: nam tam subito implere sclopos nequivere Cosacci) trans fossas cœperunt deturbare hostes. Tandem cum universo robore militiæ advolat *Zamoyski*: quibus rebus subito evenientibus nimium consternati Cosacci, mox cœperunt pacem petere: quæ tali conditione concessa, ut principales seditionum protinus in manus *Zamoyscii* traderentur, quod etiam præstiterunt; quibus receptis, cœteros armis exutos egredi jussit de Fortalitio, & decapitatis aliquot præcipuis, ipsum Ducem *Nalewayko* deduxit ad Regem, qui postea solis vigiliis, quod ipsi non fuisset concessum dormire, enecatus est, reliquis pax concessa, recepto ab illis fidelitatis ac obedientiæ juramento. Quod non diu intactum ab illis servatum fuit: sæpius enim arripiebant contra Reg. arma; sed solertia Ducum & militum fortitudine semper reprimebantur: prout novissime factum rebellionem concitante *Sulima* circa Annum 1640. qui temeritatis suæ pœnas palo insutus solvit, & nonnulli capite plexi; universitati autem parsum, tum ob recordationem meritorum ipsorum, quod egregiam contra Imperatorem Turcarum *Osmanum*, fidelitatis & dexteritatis mili-

li-

litaris præstiterint operam, tum conservando eosdem ad alias similes pro Patria subeundas expeditiones.

Sed ut redeam unde sum digressus; videns Respublica Cosaccos esse turbulentissimum genus hominum, quo facilius illos in officio continere posset, ejusmodi pervicaciæ eorum frœna imponere placuit.

Renovato iterum in solenni forma præstito non Officialium solum, sed singulorum Cosaccorum, atque omnium Poparum sive Sacrificulorum eorundem juramento fidelitatis, constitutum est, ut nullos de medio sui haberent Officiales, præter solos Centuriones & Notarium Campestrem; quod officium a Regno commissum est (*Chmielnicio*, qui videbatur cœteris magis addictus Reipublicæ, (de cujus origine inferius referam) in locum autem Legionariorum, Castrorum Metatoris, Excubiarum Magistri, delecti sunt a Regno Commissarii, Nobiles Poloni, quorum officium erat in omnes actiones & intentiones Cosaccorum invigilare, ne vel contra Regem aliquid molirentur; vel contra Turcas aliquid attentarent, quo Pacta cum illis inita violari possent; omnes autem sub unum Regimen Supremi Generalis Exercituum Regni redacti erant. Ut autem tanto facilius arceri possent Cosacci ab excursione in Nigrum Mare contra Turcas, loco opportunissimo erexit Regnum Arcem *Kodak* munitissimam

Ima. Causa Rebellionis Cosacc.

2da Causa rebellionis

mam ad ripam Borysthenis sitam; ibique validum habuit præsidium, cujus officii erat intervertere excursiones Cosaccorum. Quæ res, valde male habuit Cosaccos, utpote illos, qui subterfugiendo labores œconomicos, non tam ex agris, quam ex præda, a Tataris continenti, a Turcis vero per aquam beneficio velocissimarum navium, per Tanaim & Borysthenem demissarum, acta & comparata, vivere erant assueti: nihilominus tamen jugum illud ferebant, quia mutare id nulla ratione poterant. Sed successu temporis adhuc magis animos illorum hoc exacerbabat, quod Domini Commissarii concessa sibi super eosdem abutebantur facultate, in illud etiam, quod Cosaccis licuit, se se ingerendo.

3tia. Nimirum, quando egressi in desertos campos venatum, ubi præter multitudinem aliorum animalium, utpote Urorum, Cervorum, Equorum Sylvestrium, &c. in maxima copia reperiebantur Vulpeculæ pulcherrimæ; tum in redeuntes invigilabant, & partem dari sibi, uti Officialibus rogarunt; partem sub prætextu alicujus delicti per illos commissi, ab iisdem extorquebant: partem precio quidem, sed multo inferiore, quam fas erat, comparabant.

4ta. Quando item regrediebantur ex piscatione (unde quisquis impiger est, plurimum emolumenti sibi comparare potest) præcipuam partem piscium sibi vendicabant. Nonnunquam vero quasi per inadvertentiam permittebant dicti Commissarii Cosaccis, sive navibus, sive terra, ultra præscriptos terminos excursiones in ditiones hostium facere, postea in redeuntes serio ac severe animadvertebant, utque mulctasse se eos fœderatis demonstrarent, ferme 5ta omnem prædam ab illis recipiebant, relicta aliqua vilissima & perexigua præ manibus illorum particula, ne totaliter animum desponderent.

6ta Centuriatum etiam non promerenti, sed plus pro eo offerenti conferre solebant, & iterum brevi, dummodo inveniretur, qui pro eo det aliquod munus, de eodem deturbabant. Denique liberam cerevisiæ & cremati coctionem & venditionem Cosaccis interdicebant, sed pro 7ma semetipsis proventum ex eo usurpabant, Cosaccis id vix ad domesticum usum concedendo.

Si aliquando inter compotandum contingebat illos rixas aut contentiones excitavisse, 8va tanto magis si ventum fuisset eo, ut pugnis concertarent, privatam & amicabilem reconciliationem non concedebant, sed pecuniaria pœna irremissibili illos mulctabant. Hucusque causæ solos Cosaccos ad sumenda arma impellentes.

Plebs vero Russorum in hunc modum ag- 9na gravabatur: Filios illorum Domini Terrestres vi adigebant ad servitia sua diversimoda, & nihilominus a parentibus more solito operas ac con-

10ma cenſus exigebant. Apud quos autem complu-
res reperiebantur Filii, tum relicto Patri uno,
cum quo officia Domino præſtari debita perage-
ret (proventum hunc Judæis intimantibus &
exigentibus) a reliquis omnibus uxoratis ſin-
gulis ſeptimanis exigebant unum numiſma, di-
ctum *Dudek*, conſtans 6. Nummis Hung.
11ma Præterea, ſi natus eſt infans, præſertim maſ-
culus, (quaſi vero ut Dominus Terreſtris ex
multiplicatione filiorum colonorum ſuorum ex-
hilalaretur, atque ad præcavendum, ne poſt-
quam adoleverit, in cœtum ac numerum Co-
ſaccorum, inſcio ac invito Domino confera-
tur) non prius baptizari concedebatur, donec
12ma ſimile numisma exolveret. Si etiam Filia in
matrimonium elocanda eſſet, non prius copu-
la jungi licuit, donec ſimiliter in rationem
Domini Terreſtris illum *Dudkum* perſolviſſet.
Quod quidem primo intuitu leve videbatur,
ſed poſtea aſtutia Judæorum in grave excreſce-
bat onus. Quando namque vel a Filio bapti-
zando, vel a Filia elocanda conſtitutum adfe-
rebat cenſum, Judæus prætendendo varias diffi-
cultates, non recipiebat ſtatim, ſed de indu-
ſtria inſtituta tergiverſatione, neceſſitatem im-
ponebat plus ſibi ſolvendi. Alia etiam onera
plebis in dies magis ac magis augebantur, quo-
rum pars maxima fuit, quod Judæis per mo-
dum Arendæ concedebantur, qui non ſolum
pro-

perventus cum magno illorum præjudicio, ſed
etiam Judicia ſuper illos uſurpabant.

Quod vero Religionem Græcam attinet,
non mediocriter hoc omnes afficiebat, quod, ſi
contigiſſet, (quod valde frequens fuit) Do-
minum Terreſtrem quocunque reſpectu am-
plecti Religionem Romanam, plebs quoque ad 13tia
eandem compellebatur, & ſi alicubi conſtantio-
res reperirentur, Templa illis vi adimebantur,
& ad uſus Romanæ Eccleſiæ convertebantur.
Ex quibusdam locis corpora Anteceſſorum ſuo- 14ta
rum, jam pridem in pulverem redacta, urnis
tamen ſtanneis contenta, ex ſepulchris educe-
bantur, & aliorſum deferebantur. Alibi vero 15ta
variis artibus Sacrificulos in id inducebant, ut
unione facta Religionis Græcæ cum Romana,
ſenſim ad eam pertraherent plebem, & quos
pacatis, & blandis mediis in id inducere non
potuerunt, vi efficere conati ſunt, partim ta-
les refractarios captivando, partim ab officio
removendo, alios autem in locum illorum, ha-
bitu quidem ſimili, ſed multum diſſona doctri-
na inducendo, atque omnem Jurisdictionem
inſtinctu Reverendorum Patrum Societatis Jeſu,
in illos uſurpando, quæ res mirum in modum
exagitabat animos omnium, & cum maximo
gemitu expectabant excutiendi jugi iſtius occa-
ſionem, quam poſtmodum oblatam non negle-
xerunt; ſed ambabus, ut ajunt, manibus illam
arripuerunt.

Initium illius extraordinarii mali, ex quo Cosaccis magnum incrementum accessit.

Incidit plane in eadem tempora, quod gloriosæ reminiscentiæ *Vladislaus IV.* Poloniæ Rex, rebus in Moscovia (aliquot ante annis) felicissime bello gestis, in magnas spes, futurorum etiam successuum erectus, communicatis consiliis cum ceteris vicinis Principibus Christianis, ab illisque adanimatus, & Dux Pii belli designatus, induxit in animum bellum inferre Turcis, Pactorum cum Polonis ante aliquot annos initorum fiducia fretis, nihil tale metuentibus; eoque fine inconsulta, atque inscia Republica, (paucis exceptis, intentioni suæ privatim suffragantibus, atque addictissimis) Anno 1646 in exteris Nationibus conscripsit Exercitum, circiter XXX. millibus constantem. Qui postquam ad fines Regni, utpote ad *Pomeraniam*, & majorem *Poloniam* appropinquare cœpisset, Comitia Reg. Generalia indixit, ad illaque per litteras ad singulos Palatinatus exaratas mitti proponit intetnuncios terrestres singulari prudentia præditos, qui de rebus magni momenti in futuris Comitiis tractandis, habeant plenariam facultatem concludendi. Interim per Regnum percrebuit fama aliquem Exercitum validum adventare: quæ res quanto minus sperata, tanto magis suspecta, tanto magis etiam perculit animos omnium. Mittuntur itaque Legati ad Comitia, quibus datur in commissis, ut ante omnia inquirant diligentissime, qualis, & quamobrem accedat Exercitus ille.

Ille. Etenim, siquidem Deus ex omnibus partibus pacem Patriæ concesserit, nequaquam necesse visum est, ut tam validus in viscera Regni inducatur Exercitus; cum sufficiens sit ad subitaneos casus domesticus miles, & augendi illum facilis sit in tam populoso Regno modus; simulque rogent submississime, quatenus illum Sua Majestas Regia exauctorari curet; quod si facere detrectaverit, manifestum fore talem militem ad oppressionem Reipublicæ venire. Quapropter demandarunt iisdem Legatis, ita rebus invigilarent, ne se cum illo Exercitu Rex conjungere possit. Interim decreta est universalis Regni insurrectio, quæ debebat esse paratissima, quam primum a suis ablegatis ceteri vocati fuissent. Concurritur itaque ad Comitia, multo majori, solito more, frequentia. Postquam eo ventum est, Rex proponit intentiones suas: *quod*, nimirum, *quandoquidem Deus florentissimum sibi comparaverit Regnum, se misericordia, ac compassione commoveri, super tot animabus sub Ethnicis gementibus; nec minus Loca sancta conculcari a Gentibus; eamque ob rem consilio, & auxilio exterorum Principum, has sibi comparasse copias militares, cum quibus se contra Turcas ire cum spe victoriæ velle, dummodo etiam Poloni non desint communi bono Christianitatis.*

Qua propositione exaudita collaudabant quidem Zelum Regium omnes, interim tamen, siquidem stent pacta cum Turcis solenni juramento firmata, quæ Pagani inviolata servant, tanto minus se illa violaturos, ne invanum assumpti Divini Nominis vindictam sibi, loco victoriæ accelerent. Ad hæc respondebatur, nomine Regis, *jam Sanctissimum Patrem* (Papam intellige) *hocce Juramentum relaxasse, & genti Polonicæ benedixisse.*

Disceptatio de bello Turcis inferendo

Rejiciebatur iterum ad hæc nomine Reipublicæ, nondum sibi memoria excidisse cladem, quam acceperat *Vladislaus* Rex Hungariæ violato per dispensationem Papæ cum *Amurathe* Turcarum Imperatore inito fœdere; cum enim, teste Historia, Imperator Turcarum vidisset suos in prælio non sine magna clade fugari, ad ulciscendam Christianorum perfidiam, vindicandumque Jus male rescissæ pacis, depromsit e sinu codicem, quo formula initi cum Hungaris fœderis continebatur, sublatisque in cœlum oculis, Christum in hunc modum compellavit: *Hæc sunt Jesu Christe fœdera, quæ Christiani tui mecum pepigerunt, per nomen tuum S. jurarunt, nunc autem perfide Deum suum abnegarunt: Nunc Christe, si Deus es, prout illi ajunt, & nos hallucinamur, tuas, measque injurias ulciscitor.* Vix hæc protulit, ecce repente mutata belli alea, Turcæ animos resumserunt, prælium redintegrarunt, & conjectis in

in fugam Hungaris, trucidatoque Rege *Vladislao*, memorabilem victoriam reportarunt. *Antonius Bonfinius lib.* 26. *de rebus Hung. decad.* 3. Quapropter, ut breviter referam, respondebant Internuncii: *Ethnicis Pacta conservantibus, se ea nulla ratione violaturos, neque se pacis adeo pertæsos, ut ultro bellum offensivum quærant, a quo prudentissimi Antecessores sui abstinendum semper censuerunt. Utique si a Turcis impeterentur, se arma defensiva libenter sumpturos, alias vero minime id facturos.* Instabant præterea quam maxime, *ut quemadmodum sua Majestas sine scitu Reipublicæ militem hunc conscripsit, ita nunc ad instantiam totius Regni, eundem dimittat, cum declaratione, se nequaquam ex hoc loco discessuros, donec reliqui fratres sui, a quibus sunt ablegati, veniant armati, & conjunctis viribus abeant contra istos non vocatos hospites.* Disputabatur super hoc negotio sat diu. Sed quia Rex nihil proficere potuit, omnibus, quorum officii erat, bellum tractare, & in quorum copiis, ac dexteritate salus Patriæ posita esse videbatur, reclamantibus, utpote *Stanislao Konecpolscio* celeberrimo ea ætate Generali Exercituum Regni, & aliis belli artibus, claris Senatoribus id impugnantibus, videlicet *Stanislao Lubomirscio* Palatino Cracoviensi, *Jacobo Sobiescio* Palatino Russiæ, & tota ferme Majori Polonia, atque Lithvania: Bellum autem potissimum urgentibus iis, qui

qui facundia linguæ præcellebant, & verbis phaleratis bellum se gesturos parabant, quorum antesignanus fuit *Georgius Ossolinski*, Cancellarius Regni. Cernens itaque Rex se imperiose propositum suum in finem nequaquam deducere posse, cœpit inclinare ad Consilia potioris partis Regni: promittebatque se dimissurum militem illum, dummodo ad tuendam dignitatem Suæ Majestatis, ad cujus nomen ex variis nationibus convolaverant, de aliquo Stipendio ipsi persolvendo, provideatur, ut in omnem casum, si quando Respublica externo milite indigeat, in conscribendo illo non frustretur: quod pro certo esset futurum, si nunc sine ulla contentatione a finibus Regni relegaretur. Qua in re declarando Respublica suam erga Regem facilitatem, aliquot mensium stipendium illis persolvit, & sic eos, eo, unde venerunt, dimisit.

Rex intentiones suas continuare satagit

Unde conceptum in animo suo maximum dolorem dissimulabat quidem Rex; interim intentiones suas promovere aliis mediis tacite non destitit; atque arrepta occasione mortis duorum Senatorum videlicet *Koniecpolscii*, & *Sobiescii*, brevi post illa comitia (non sine suspicione veneni) e vivis sublatorum, expedivit in Ukrajnam, *Ossolinscium* Cancellarium Regni, cum quodam sibi addictissimo *Stanislao Luborwicki*, Dapifero Ciethanoviensi, sub prætextu quasi revidendorum Fortalitiorum finitimorum, re

A. Dni. 1647.

au-

autem vera ad concitandos Cosaccos, quatenus illi Ditiones Turcarum incursionibus suis impetant, & eos ad similia contra Regnum facienda, concitent, ut hac ratione, non directe offensive, sed ex levibus quasi velitationibus, ac præludiis bellum attrahat, & defendendi sese necessitatem Polonis imponat; assecurans Cosaccos, se ideo nullam pœnam, & animadversionem a Supremis Officialibus extimescere debere (credebatur enim *Nicolaum Potocium*, qui in Generalem *Koniecpolscio* successerat, in partes Regis transiturum) atque in hunc usum vexillum, & clava militaris, a Rege collata sunt *Chmielnicio*, qui eadem occasione designatus est Supremus Dux, sive *Hetmanus* Cosaccorum. Respondebat *Chmielnicki*, rem esse magni momenti, Cosaccos sub arcta disciplina militari, hactenus cohibitos, ad talia subito subeunda minime paratos: itaque & deliberatione, & præparatione tum animorum Cosaccorum, tum armorum opus esse, atque ad id non exiguum spatium temporis requiri. Interim gratiis actis Suæ Majestati pro tanta gratia, & confidentia erga se, promisit se in quantum fieri possit, non defuturum mandatis, ac intentionibus Suæ Majestatis.

Responsum Chmielnicii Regi datum

(Hæc molimina ipse *Stanislaus Luborvicki* exposuit mihi, quando una cum illo fui in castris Cosaccorum ad Leopolim Anno 1655. & rursus *Joannes Wyhorvski* Cancellarius Cosac-

co-

corum plane eodem tempore retulit mihi, dum fuissem nomine Regis Sueciæ legatione perfunctus ad *Chmielnicium* Anno 1656.

Descriptio Chmielnicii

Jam hic de ipso *Chmielnicio* dicendum aliquid occurrit. Fuit ille Patre nobili Polono natus, qui patrato aliquo crimine, & propter illud pœna infamiæ secundum Jura Regni sententiatus, atque proscriptus, contulerat sese inter Cosaccos; & quia fuit vir militaris, ab iis grato animo susceptus, uxoremque ab iis obtinuit, ex qua postea hunc unicum suscepit filium, cui ad designationem ejus rei, sibi esse gratissimum, se talem nactum fuisse conditionem, atque præter opinionem suam ad confirmandam cum Cosaccis amicitiam, obtinuisse uxorem, & ex illa donatum sibi esse filium, indidit ei nomen *Bohdan*, quod ex Ruthenica lingua denotat, *Datus a Deo.* Illo demortuo, hic jam inter Cosaccos crevit, & est educatus, nec unquam antiqui Patrimonii recordatus, cum Matre sua mansit, atque postquam annos legitimæ ætatis attigisset, ad res militares animum applicuit, exigua litteratura tinctus; sed quocunque se contulit, rem egregie gessit, & fortunatus fuit: crescente ætate ad majora ex consensu Cosaccorum facile promotus fuisset, sed obstantibus Commissariis a Regno ordinatis, nullum officium consequi potuit. Interim tamen *Koniecpolski*, ille Generalis Exercituum Regni, siquidem sibi ejusdem *Chmielnicii* dexte-

teritas in rebus gerendis, atque promptitudo multum semper placuit, constituerat illum Notarium Exercitus Cosaccorum; quo officio tunc temporis altius inter ipsos non dabatur; atque ut illum sibi, & Regno magis addictum ad officia præstanda redderet, contulit ipsi gratiose amplam circumferentiam campi deserti cis Borysthenem, ut ibi ad usus suos proprios novam coloniam duceret. Ibi itaque inter paucos annos fundavit egregiam Civitatem *Sambotorv* dictam, uno milliari a *Czehryn*, antiqua Civitate Ukrajnensi, dissitam, (interim tamen referunt aliqui dixisse eundem *Koniecpolscium*, dum morti esset proximus, se multum pœnitere, quod sibi sit moriendum, relicto in vivis *Chmielnicio*, qui hactenus a pravis machinationibus cohibebatur partim beneficiis a se collatis (quia alias etiam in parata pecunia larga manu ipsi conferebat) partim authoritate sua: quod si Cosacci aliquando motus aliquos excitaverint, & ad ipsum summa rerum devenerit, vereri se, ne multum malorum patiatur ab illo Respublica, nunquam enim tanti ingenii, & animi vir prodiit inter Cosaccos, atque hic est.) Demortuo *Koniecpolscio*, *Chmielnicio*, prout superius exposui, intimabatur bellum contra Turcas. Interim dum hæc cœpta sunt, non multo post obitum Supremi Generalis interjecto tempore, Filius ejus unicus ad magnas spes natus *Alexander Koniecpolski*, siquidem hactenus ni-

nihil Heroicum ad comparandam nomini suo gloriam gesserat, eo quod quam primum ex exoticis rediisset oris, instante Patre, matrimonium contraxerat, ducta in Uxorem Virgine *Zamosciana*, volens declarare fortissimo Patre se quoque non imbellem esse procreatum, associatis sibi quorundam Amicorum claris militibus circiter IV. millia armatorum efficientibus, irruit in ditiones Tatarorum, ibique edita magna in Tataris strage, aliquot millia captivorum eliberavit, & multa armenta equorum, & ovium abegit. Quæ res initio placuit quidem, & laudabatur a multis, sed brevis edocuit dies, quam male id universo Regno cesserit: cui quidem expeditioni aliquo casu non interfuit *Chmielnitzki*. Quapropter postquam rebus in hunc modum gestis domum regressus fuisset *Alexander Koniecpolski*, quidam ex præcipuis Aulæ suæ familiaribus *Czablinski* dictus, qui & alias Domino suo erat multum commendatus, & in dicta expeditione aliquod specimen virtutis suæ edidit, arrepto eo prætextu, quod *Chmielnitzki* existens beneficiarius Domini Patris sui, secum tamen ire ad illam expeditionem neglexerit, cœpit Dominum *Koniecpolscium* sollicitare precibus suis, quatenus possessionem *Sambotorv*, quam *Chmielnitzki* propria industria super collato a Patre suo fundo construxerat, & in pacifico illius usu per aliquot annos extiterat, sibi conferat, promittendo Dominum suum multo plus utilitatis ex servitiis suis, quam unius ingrati Cosacci perceptúrum. Excusabat se quidem dictus *Koniecpolski*, ajens, sibi hoc maximo dedecori cessurum, si collationes Patris sui abrogare velit: interim *Czaplinscio* petitionem suam magis urgente, ac dicente, *Chmielnicium* id non bono jure a Domino Parente suo obtinuisse, & si aliquas impensas fecit pro instauratione istius oppidi, jam exinde decuplum fructum, ac emolumentum percepisse. Dum tamen nec hac ratione poterat impetrare, rogavit, hanc solummodo præstet sibi Dominus gratiam, ut permittat sibi illæsa gratia sua *Chmielnicium* invadere, & si poterit, bonis exuere: quod si ille bonis hoc modo privatus ad Dominum confugerit, & patrocinium ipsius imploraverit, respondeat Dominus: id non ex consensu suo factum; quod si pro injuria sibi illata reputat, agat cum illo via Juris, se vero de *Czaplinscio* cum sit Nobilis, non posse justitiam administrare, nec tamen illi ullo modo patrocinaturum: ipse viderit, quid egerit. Tandem ad importunas instantias annuit Dominus.

Irruptio Conetzpolscii in Tatariam

Czaplinski a Konietzpolscio Sambotorv petit, & impetrat

Congregat itaque sibi *Czablinski* tacite ad exequendum propositum suum, socios, *Chmielnicio* id non observante; & quamvis aliquam famam audivit, confluere aliquas copias militares, nunquam id quod *Czaplinski* in animo volvebat, in mentem ipsius veniebat, sed potius

Czaplinski Chmielnicio possessionem eripit, & hæc est 16. Causa rebellionis

Cosaccorum. tius sperabat Dominum *Koniecpolscium* iterum Tataros invasurum. Postquam tantum numerum sociorum comparasset sibi *Czaplinski*, ut cum spe obtinendi oppidi *Chmielnicium* invadere ausit, facit in illum ex improviso impetum; cui cum impar, utpote nihil adversi timens, inventus fuisset *Chmielnitzki*, clam sese subducit. Volens tamen aliqua ex parte in illa Civitate Jus suum conservare, reliquit in illa Uxorem suam, sperans illam securam, & tutam ibi permanere posse. Accurrit postea *Chmielnitzki* ad D. *Koniecpolscium*, exponit coram illo querelam contra *Czaplinscium*. Dominus prout erat a famulo suo edoctus ante hac, respondet, hæc non suo permissu, sed privato motu, ac temeritate fecisse *Czaplinscium* &c. Dum ex responso sibi a Domino dato nihil solatii reportasset *Chmielnitzki*, confugit ad Jurisconsultos, quærit ab illis consilium: Jubent sibi reproduci Inscriptionem defuncti D. *Koniecpolscii* super ista collatione factam. Ille repræsentat privatam tantum recognitionem, quæ secundum constitutiones Regni nullius erat valoris: requirebatur enim de Jure, inscriptio coram Actis Capitanealibus Castrensibus, vim perpetuitatis habentibus in eodem Palatinatu facienda (quod ille propter Simplicitatem Cosaccicam non observans, contentus erat privato scripto: plus confidens promisso Collatoris, quam firmissimis assecurationibus) ac proinde dum non habeat juridica fundamenta, negant se illi Processu ordinario posse subvenire. Suaserunt nihilominus ut coufugeret ad Comitia Regni Generalia, & ibi in facie Reipublicæ deponeret quærelam.

Chmielnitzki bonis exutus consilium petit a Procuratoribus

Chmielnicio Uxor adimitur: & hæc fuit 17. causa rebellionis

Interim antequam celebrata sunt Comitia, Dominus *Czaplinski*, quo melius confirmaret Jus suum, Uxorem etiam *Chmielnicii* in Oppido, & propria Curia *Sambotiensi* relictam (nescitur quonam modo, utrum vi, an aliquibus blanditiis) aufert. Hac nova injuria lacessitus *Chmielnitzki*, pergit ad Comitia, instituit querelam super possessione, & uxore sibi vi ablatis. Responsum datur; Quoad bona, sibi imputet; quod in tempore non obtinuerit in forma Juris *Inscriptionem*. Nunc vero Regnum propter unum hominem non faciet convulsionem Legum. Multa enim inconvenientia emergerent exinde, si mediante manuali recognitione bona hæreditaria liceret abalienare: propterea ad evitandos errores, ordinavit Regnum Acta authentica, constituit Juratos Officiales, formam Inscriptionum annotavit. Hæc, si voluit in Jure suo esse tutus, ac securus Dominus *Chmielnitzki*, debuit observare juxta illud: *Emptor debet esse cautus*; potius confugiat ad Dominum *Koniecpolscium*; ille habet plenariam facultatem, cum sit hæres bonorum, & Parentis confirmare recognitionem, & novam facere Inscriptionem (sed quia id jam tentaverat *Chmielnitzki* irri-

to conatu, non amplius voluit eo recurrere) Quod vero attinet allegationem de uxore; respondebat *Czaplinski*, illam non fuisse stabili connubio junctam uxorem *Chmielnicii*, sed tantum concubinam, & ideo facile ab illo relictam: nunc vero quia sibi complacuit, se ea pro legitima uxore, solenni copula juxta ritum Ecclesiæ Catholicæ acceptasse, atque retinere, quæ etiam & Religionem amplexa est Catholicam; quocirca illam sibi jam non licere dimittere: quod si etiam velit hoc facere, illam nequaquam velle amplius ad *Chmielnicium* redire; ceterum, omnes in chachinnos soluti, & loco alicujus consolationis, & in prætensionibus contentationis, ac salubris remedii adhibendi, potius ludibrio illum exceperunt dicentes: *Multæ sunt Domine Chmielnitzki elegantiores fæminæ illa desertrice: itaque quære tibi potius aliam, hanc vero relinque alteri, cui adhæsit.* Sic ille tristis recurrit ad Regem, informat de omnibus, prout fuit in re. Respondet Rex: *Video quidem secundum allegationes tuas te habere causam justam, sed non Juridicam. Itaque Jure mediante nullum potes consequi levamen. Sed & hoc video, Czaplinscium quoque non via Juris processisse; sed, prout refers, violenter occupasse: Quapropter vim vi repellere licet, tu etiam miles es. Si habet Czaplinski amicos, & socios, tu quoque potes tibi comparare.* His dictis illud negotium ante annum illi per Cancellarium Regni

Et hæc fuit 18. Causa

Consilium Regis datum Chmielnicio

Regni de invadendis Tataris demandatum, magis ei intimavit, promittens gratiam suam.

Regreditur *Chmielnitzki*, nulla in suis injuriis obtenta satisfactione; sed potius ab omnibus illusus. Interim statum Reipublicæ, quem antehac non cognoverat, fortalitia, urbes, Civitates obvias, quas ante non viderat, hac occasione perlustrat diligenter; postquam autem pervenit ad partes Russiæ, ibi jam confidentibus coram omnibus causam suam cum magna exaggeratione exponit; condolent omnes, simulque conqueruntur de injuriis variis, quas jam ferre se non posse ajunt, expectare se dicunt, ut aliquem Deus ad vindicandas illorum injurias excitet, promittentes se multo constantius, quam olim, & majori numero adhæsuros. Notat sibi talia *Chmielnitzki*, aliquibus, præsertim Popis suis, aperit intentionem suam, se velle non hanc tantum propriam, sed & communem, tum universæ Religionis, & Gentis Græcæ, tum Cosaccorum ulcisci injuriam: Cum autem sibi non sint tantæ vires, obtestatur, non desint sibi, sed saltem ex uno pago duos, aut tres juvenes expeditos ad se dirigant. Obtinet promissum.

Initia molimi-num Chmiel-nicii

Regreditur ad suos: ibi solennem querelam instituit, qualiter loco administrationis justitiæ ludibrio fuerit exceptus: refert, quid sibi consilii dederit Rex; simulque qualiter opprimi suos rursus intellexit, qualiter ad capien-

Progressus Chmielnicii in concitatione Cosacc. ad suscipien-

dum bellum

pienda arma a quibusdam fuerit animatus, idque cum promissione auxiliorum. Componant etiam alii varias injurias suas, & privatas, & communes, clamant se nequaquam amplius tolerare debere, arma esse arripienda; jugum excutiendum (quæ quidem consultatio inter paucos veteranos in remotioribus partibus est instituta) Verum maximam difficultatem in suis intentionibus animadvertunt, quod plane nulla tormenta apud se habeant; quia hæc ab illis fuerant sequestrata, & sub provisione Commissariorum variis in locis bene asservata: Cum ipsis vero sclopetis se nihil effecturos, imo ne congredi quidem posse cum Exercitu Polonico, qui semper secum tormenta circumferat. Præterea dicunt, milites Polonicos si unquam boni fuerunt, nunc esse exercitatissimos, armis optime instructos &c. Negotium itaque tam arduum propriis viribus aggredi, res plena periculi; unde autem petenda sint auxilia, res valde ambigua. Nam *Mosci* Polonorum sunt fœderati, ac proinde obstantibus Pactis, in partes nostras trahi nulla ratione poterunt. Tatari autem quoties a nobis cæsi? ideoque nobis infensi. Tum *Chmielnitzki* ex consilio eorum, quibus jam antehac intentio Regis de bello contra Turcas suscipiendo, melius cognita, & commendata fuit, exorsus Orationem ait: *Manifestum est nos solos contra tam potentes inimicos nostros, nihil posse, præsertim*

Consultatio Chmielnicii de mediis belli suscipiendi contra Polonos

tim cum in omnibus ferme fortalitiis præsint rebus Commissarii Poloni, qui in omnes actiones nostras sunt valde intenti: cohortes Polonicales, majori ex parte ad Hyberna inter nos sunt collocata. Quapropter, quam primum adverterint nostra molimina, statim nos oppriment: nec minus manifestum ad evitandum tale periculum auxiliis externis nos maxime indigere. Hæc autem non video unde petenda essent, nisi a Moscis aut Tataris. Nam cæteri vicini vel sunt impotentes, vel Polonis magis, quam nobis adhærentes. Neque etiam nobis est aliquod depositum, ut pro stipendio aliquem conducamus militem, & omnino serum esset tale subsidium. Optarem petere a Moscis, utpote ab illis, quos respectus Religionis in id conducere posset. Sed illi superioribus annis vires Polonorum experti, & aliquot urbibus amissis, utpote Smolensko & aliis, præterea post damna bello sibi illata viribus nondum sunt refecti, nequaquam se induci in id patientur. A Tataris etiam difficulter possumus aliquid obtinere, quia multis vicibus illos contra nos irritavimus, non tantum invadendo illos, sed etiam prædam, quam ex Polonia asportabant, illis eripiendo. Sed etiam si daretur aliquod medium illos ad partes nostras trahendi, magnum hoc ponit obicem, quod sint Pagani: nobis autem negotium est cum Christianis. Hic deliberatione magna opus est. Sub-

 ji-

jiciunt alii: Ostende tantum Domine *Chmielnitzki* modum Tataros practicandi, tum cognito eo utrum in effectum deduci possit, tandem deliberabimus, utrum id facere debeamus. Qui vero erant conscii negotii a Rege intimati, urgebant *Chmielnitzium* ut loqueretur disertius. Tandem ille; *occultare hoc*, inquit, *Fratres, coram vobis amplius non possum, quod Rex jam dudum in animo volvens bellum Turcis inferendum, in hunc finem exercitum extraneum habuit paratum; nihilominus quia contradicente Regno universo, illum dimisit, nunc stimulat nos, ut irruptiones in partes Turcarum faciamus, ita ut illos post nos in Regnum attrahamus, ut hac ratione Regnicolæ nolentes volentes arma contra eosdem defensiva capiant. Quatenus autem credatis rem ita se habere, en habetis litteras Regis, per Cancellarium, quando hic obambulabat, missas: en habetis vexillum, en clavam, quam mihi testibus N. & N. contulit, Hetmanum me constituere volens. Quod tamen officium præripere aliis me multo expertioribus nolui, nec privata auctoritate tentare quicquam volui* (& confestim præsentavit ea, quorum mentionem fecit, simulque testes) *hæc autem cum habeamus ad manus, putarem ego mittendos esse de medio nostri legatos ad Tataros, & per illos declarandam esse eis hanc intentionem Regis, simulque suadendum esse illis, ut, si in pace manere velint, nobis adsint; quod si facere detrectaverint,*

Consilium Chmielnicii qualiter Tatari in Jociet. Cosacc. trahendi

rint, denuntiandum est illis bellum. Neque puto illos multum super eo deliberaturos. Nam jam dudum illi Polonis pro retento sibi salario bellum intulissent, nisi nos illos distinuissemus. Nunc autem per nuperrimam Konietzpolscii irruptionem, tanto magis contra Polonos sunt concitati.

Vix ille finem Orationi suæ imposuit, omnes uno ore clamare cœperunt: *En ipse Deus commodissimam nobis suppeditat occasionem vindicandi injurias, nobis & Religioni nostræ illatas, quid adhuc cunctamur, cur deesse nobis velimus? Quod attinet respectum Christianitatis, nos illi canibus pejores judicant: Hoc etiam judicium de se nostrum habeant. Consilium Domini Chmielnicii optimum, & practicabile, aggrediendum; itaque & illud ipse Deus secundabit. Officium quod non quærenti Domino Chmielnicio contulit Rex, quis est qui ei præripere velit? Dispositione Dei factum est, itaque per nos ratificandum. Ab hoc momento omnes eum pro Hetmano libenter agnoscimus, & quibuscunque possumus modis, consilio, obsequio, servitio, sanguine nostro adesse semper volumus. Hoc autem quod vult per Legatos tractari cum Tataris, peragat ipse solus, rogamus; neminem ad hoc negotium inveniemus aptiorem.*

Approbant Cosacci Consilium Chmielnicii, & Hetmanum illum creant.

Pro declaratione tali egit gratias *Chmielnitzki*, sed summopere sese excusans, nulla ratione voluit subire provinciam istam, priusquam ea de re consuluisset Archi-Episcopum,

ritus Græci *Kijoviensem*. Subito itaque ad illum miserunt *Kijoviam*, consilium ipsius hac in parte requirendo. Qui non solum annuit, verum etiam benedixit, eo addito, *si qui essent, qui dum possent Arte vel Marte aliquid opis in commune adferre, nihilominus sese subducerent, illos anathemate fore feriendos*. (Hæc mihi ipse *Vyhorvsky* Cancellarius Cosaccorum retulit, dum a Rege Sueciæ ad Cosaccos ablegatus fuissem)

Chmielnitzki pergit ad Cosaccos practicandos

Tandem subivit legationem ad Tataros; quam dum exposuisset, Tatari quidem summo cum gaudio id exaudiverunt, & auxilium modis omnibus promiserunt, fidem tamen legationi non prius adhibuerunt, donec vidissent ipsos Cosaccos aliquid inchoasse contra Polonos. Qua de re cum communicasset cum suis fidissimis, cœperunt per totam Ukrajnam insolentius sese homines gerere, arma comparare, nonnunquam inter compotandum aliquid minaciter proloqui. *Chmielnitzki* autem regressus a Tataris, summo silentio & prudentia agere agenda non intermittit, nihilominus tamen ex aliorum gestis, Judæi, jurati Cosaccorum, prout & hi illorum, hostes, cœperunt aliquid conjectura assequi, & mox Dominis terrestribus, a quibus ferme omnes tabernas arendatorio modo obtinebant, cœperunt referre, & quidem multis cum additamentis. Nobiles vero perscripserunt hæc Domino Supremo Generali Exer-

Rebellionis aliqua indicia

Exercituum Regni *Nicolao Potocio*. Qui non ignarus ante ejusmodi seditionum, confestim per universales litteras suas initio Anni M. D C. XLVIIIvi, ex hybernis cohortes, quæ sparsim per totam minorem Poloniam agebant, convocare cœpit, & sine mora versus *Ukrajnam* contendit. Sed nullibi rebelles invenit. Etenim quocunque pervenit, summopere plebs humilem & morigeram se præbuit: eos, qui fortassis inter *Zaporovienses* Cosaccos seditiosi reperirentur, diris devovendo execrationibus. Postquam Exercitum constantem circiter duodecim millibus armatorum *Pototzki* ad fines *Ukrajnæ* cis Borysthenem perduxisset, nec tamen aperte rebelles ullibi invenisset; cœperunt milites veterani suadere, *non esse Exercitum tam exiguum in campos desertos educendum, procul a quibusvis fortalitiis, procul a quibusvis auxiliis; suspectam sibi debere esse fidem incolarum hujus loci, qui omnes sunt Græcæ Religionis; itaque in casum aliquem adversum, prout Martis dubius est eventus, hic quotquot homines, tot apparent hostes, cum quibus si saltem dextras amicabiliter jungere, nedum pugnare Poloni vellent, manus lassaretur, & viribus deficeret; subsistendum potius esse in aliquo loco; interim Regi & Proceribus Regni perscribendum, Rebelles quidem se nullos hactenus invenisse; sed magnam ejus rei famam & indicia infallibilia comperisse, ac proinde monendum*

1648

Pototzki cum Exercitu in Ukraj. tendit

Consilium militare

1648

 esse

esse Regem, ut tempestive de suppetiis Quartano militi in Ukrajna excubanti ferendis, ineat modum atque rationem: interim ne ociari & animis concidere videantur, iis, inter quos castra circumducunt, qui intentissimis oculis omnes actiones illorum aspiciunt, præmittendam esse aliquam fortem manum, cum optimo ordine, dato mandato, ut non prius regrediantur donec hostem invenerint, & ex illis captivos aliquos adduxerint, ex quibus Dominus Generalis de intentionibus & viribus hostium informari possit. Parendo consilio militari D. *Pototzki*, subsistit cum Exercitu, ex quo selectis fortissimis militibus, sub Commenda Filii sui expedit ad Partiam, adjungens pro Consiliario bellico *Stephanum Czarnecium* (& *Schonbergium* & *Sapieham*) cujus jam tunc temporis clarum nomen fuit rebus egregie gestis in variis occasionibus. Constabat hæc Partia circiter VI. Millibus armatorum, inter quos etiam Dragonerii fuere IV. M. tormenta etiam campestria habuerunt XII. & paucos cum commeatu ad instaurandam carraginem currus.

Ad Partiam mittitur Filius Generalis & Czarnetzki

Sub id tempus advenit ad castra *Potocii Colinorvski* Vice-Generalis, & *Stanislaus Pototzki* Palatinus *Czernichoviensis* cum Genero suo dicto *Sieniarvski*, quorum interventu nobiliter aucta sunt castra, & hac occasione hic quidem bibitur strenue; Partia vero progreditur. Interim de his omnibus edoctus *Chmielnitzki*, ab illis, qui erant in castris Polonorum Cosaccis, confestim certiores reddit Tataros, rogat, obtestatur per omnia sacra, velint sibi venire in auxilium sine mora. Interim ipse loco opportuno, ad paludes *Zolte Wody* nuncupatas castra sua aliquot millibus, ad minimum octo constantia, metatur, partim aggeribus, partim carragine (qua in re Cosacci sunt expeditissimi) sese claudens. Quo tandem Partia etiam illa cum *Potocio* advenit, octava aut nona die, postquam egressi fuissent ex castris generalibus. Interim Tatari ad sollicitationem Cosaccorum, confestim præmiserunt aliquot millia expeditissimorum militum suorum, cum tali Ordinantia, ne se conjungant cum Cosaccis, sed sint in propinquo: demum si intellexerint jam re vera decertare Cosaccos cum Polonis, dent iis auxilium.

Anno 1648

Ea de re Chmielnitzki, & per illum Tatari certiores redduntur

Postquam autem jam conspecta fuissent bene *Potocio* castra Cosaccorum, studio subsistit, atque institutis velitationibus, conabatur illos evocare in campum ex illorum fortalitio, quod efficere non potuit, quia illi nonnisi proxime penes castra velitationes instituebant, ita caute, ut illis statim in subsidium veniant. Itaque illa die nullum ex illis captivum obtinere potuit; & sic oppugnatio Cosaccorum dilata est in diem sequentem; interim per emissarios nunciat Parenti suo Generali Exercituum, se invenisse hostem in castris bene munitis, ad quæ op-

Pototzki pervenit ad castra Cosaccorum

1648

oppugnanda plures pedites requirerentur; quos ut ſibi ſubmittat, petit; interea ſe non neglecturum, quicquid præſtare poſſit. Sed res jam pridem ita erant adornatæ a parte Coſaccorum, ut nullus internuncius pervenire poſſit ad Caſtra Generalia, ſed intercipiebantur. In caſtris interim inſtituuntur convivia, occaſione adventus illorum Magnatum, ſibi congratulando. Quia tamen ab illa Partia per aliquot dies nihil habuerunt Nuncii, hoc minime placuit, & varia variorum ea de re erant judicia. Non deerant, qui dicerent: ingreſſi in optimas Coſaccorum ditiones, optimum habent tractamentum, non eſt cur feſtinent ad caſtra, nec prius redibunt, donec cum præda bene onuſtis curribus aliquot millia linguarum, ſed bubularum, adducant. Coſacci in iſtis partibus jam nullibi reperiuntur, niſi trans Boryſthenem: ſed illuc non cum tanto Exercitu eundum.

Pototzki accedit propius ad Caſtra Coſaccorum

Sed ut redeam unde ſum digreſſus: ſequenti die conſultat D. *Pototzki* cum *Czarnezio*, qualiter procedendum cum Coſaccis? Egredi namque in campum noluerunt, ad oppugnationem autem melior requireretur apparatus: ſtetit conſilium, lenta tantum obſidione illos fatigari, ſe ſatis præſtituros ſi non permiſerint illos hoc loco ulterius progredi, & ſi prohibuerint, ne plures Coſacci illis ſe adjungant: interim Dominum Generalem aut majores copias ſubmiſſurum, aut cum univerſis caſtris

ſtris

ſtris ſuperventurum: de ſuccurſu autem Tatarorum Coſaccis ſubmittendo, ne ſomniarunt quidem. Admovet itaque caſtra ſua propius Coſaccis, explodunt tormenta in ſpeciem oppugnationis, quorum ſono exaudito Tatari in propinquo excubantes dant operam, ut poſſint cognoſcere, quid rei ſit? Emittit ad illos *Chmielnitzki* per paludes internuncium ſuum, nuncians, jam tempus adeſſe, ut ſibi dent auxilium, magnum eſſe periculum in mora. Illi hæc eadem nunciant *Tohajbego* Præfecto *Perecopienſi* (qui erat vir militia peritiſſimus, ſed ſimul natura turbidus, ideoque etiam *Hano* ſæpius refractarius) non procul inde hærenti. Ex alia parte incidunt in pabulatores Polonorum, & captis aliquot, de omnibus rebus bene informati ſumunt animos, accedunt propius exploſiones crebras audiunt, ex illis colligunt, rem ſerio inter Polonos & Coſaccos agi.

Tatari adſunt in ſuccurſum Coſaccorum

Sequenti iterum die ſummo mane, a tergo adoriuntur Polonos, imponunt neceſſitatem, ut emiſſum ex caſtris contra Coſaccos militem intra carraginem reducant. Eo animadverſo Coſacci, ſumma cum alacritate progrediuntur ex caſtris, datoque ſigno Tataris vehementiſſimum impetum faciunt in Polonos duabus a partibus: nihil tamen proficiunt, Polonis ſtrenue ſeſe defendentibus, præcipue beneficio tormentorum. Poſt triduanam ſine effectu pugnam, Coſacci metuentes, ne ſuperveniat Supremus Generalis

Inſtituitur pugna 1648

lis

lis (cujus fortitudinem ante aliquot annos experti fuerant) antequam adeſſet *Tohaybegus* cum majoribus copiis, cœperunt proloqui de inſtituendis tractatibus, offerendo, ſe facile transacturos, modo aliquem idoneum hominem ad ſe mittant, promittendo ſe obſides daturos. Interim Polonis cœpit deficere commeatus; quapropter conſentiunt ſuper eo, non detrectandos eſſe tractatus, ad quos conficiendos maxime idoneus videbatur *Czarnetzki*; atque etiam is ipſe deputatur. Itaque acceptis obſidibus a Coſaccis, illuc mittitur. (Sed hoc non eſt prævifum, ſine illo reliquum Exercitum valde mancum futurum) recepto ad ſe Coſacci *Czarnetzio*, convivio illum invitum excipiunt, de tractatibus nihil proloquuntur, ſtudio protrahentes tempus, ut interim plures Tatari ſuperveniant. Sequenti die poſt colloquia cum *Czarnecio* inſtituta, nunciant, ſe ita cum illo transegiſſe, quod (ſiquidem in iſtis caſtris nullus ſit Senator Regni, nullus ſit conſtitutus Plenipotentiarius ad ineundos tractatus de rebus ſeriis, quarum ratione Coſacci ſuſceperunt bellum) non videant neceſſe aliquas conditiones a militibus hiſce requirere, vel viciſſim a parte ſua aliquam ſubmiſſionem facere; ſed ea omnia ad aliam occaſionem ad pleniorem conſultationem eſſe rejicienda; ad præſens ſe nihil aliud poſtulare, præterquam ut ſibi tormenta relinquant, poſtea viam patentem ſe daturos

Perfidia Coſaccorum

pro-

promittunt, interim *Czarnecium* detinuerunt. Expedita deliberatione Poloni concludunt, conducibilius eſſe non ſolum ſibimet ipſis, ſed & univerſo Regno, ut redempta ſalute (ex hoc præſentiſſimo periculo) aliquot viliſſimis tormentis, redeant quam citiſſime ad ſuos, & vires viribus jungant; ac proinde declarant ſe id facturos, modo Coſacci præſtent ſuper promiſſis juramentum, nempe quod Polonis liberum paſſum ſint conceſſuri, & *Czarnecium* remittant. Illi juramentum quidem præſtiterunt, ſed *Czarnecium* non prius dimiſſum iri dixerunt, donec ſibi ad manus data fuerint tormenta. Faciunt hoc Poloni. Poſtea dum de reſtituendo ſibi *Czarnecio* contendunt, ſuperveniens *Tohajbegus* cum XL. millibus irruit in Polonos, inſtituitur acerrima pugna, eadem tormenta dirigunt in eosdem, circumdant undique, continuo impetu labefactant tum ii, qui cum Polonis, quatuor mille Dragonerii germanico quidem habitu induti, & more Dragoneriorum inſtructi, nihilominus naturam fidemque Græcam retinentes, transfugiunt ad Coſaccos, nihil curantes juramentum, quod & olim præſtiterant, quando militiæ nomen dederant, & rurſus renovarant, quando a Generali Potocio expediebantur. Tandem cœteros ſtrenuiſſime ſeſe defendentes, delent ad internecionem. Quo in prælio vulneratus *Pototzki* & *Schonbergius*, *Sapieha* captus, *Czarnietz-*

Tohaybegus advolat

Polonos cædit

nietz-

nietzki detentus, & denique, quos ſors morti eripuit, in captivitatem abducti. Porro *Pototzki*, quia graviſſime fuit ſaucius, nec deduci cum cœteris potuit, in campo relictus, ibidem mortuus, uno tantum ex illa clade gregario milite per devia ad Exercitum cum iſto triſtiſſimo nuncio advolante. Qui poſtquam hæc retuliſſet, fides ipſi non adhibebatur, quod impoſſibile videretur, nullum alium præter hunc evadere potuiſſe; cum quam plurimi fuerint ipſo incomparabili ratione, & milites exercitatiores, & melioribus equis inſtructi. Augebat adhuc in eo ſuſpicionem, quod fuerit Græcæ Religionis; itaque credebatur illum conductum a Coſaccis ad incutiendum Exercitui timorem, talia referre, ut caſtra deſerant. Ac proinde in carcerem illum detruſerunt (hoc, hoc erat illud extraordinarium & inſpectatum malum, & a ſcopo, ad quem collimabat, Rex *Uladiſlaus IV.* valde alienum) (cujus mentionem feci pag. 17.) quod nimirum mediantibus Coſaccis bellum cum Turcis exordiri conatur, efficit, ut potius illi cum Tataris contra Rempublicam conjungantur, & ſic, ut dicitur, proprio jumento inexplicabilium calamitatum molem innocuæ Patriæ, altiſſima pace fruenti, attraxit)

Interim *Pototzki* Generalis Exercituum Regni, leves Partias ad hanc, & alteram partem expedit propter comparandos captivos. Sed emiſ-

emiſ-

emiſſi aliquot extra caſtra milliaribus, nullis inventis hominibus recurrebant ſine quibusvis indicibus, hoc unum referendo, domos quidem inveniſſe ſe plenas omnibus bonis, ſed deſtitutas omni cuſtode, quod erat peſſimi ominis. Ideoque conſilium ineunt, quid ſit faciendum, ſuadent ſenſatiores reducendum eſſe exercitum ad loca tutiora; placet ſententia, conficiunt iter una atque altera die, hoſtis nullus apparet, ideoque ulterius producere nequaquam vult D. Generalis, ignominioſiſſimum ſibi ducens nec viſo hoſte fugæ ſpeciem ſubire.

Conſultatio in Caſtris General. & R. P.

Interim *Chmielnitzki* per expeditiſſimos internuncios ſuos, totam Ukrajnam, de omnibus quæ evenerunt, edocuit, ſimulque in mandatis edit, ut ex omnibus locis, quotquot ſunt, qui aliquod armorum genus, falcem denique aut excutias (flagra trituratoria) arripere poſſint, ad ſe confluant, alias, qui facere id neglexerint, ſe omnes tales refractarios cum univerſa familia ſua Tataris conceſſuros, ſevere comminando. Accepta ejusmodi denunciatione, convolat ingens multitudo, producit ille caſtra ſua cum Tataris conjuncta contra Polonos. Decimus ferme jam poſt ſtragem illam miſerabilem complebatur dies, nec tamen quippiam certi Generalis *Pototzki* de Filio ſuo & ei adjunctis habuit, præter id, quod famulus ille in carcerem conjectus attulerat. Denique unus ex præcipuis commilitonibus, ali-

Modus quo magis auxit Exercitum Chmielnitzki

quo

quo casu de captivitate effugiens, ex castris trium dierum itinere distantibus advolat, atque de omnibus prout evenerant, informat; refert Exercitum numerosissimum, non tamen armis bene instructum appropinquare.

His intellectis Generalis *Pototzki*, animo infracto ajens, non hunc sibi primum cum Cosaccis futurum congressum, & quod minori manu multo melius instructos fuderat, multitudinem Plebis se nihili facere; præstolari eodem loco hostem voluit. Interim tamen instantibus multis, ut progrediatur, ipse quoque circumstantias rerum, & omnia momenta accuratius perpendens, die advenienti ad avertendam fugæ suspicionem, atque confusionem, si hoste jam ingruente, tum demum in ordinem redigendus esset Exercitus, instructa carragine, ac si jam oppugnandus esset, lente progreditur. Interim *Chmielnitzki*, qua potest celeritate una cum Tataris subsequitur, & castra Polonorum adoritur. *Pototzki* educit in Campum equitatum suum, pugnat aliquot horis fortiter æquo Marte. Sole ad Occasum vergente reducit egregie intra carraginem, paucis desideratis. Interim *Chmielnicii* indesinenter augetur Exercitus, tormenta etiam plura & majora ex Castellis jam a Polonis desertis adducuntur. Die illucescente videns *Pototzki*, multo meliorem apparatum hostilem, non oppugnat, nec educit Exercitum in Campum, sed tantum promovet castra strenue sese defendendo, & sic tribus diebus procedebatur. Tandem dum ventum est ad aliquam sylvam, quam propugnaculi loco Poloni fore sibi putabant, Cosacci ex profugis ad se, cognitum habentes, quo tractu ire velit *Pototzki*, tempestive illo præoccupato, atque relicta aliqua parte sylvæ, ad ingrediendum Polonis patenti, interius fossis in transversum, & concædibus collocatis ibidem sclopetariis, ulteriorem Passum insederunt. Ex omnibus vero partibus multo alacrius impetum facere cœperunt. Tandem postquam nunciatum esset *Pototzkio*, castra ulterius propter illa impedimenta promoveri non posse, omnium animos desperatio incessit. Tum demum celeberrimus quidam Legionarius *Korytzki* alta voce exclamavit, frustra jam est in id intendere, ut universa castra defendantur: frustra est in propriis pedibus penes currus defendendos salutem ponere. Conscendamus potius equos, aperiamus nobis per media agmina Tatarorum viam. En ego futurus sum Dux, prohibebant quidem Generales; sed respondebatur: Tardum jam nunc est mandata dare; conclamatur: Ad equos, ad equos. Et qui subito potuerunt illos conscendere, circiter bis milleni irruerunt in Tataros. Ex quibus quidem perierunt non pauci; nihilominus circiter M. D. cum illo coryphæo evaserunt. Postquam vero in hunc modum aperta fuisset ad castra Polonorum

Chmiel. nitzki cum Tataris subsecutus Generalem Pototzki

Anno 1648

rum via, subito tota illa multitudo irruebat, obvios quosque trucidando, ipsi denique Generales & alii Magnates, videntes quod nec pugnando, nec fugiendo se jam conservare possent, deserta statione sua, in carpenta sese contulerunt, spectaturi quid sibi sors collatura esset; qui omnes Tataris loco stipendii dati. Strenuissimi autem quique fere omnes cæsi, paucis calonibus, & lixis inter cadavera conservatis. Castra universa primis accurrentibus in prædam cessere. Sed, ut dicitur, nulla calamitas sola; Poloniam quoque non tantum hæc pressit calamitas, quod veteranus & exercitatissimus miles uno plane ictu una cum suis Ducibus perierit ad *Korsun*, sed accessit non minor, quod eodem ferme die Rex *Uladislaus IV.* hujus exitii, quamvis per indirectum, aliqua ex parte auctor, in Lithvania (quo se venationis gratia contulerat) aliquot dierum spacio cum morbo colluctatus, mortuus sit in Meretz, ætatis suæ Anno 52. qui tyrocinia sua in bello Moschovitico felicissime exorsus, præmii loco pro exantlatis laboribus Dominatum Moschoviæ dubio procul consecutus fuisset, nisi *Sigismundus III.* Pater ipsius cognitam habens gentis Moschorum perfidiam, potius vitæ filii, quam dignitati consulens, oblationes illorum respuisset. Quanquam enim Mosci, tum hæroicas virtutes, quas in multis præliis rem fortissime agendo, tum eas, quæ ad mansuetudinem

nem

nem pertinent (quod nimirum victorias clementia moderari se nosse declarasset) admirati simul ac venerati fasces Regni sui communibus suffragiis ei deferebant; acceptandum tamen id minime permisit: non ignarus qualiter evenerit Czari ipsorum *Demetrio*, quem ideo, quod duxisset sibi in matrimonium ex Polonia Virginem filiam Palatini Sendomiriensis dicti *Mniszek*, & eidem Conjugi concessisset alere aulicum Capellanum Religionis Romanæ, misere trucidarunt.

Et Tyrociniis quidem suis cum eximia etiam apud exteros nominis sui gloria in Moschovia jactis *Vladislaus IV.* noluit virtutes suas ibi solum terminari, sed mox iterum ad Chotin in bello cum Osmano Imperatore Turcarum fortitudinis, ac felicitatis suæ specimina conspicua reddidit, rem eo deducens, ut Turcæ attritis viribus suis, cum iis omnis spes potiundi Regni Poloniæ decolasset, sat se præstitisse arbitrati fuerint, si in pace ad sua redire licuerit, inito honestis conditionibus fœdere, castra reducere necessum habuerint. Et his quidem successibus omnium Polonorum animos sibi ita præoccupavit, ut ipsi uni (velut virtutibus ejus condignum decus) inter quatuor filios *Sigismundi III.* fato exempti Regis sponte deferre non dubitaverint, nimirum Diadema Regium, quo feliciter redimitus, dum rursus Mosci intra decursum aliquot annorum quie-

 tem

tem nacti, & hac ratione viribus aucti, cum ingenti exercitu urbem Smolensko dictam obsedissent, multo minore exercitu illos rejecit, eoque redegit, ut depositis armis, dispendio aliquot provinciarum pacem redimere coacti fuerint. Nec multo post *Abazi* Bassam cum numerosissimis copiis variorum populorum finibus Podoliæ appropinquantem sola adventus sui fama procul abegit. In Prussia quoque, quæ priori bello Sueci sibi appropriaverant, Pactis, Induciis recuperavit. Et quaquaversum hostibus semper terrori fuit; præ cæteris autem, repullulantibus Cosaccorum rebellionibus felicissime obviavit, malignos conatus ipsorum semper in herba supprimens. Tandem exacta in pace aliqua Dominii sui parte, belli amorem compescere minus valens, dum Turcis bellum inferre (prout superius expositum est) intendit, hocce inexplicabili portento florentissimum Regnum, eheu! involvit. Polonia namque uno eodemque tempore amisso capite, simulque & brachiis, non corpus, sed exangue cadaver Reipublicæ dici merito potuerat: & omnino sepulchrum aperuisse os suum contra illam videbatur. Sed quia nondum ei fatalis a Superis destinatus erat terminus, pernicies ipsius dilata est in aliud tempus. *Chmielnitzki* etenim sublato Exercitu Polonico ignarus adhuc vivis Regem excessisse, litteras ad illum subito exaravit prolixe exponens causas, quæ ipsum ad tantum

tum

tum facinus audendum impulerint; simulque deprecatus est veniam eorum, quæ illi subeunda erant in propulsandis injuriis: pollicebatur denique se & Tataros ad sua stativa remissurum, & in obsequio Regi debito permansurum, dummodo antiqua Jura, & libertates tam Cosaccorum, quam Religionis Græcæ in multis læsæ ac violatæ in integrum restituerentur: multo majores animos sumpturus post prosperrimos rerum suarum successus: si scivisset Regem *Vladislaum* (quem summopere semper reverebatur) fato concessisse.

Ad quam Epistolam, siquidem jam Rex ultimum diem clauserat, & sceptrum deposuerat, Adamus *Kisiel*, Vir & in Regno propter egregia in Rempublicam merita sua, & apud *Chmielnicium*, universosque Russos, quod & ipse fuerit Græcæ Religionis, maxima pollens auctoritate, ex annuentia Procerum Regni, in hunc modum Responsum dedit:

Se, cum ante hac probe cognitum habuerit affectum Chmielnicii erga Rempublicam satis mirari non posse, quod ejusmodi propulsandæ injuriæ media adhibuerit, & Ducem se Exercitui Zaporoviano in hisce rebus præbuerit, præcipue cum illi optime constaret, hanc esse Reipublicæ Polonæ normam, ut in ea unicuique detur facultas atque ratio, Jura, ac libertates suas pacatis mediis, tum asserendi, tum, si quid contra illa exorbitatum fuerit, in ordinem redigendi, non

 pro-

properando tantopere ad arma insontes cum sontibus perstringentia. Nunc autem cum jam ea quæ facta sunt, infecta reddi nequeant, suadere se, ut Chmielnitzki cum Exercitu Zaporoviano (probe sciens belli momenta ita esse constituta, sive quis victoriam de hoste retulerit, non tamen statim universalem uno constare certamine; sive quis semel superatus ab hoste, recesserit, non tamen illico omnia resarciendæ cladis sublata esse remedia: id quoque persuasum sibi habens, quoties inter domesticos armis concurritur, victori etiam multo consultius, ac gloriosius esse, gladium recondere potius, quam strictum ostentare) redeat ad frugem. In iis vero in quibus se aggravari putant, per Legatos cum Regno debita cum demissione agant: promittens se non defuturum partibus eorum, dummodo seposito tumultu, fidem, ad quam solenni juramento sunt obstricti, Reipublicæ præstent. Neque vero ullam super esse causam, cur suam erga gentem Ruthenam propensionem in dubium vocare possint, quandoquidem vinculo ejusdem Religionis, ad velificandum ei in conscientia sit obligatus; & prout hactenus sincerus Religionis istius Patronus fuerat, ita in posterum quoque in illa sedulo tuenda atque procuranda se mori paratum.

Et hanc quidem Epistolam misit *Chmielnicio* per Monachum quendam; qui postquam eluctatus fuisset varia discrimina, convocata ad consilium bellicum numerosissima turba, reproducens litteras, viva voce etiam oratione blandissima suasit, non sæviendum esse in propria viscera, cum sint in promptu media deducendi in pristinum statum ea, de quibus digladiari cœperunt; quibus exauditis tum *Chmielnitzki*, tum veterani Cosacci eo consilia sua inclinari cœperant: deponendam esse hostilitatem, Tataros domum remittendos, illum autem Palatinum Kijoviensem ad se, nimirum Kijoviam invitandum, qui cum sufficienti Plenipotentia a Regno accedens omnes prætensiones atque controversias componere queat. Sed plebs audita morte Regis, omnia sursum deorsumque miscere cœpit: & ipse quidem *Chmielnitzki* ad avertendam a se culpam, ne contemnere salubre consilium *Kisielii* videretur, cum Ukrajnensibus Cosaccis constitit ad Civitatem Biala Czerkierv, inde prospecturus quonam consilia Regni posthac collimarent. Ipso vero quasi inscio exurgens trans Borysthenem alter seditiosorum Ductor, dictus *Krhywonos*, convocando ad capienda arma omnes ac singulos, cœpit infandam crudelitatem in Nobiles, ac Judæos exercere. Cui tamen Dux Jeremias *Visniorvietzki*, cum iis cohortibus, quæ trans Borysthenem Hyberna peragentes, sub commenda ejus in hunc casum erant relictæ, ut si aliqui tumultus ibi oborirentur, per illum reprimi possint, aliquantulum restitit. Cum autem præter opinionem in dies magis tumultuatum fuisset, tum

tum alii quoque Magnates, & quotquot trans Borysthenem erant Nobiles, & denique Judæi ad illum gregatim confluebant; quibus ille auctus, ægre quidem ex illis remotissimis oris eluctatus, ad tutiora loca progrediendo, instituto uno, atque altero cum seditiosis conflictu, inusitata felicitate vitam *Krhyrvonosio* eripuit. Ipse autem cum sibi adjunctis, incolumis evadens, de omnibus quæ in illis partibus gerebantur, Consiliarios Regni edocuit, simulque suasit: nihil esse fidendum blanditiis Cosaccorum, sed potius armis supplantandos, & multitudini multitudinem opponendam. Itaque reliqui domi degentes summa compassione super interitu Fratrum suorum tacti, huc omnia sua contulerunt studia, qualiter labenti subvenirent Patriæ, atque rejecto ad consummationem belli Termino Electionis novi Regis, ad arma concursum est: nihilominus tamen, ne propter varios, qui sub Interregnum solent & possent evenire casus, denudaretur omni præsidio Respublica, quod fieret, si universali insurrectione omnium huic malo in occursum iretur, consultius videbatur, ut potius talis conscriberetur Exercitus, qui cum spe victoriæ hosti sese opponere (etiamsi non animo totaliter delendi, saltem ad honestas pacis conditiones redigendi) possit. Et quia Deus pro immensa sua bonitate ita excoecaverat hostem, quod nesciens prosequi victoriam, Tatari quidem cum præda in Pa-

triam sese contulerunt, Cosacci vero in domicilia sua, horribiliter in Nobiles tenuioris sortis, & in Judæos, nec minus in Clerum sæviendo; Respublica obtento aliquo respirio, novum delectum militum fecit, & intra decursum, ad summum, quinque septimanarum conscripta sunt XL. M. optimi & ornatissimi militis. Sed Dux defuit belli. Quamvis enim reperiebantur, præsertim inter tenuioris sortis Nobiles, qui cum laude & emolumento Reipublicæ hoc officio perfungi potuissent; nihilominus illis propter varias causas neglectis, contulerunt Officium Generalissimi, Duci Dominico de Ostrog, quem sciverunt quidem hominem esse minime bellacem, nihilominus quia proprii militis poterat habere circiter quatuor millia, & quod rebellium maxima pars constabat ex possessionibus illius, de quibus (quia ille præ cœteris Magnatibus subditos suos benignius tractavit) credebatur, illos ad famam adventus Domini sui sese humiliaturos, & acceptis a se honestis conditionibus ad frugem ac debitam fidelitatem redituros. Ad evitandum tamen, ne per ineptiam (ineptitudinem) ipsius aliquis nocivus in Religione committeretur error, adhibiti sunt illi pro Consiliariis bellicis *Alexander Koniecpolski*, homo Juvenis, & rei militaris tunc temporis minus peritus: nisi quod nuperrima ex improviso facta irruptione in Tatariam inclaruerat, & *Nicolaus Ostrorog*, eloquio ma-

Novus delectus militum

1648

Chmielnicii de Ducibus Exercit. Judic.

magis quam manu pollens. Quod quam primum inaudivit *Chmielnitzki*, in despectum illorum dixit: Unus Peryna, id est, Pulvinar; denotans per hoc Ducem Dominicum ab ineunte ætate deliciis potius, quam laboribus militaribus assuetum. Alter Detina, hoc est, Ephebus, denotans *Koniecpolscium* præ juvenili ætate exigua rei militaris peritia præditum. Tertius Latina, hoc est, Litteratus, denotans *Ostrorogum* hominem litteris quidem egregie instructum, sed non ad arma natum. Et omnino augurium *Chmielnicii* exitus probavit: multum enim successibus Polonorum obfuit, quod Respublica præficiendo Exercitui illos præspecificatos officiales, nescitur, qua de causa, exclusferit Ducem Jeremiam *Visniorviecium* (qui communi omnium militum suffragio in universo Exercitu Regni officio hoc censebatur dignissimus, eo excepto, quod tempore pacis colonos suos rigidissime tractavit, & forte Præsides Regni verebantur, ne si illi summa rerum committeretur, rebelles illi de venia consequenda desperantes extrema quæque tentent) quæ res *Visniorviecium* ad maximam indignationem impulit. Itaque detrectans Regimen illorum officialium seorsum procedebat; cui potior pars Podoliæ Volhiniæ, Ukrajnæ & trans Borysthenem degentium adhærebant; ita ut ii, qui illum sunt secuti, efficerent duodecim millia militum.

Chmi-

Chmielnitzki etiam per Exploratores suos quos habuit inter Polonos plurimos (nullus enim Magnus, nullus Nobilis fuit, cujus major pars famulorum non ex Russis constaret: qui, cum multo addictiores essent genti suæ, quam vero Dominis, de omnibus quæ inter Polonos agitabantur, certiorem reddebant eundem) cognito apparatu Polonorum ipse quoque de instaurando Exercitu suo diligentissimam habuit curam. Nec mora, expedivit ad Tataros, denuncians præparationem Polonorum, simulque exhortans, non esse finitum bellum ideo, quod sit profligatus ille Exercitus ad Korsun; sed hæc tantum fuisse præludia: eamque ob rem rogabat, ut deposita illa exigua, quam nacti fuerant, præda, non tardarent cum Exercitu validissimo ad se venire, pro certo id sibi pollicendo, se multo plura & luculentiora ex Dominis (indigitans Magnates, qui cum maximo splendore, non prout ad castra, sed tanquam ad convivium ex diversis Regni partibus confluebant) quam ex servis (nimirum militibus Regni Quartanis, illi namque prout & ipsi Generales Regni Servi Reipublicæ dicuntur) spolia reportaturos. Præterea Civitates & Castella Magnatum quæ tenebantur præsidiis illorum militum, qui omnes ex Russis constabant, in potestatem suam redigit, milites illos egregios (sublatis officialibus, qui erant Germani, aut Poloni) in castra recipit, in Ju-

Apparatus secundarius Chmielnicii

dæos

dæos potissimum sævit, nec ætati nec sexui parcendo: sed multum exprobrando qualiter secum antehac egissent; atque præcavendo, ne, si in Ukrajnam cum valido Exercitu Poloni venerint, aliqui Russorum expavefacti, a se recedendo illis se adjungant, castra sua versus Russiam promovit.

1648 Castra Polonorum ad Pilarvce, quo & Cosacci advenerunt

Quod quia Polonos quoque non latuit. Etenim die nocteque homines ex Ukrajne superveniebant, qui gesta Cosaccorum referebant; Dux *Dominicus* cum Exercitu Polonico ad Pilarvce veniens castra ibidem metatus est ultimis Augusti. Quo postquam Cosacci quoque soli sine Tataris appulissent, primum simulantes magnam erga Ducem *Dominicum* observantiam, statim miserunt legatos ad eundem, offerendo aliquam submissionem, & rogando, ut ille ipse dirimat omnes, quæ inter illos & Regnum interveniunt prætensiones, promittendo se velle stare arbitrio ipsius, quo audito, Dux *Dominicus* multum sibi placuit.

Tractatus Cosacci instituunt

Interim cœptis tractatibus tempus protraxerunt plus quam duarum septimanarum, nihil serii agendo, tantum legationes reciprocando. Hoc autem faciebant Cosacci dedita opera, eo fine, ut interim possint adventum suum maturare Tatari, quos in dies expectabant. Quo facilius autem possent occultare technas suas, armisticium instituerant, quo stante vetitum est serio, ne ad illam partem versus Cosaccos pabulatores Polonici excurrerent. Quamvis autem aliqui Polonorum videntes, tempus inaniter consumi, & id quod erat in re, nempe fraudem metuentes, instabant apud Ducem *Dominicum*, ne pateretur amplius sibi illudi, sed jam Martis aleam subiret, erigendo in spem felicis successus, quod miles ad pugnandum sit promptissimus (reperiebantur enim aliqui, qui scuticis promittebant se debellaturos Cosaccos: alii autem ita insolentes fuere, ut cernentes splendorem militum suorum, ad cœlum conversi non reformidarent exclamare: *O Deus Optime! nec nobis, nec Cosaccis auxilieris, solum respicias, quid faciemus istis rusticis nequissimis, dummodo nobis permittat Generalis noster*) Tum respondebat Dux *Dominicus*: *victoriam quidem habemus præ manibus, sed cæsis Cosaccis, cui majus damnum eveniet, quam mihi? Cum potior pars constet ex colonis meis, illosne ego trucidabo, dum possim litem pacatis mediis dirimere? Absit: talia nobis suadent, qui ibi nullos colonos habent. Sed ego sublatis illis, quid facerem? Fodere non valeo, mendicare erubesco.*

Visniorvietzki nunciat adventum Tatarorum

Dux autem *Visniorvietzki* seorsim castra habens, ac proinde nihil dependens ab ordinantia Ducis *Dominici*, expediebat Partias ubicunque poterant pertingere, etiam in partes Cosaccorum. Cumque sibi adduxissent indices, Tataros jam tantum aliquot dierum itinere abesse a castris Polonicalibus, nunciavit hoc cuidam

dam confidentissimo ad castra Ducis *Dominici*, monuitque, ut suadeat Generali suo, quatenus abrupta mora, utpote in rebus bellicis nociva, agrediatur armis hostem, priusquam ingens multitudo Russorum, qui concomitantur Tataros, superveniat. Sed quia hæc a *Visniorviecio* fuerunt allata, ideo fides illis non adhibita, & surdis auribus sunt excepta. Nihilominus instantibus multis, qui erant cum Duce *Dominico*, quatenus saltem ideo ut imponat necessitatem Cosaccis quo citius tractatus in finem deducant, velitationes instituat, ad demonstrationem, se comperendinationes istas non amplius ferre posse. Quapropter demandavit ut fortissimi quique egrederentur ad velitandum. Hæc videntes Cosacci, illi quoque non defuerunt partibus suis, sed Poloni fortissime rem agendo, atque illos prosequendo, usque ed castra illorum involabant, & si Genrralis succursum dedisset, dissipare etiam illos potuissent. Interim nox ludum illum Martialem diremit. Postridie renovatur velitatio. Poloni ex hesterno successu sumentes animum tanto ardentius, & plures quam Generalis voluit, provolant: nec minus alacriter Cosacci quoque rem agunt; ita ut, jam non velitatio, sed potius confertum prælium esse videretur. Dominus Generalis hæc prospiciens, magis de eo est sollicitus, ne Cosacci profligentur, quam ut suis laborantibus aliqua subsidia submittat, & totis viribus pro-

Velitationes instituuntur

prohibet, & obstat, quominus procurrant. Interim pabulatores nunciant, se, dum egressi fuissent ad dextram partem Castrorum Cosaccicorum, vidisse quasi nubem aliquam ingentem, & densam, qualis solet allevari ex pulvere per Exercitum excitato. Quapropter monentibus quibusdam, hoc non esse contemnendum, mittit levem Partiam ad cognoscendum, quid rei sit; interim identidem recrudescit illa concertatio. Tum Sole de Meridie jam bene inclinato, adferunt ab illa Partia, se incidisse in antecessorias cohortes Tatarorum; cum autem impares sint ad sustinendum impetum illorum, rogare, ut sibi validiores turmæ submittantur. Quod quasi facturus Dominus Generalis, regreditur ad castra, & subito expedit aliquot cohortes ad Partiam: illo autem absente multo acrius prælium instituitur. Postquam expedivisset contra Tataros, consultat cum suis Consiliariis, quid sit faciendum? Suadent Domini Consiliarii: Si omnino constaret certo, ipsum *Hanum* Tatarorum adesse, non esse illum expectandum; sed Regimen Exercitus committendum *Visniorviecio*. Dum extra Castra pugnatur, hic vero consultatur, adducuntur duo Tatari capti per Polonos, qui dicunt *Hanum* Tatarorum adventare cum tam numerosis copiis, prout sunt gramina campi. His exauditis, remittit Clavam Generalatus Duci *Visniorviecio*, quam ille, rebus jam sic stantibus, re-

Fama de adventu Tatarorum confirmatur

ideoque consultatur

adducuntur capti Tatari

Dux Dominicus aufugit

recipere noluit. Interim ipse Dominus Generalis cum suis Consiliariis, quasi speculatum egressi, id, quod antehac in consilio concluserant, executioni dant, hoc est, in fugam se conjiciunt. Cujus rei fama primo continetur inter paucos; vespera autem adveniente, Præcursores Tatarici redeunt ad suos, idem faciunt contra ipsos expediti. Ex velitatione etiam cum Cosaccis instituta, redeunt ad castra. Officiales quærente Generalem, nulli inveniunt. Tunc res patefacta cunctis. Oritur confusio ingens, ut fit inter oves, quas deserit pastor. Mox silentio noctis hostibus nihil animadvertentibus, sub præsidio illorum, qui excubias agebant, omnes derelinquunt castra, omnibus bonis ad admirationem hostium referta, in quibus multo plus erat argenti, quam plumbi. Castris relictis effusam arripiunt fugam. Die illuscente in excubias collocati mirantur, quid rei sit, quod excubiarum Magister more solito alios non educat? mittunt ad Castra sciscitatum, reque cognita ipsi quoque antecedentium sequuntur gregem.

Anno 1648 Ultimis diebus Augusti

Visniorvietzki Castra reducit

Visniorvietzki submittens in aurora ad Castra cognitum quidnam ibi agatur, edoctus de omnibus quæ evenerunt, in ordinem redacto Exercitu suo, cœpit illum reducere cum omnibus oneribus suis. Interim tum Cosacci, tum Tatari milites suos ad provocandos Polonos velitatum mittunt. Sed præter latratum canum nihil exaudiunt, accedunt propius, inspiciunt castra, vident paucos admodum, quos cupido prædæ detinebat, superesse, renunciant suis, re melius explorata, effudit se tota multitudo, irruunt in castra, in quibus præter paucos ægrotos nullos inveniunt; sed bonorum tantam copiam, & tantum nitorem, ut quid rapiendum prius, quidve relinquendum, ipsimet dubii, atque diripiendæ prædæ intenti, de subsequendis fugientibus nullus cogitaret. Etenim diripiendis bonis, & postmodum compotationi (nam Vini sublimati, mulsi, cerevisiæ tantam relinquerunt copiam, ut servato ordine per integrum etiam Mensem sufficere potuisset omnibus) per quatuor dies fuit indultum. Quæ res fugientibus attulit salutem. Omnes enim, qui castris egressi, ad tutiora pervenerunt incolumes. Illi quidem qui *Dominicum* sunt secuti, tanquam scopæ dissolutæ: qui vero erant cum *Visniorviecio*, lento passu cum omnibus bonis suis castra deduxere, usque Leopolim. Ubi subsistens, Urbem illam, sub Commenda *Christophori Arciszevii* ad defensionem optime instruxit, commeatu & milite sufficiente auxit, simulque assecuravit, si & in quantum hostis eo perveniens, illam obsideret, se intra decursum duorum mensium in succursum venturum, quo facilius autem milites, & hos quos secum habebat, in officio continere, & alios ad se allicere posset, ab eadem Urbe ad fidem

fidem Reipublicæ expetiit 80 Millia Thalerorum. Inde processit usque ad Civitatem Zamoscie dictam.

Comitia indicta Postquam vero hujus turpissimæ fugæ fama percrebuisset per universum Regnum, indicta sunt Comitia, Electionis Novi Regis Varsaviæ.

Hostes interim exhilarati nimium opima præda, illaque ad tutiora loca remissa, & de consequenda posthæc ampliori, ingentes sumendo animos, ulterius castra producunt, univer-

1648 Cosacci Castra producunt versus Leopolim & inde sam plebem, non Russorum tantum, sed & Catholicorum sibi associando, & promittendo se omnes Nobiles, extirpaturos, ut quisque in eis, quæ sibi propria industria acquirit, dominetur; & sic dispositis rebus perveniunt usque Leopolim, quam etiam obsidione cingunt. Sed cum animadvertissent se non posse ea potiri, facili negotio, exactis ibidem circiter duabus septimanis, præcavendo, ne illis ad majora attentanda eripiatur occasio, longiorem moram trahere ibi noluerunt; ideoque præsidiariis, se cum illis honestis conditionibus transigere velle, declararunt. Obsessi vero multum conturbati, eo quod Arx, quæ propugnaculi loco habetur, temeritate præsidiariorum in potestatem hostium devenisset (Aliqui namque ex Præsidiariis videntes hostem totis viribus incumbere oppugnationi, Duce *Burggravio* sive *Portario* in aurora voluerunt confugere ad Civitatem, quod cum ani-

animadvertissent alii, majori numero cœperunt illos subsequi, ita ut factum illud non amplius jam occultari potuerit. Quo viso Tatari in proximo excubantes, involant in Polonos, & alii quidem persequuntur ad Civitatem fugientes, alii invecti in eos, qui visis Tataris ad arcem recurrere contendebant, una cum illis ingressi occuparunt Fortalitium illud) oblatam pacificationem minime aspernandam esse censuerunt. Itaque his peractis ad Leopolin, *Chmielnitzki* cum *Hano* versus *Zamoscium* tendunt. Sed retardabant illos obviæ multæ Civitates, & alias populosæ, & tunc temporis tanto magis auctæ transfugis, qui ex Ukrajna eo sese receperant. Qui, dum illis ulterius fugiendi nullus esset modus, non sperantes ipsum *Chmielnicium* illac cum universis castris iturum, sed tantum aliquos seditiosos; ubicunque locus defensioni idoneus reperiebatur, ibi subsistebant, confisi, se in illis locis, ubi jam nulli erant Cosacci, sed soli Catholici, & Judæi (tutiores a proditoribus) impetus tumultuantium sustinere posse. Sed valde frustrati sunt spe sua. Omnia enim obvia loca hostes solo æquabant, & quoscunque reperiebant, qui illis resistere ausi, trucidabant sine ulla misericordia: prout in una Civitate dicta *Narol*, quatuor Milliaribus *Zamoscia* distante, enecta sunt quadraginta quinque millia hominum.

versus Zamoscium

F Dum

Electio cœpta

Dum hæc aguntur, inchoata est Electio Novi Regis Varsaviæ. Urbs vero *Zamoscium* Præside Duce Jeremia *Visniorviecio* (nam Dominus ipsius ac hæres *D. Zamoyski* adhuc Juvenis in exteris Nationibus fuit) omnibus ad tolerandam obsidionem necessariis diligentissime instruebatur. Quo, cum ex Electione præscriptum fuisset, inter alios Candidatos, suffragia collimare potissimum ad duos, nempe nuper fato functi *Uladislai IV.* Fratres, *Joannem Casimirum* & *Carolum*, & ad tertium *Georgium Rakocium* Seniorem. Hac occasione instituta est consultatio. Ubi sub trutinam venissent alii Principes de Corona Regni Poloniæ concurrentes, præ cœteris omnibus maxime placuit Princeps Transylvanus. De quo Dux *Visniorviecius* (assentientibus aliis) tale judicium protulit: *Tacto pectore, sic me Deus*, inquit, *amet (nisi obstaret Religio, quod non sit Catholicus) nullum possemus accomodatiorem nobis adinvenire Regem Principe Rakocio: hac præcipue rerum tempestate, dum hostem habemus, tam potentem, & prosperis successibus usque adeo elatum; interim destituimur pecunia, & milite veterano, (quid autem Tyrones valeant, nuperrima docet expeditio) Ille vero ætate est maturus, nec minus maturi judicii, maturi consilii, auctoritatem suam tueri bene gnarus, bellator fortunatus (cujus rei specimina in bello contra Imperatorem Romanorum edidit) potens*

Censura Polonorum de Principe Rakocio Seniore

armis, potens thesauris. Vicinus proximus, nostri semper observans, consuetudinum, & Legum nostrarum non ignarus, Regnum Transylvaniæ legibus non multum dissimile nostris, feliciter dirigens. Nobis autem tali opus est Rege, quem propter Virtutes non amemus tantum, sed & veneremur. Et omnino nullus exterorum Principum in succursum nobis venire ita cito atque ille possit. Præterea cum sit Portæ ottomanicæ Feudatarius, Tataros a Cosaccis abstrahere, quis illo facilius possit? quod si Liga hæc hostium nostrorum dissolveretur, Cosaccos solos etiam propriis viribus compescere possemus. Cæterum nulla gens, nulla natio cum moribus & genio Polonorum est conformior, atque Hungarorum. Genus armorum idem, modus bellandi idem, victus ratio eadem, amictus ante pauculos annos, is, qui nunc est Hungaris, nobis quoque fuit, (hunc, quo nunc utimur, tantum mutuaveramus a Tataris, aliquoties profligatis; sed nunc eum tanquam suum, & quidem magno fœnore recipiunt a nobis) uno verbo, nulla cum gente magis convenire possemus, quam cum Hungarica: cum qua alias etiam multa nobis intercedunt commercia. Et quemadmodum non erraverant nostri prædecessores, quando similiter ex Transylvania Stephano Bathoreo Coronam Regni contulerant; nam felicissime & laudatissime Regno præfuit, ita nos quoque sub Rakocio idem nobis polliceri possemus: dummodo, prout dixi, Religio

Censura Polonorum de Principe Rakocio

non obstaret. Sed fortassis ille etiam idem faceret, quod fecerat Sigismundus III. qui, cum ei ad Coronam Regni oblata fuisset vocatio ea conditione, ut renunciando Lutheranæ Religioni, profiteretur Catholicam, dixerat: Propter Regnum Poloniæ non tantum Catholicus, sed & Jesuita fiam: Et omnino dicta sua reipsa probavit. Expedita de aliis etiam rebus deliberatione, statutum est, ut (siquidem ex septem Palatinatibus viri præcipui receperant sese *Zamoscium*, & solenni Juramento ad invicem sese obstrinxerant, se ad extremam usque guttam sanguinis Civitatem illam defensuros) nomine ibidem congregatorum deputentur ad Comitia Electionis ex quovis Palatinatu bini Legati (ex Palatinatu Belzensi missi erant Marchio *Pinczorv* N. *Miszkowski* Capitaneus Tiszorviecienfis, & Mart. *Bizezicki*, Succamerarius Belzensis, viri eximii; similiter factum ex aliis) qui in facie Reipublicæ præmissa manifestatione, cum Fratres suos ad præsens *Zamoscii* commorantes, non per ignaviam aut frivolam aliquam rationem, a Comitiis Electionis sese subduxisse, sed, quod bono publico Reipublicæ moti, urbis illius defensionem in se receperint, ut hosti, prosperis successibus insolentissimo, obicem ponant, quominus ulterius castra promovendo actum Electionis præpedire possit. Protestentur solenniter, ne hæc moderna propter hanc tam prægnantem rationem absentia in præjudicium ce-

cedat hisce Palatinatibus, ne videlicet propter hanc absentiam aliquis incolas horum Palatinatuum posthac a Comitiis Electionis excludere præsumat. Quod vero attinet modernum actum Electionis, declarent iidem Legati: quod si visum fuerit Regno communibus suffragiis Regiam Dignitatem alicui exterorum Principum conferre, ne id finaliter concludatur, prius quam ea de re præscriptum fuerit *Zamoscium*, ut ii etiam, qui ad præsens ibi sunt, suffragiis aliorum sua quoque in scriptis jungant suffragia. Si vero ex Sobole Regia eligere aliquem placeret: *Carolo* quidem nunc etiam per hosce Legatos, libenter omnes sine contradictione ulla conferre; (notum enim erat omnibus consilium *Uladislai IV*. qui, cum aliquando aliqui intimæ admissionis Consiliarii ab eo exquisivissent, in eum casum, si contingeret ipsum e vivis excedere, utrum de duobus Fratribus ad Coronam Regni promovendum censeret? multis & validis rationibus *Carolum*, utut natu minorem, & quidem Episcopum Warmiensem, commendavit præ *Casimiro*, (quod si aliquorum suffragia inclinent ad *Joannem Casimirum*, se nullo modo super illo consentire velle, imo solenniter protestari, se illum nunquam pro Domino suo agnituros) ille enim adhuc in juventute sua abalienaverat a se animos Polonorum, sæpius dicendo, *tam sibi exosam esse Gentem Polonam, ut canem potius aspiceret, quam*

Polonum; nec unquam prætereuntes dignatus est isto honore, ut caput aperiret. Præterea inconstantia ipsius, quod nunc *Cardinalem* Romæ, nunc *Jesuitam*, nunc neutrum horum egisset, & alii mores ejus displicuerunt omnibus)

Vix Civitate egressi sunt prædicti Legati. adfertur fama. Civitatem *Narole* oppugnari a *Chmielnicio*. Quapropter universitas illa *Zamoscii* congregata rogavit Ducem *Visniorviecium*, ut ille quoque cum Equitatu quem secum habuit, tenderet Varsaviam, ibique præsto esset Legatis in negotiis fidei ipsorum commissis, & de subsidiis sibi ferendis sollicitaret. Recessit itaque & ille relicta Civitate hoc ordine: Sub Commenda *Ludovici Wejher* Palatini Pomeraniæ, & aliorum Commissariorum. Civitas ipsa in loco plano est sita: primo a meridie abluitur ingenti stagno, ab Occasu usque ad Septemtrionem habet ablutes, sive paludes impenetrabiles: ab ortu vero fossa lata & profunda, muratis parietibus suffulta, demum muris crassissimis, & altissimis munita; in media parte murorum extendit se linea crassa per totam circumferentiam, quæ obicem ponit, ne scalæ possint sursum promoveri. Ab ista linea vero incipiendo usque ad summitatem, murus intra fossam notabiliter latius prominet. Idem murus septem propugnaculis in formam circuli erectis, æquali ad invicem distantia dispositis,

Descriptio Urbis Zamoscii

egre-

egregie munitus. Inter propugnacula vero & ipsum murum est intercapedo quædam, super quam collocantur tormenta: ex quibus omnis ad mœnia accessus ita arcetur, ut consistendi penes illa nullus sit modus nec locus. Hanc autem intercapedinem propugnacula ita circumdant, ut ne conspici quidem extrinsecus possit, nisi quis ad ipsos parietes muri accesserit. De muro vero fenestellæ pro sclopetis explodendis, ita sunt dispositæ versus propugnacula, ut, si vel avis super illis consederit, peti facile possit. Hæc autem omnia intrinsecus terra ita late sunt repleta & suffulta, ut in summitate valli currus cum VI. equis currendo in circulum ad utramque partem verti possit. Tormentorum tunc temporis tanta erat copia, ut præter ea, quæ in locis ad id destinatis sufficienter collocata fuerunt, adhuc superfuerint plurima in proximo, in eum casum, ut, si contingeret findi aliquod, in promptu sit alterum. Insuper, supra Templum etiam attracta erant aliquot longiora. Tunc temporis enim etiam ex aliis fortalitiis minoribus illuc deducta erant tormenta; pro defensione Civitatis ii tantum, quorum nomina erant in Regestro connotata, (inclusis Germanicis peditibus 1500. a Republica ad illam occasionem ordinatis, sub Commenda Domini Wejher Viri exercitatissimi) efficiebant decem millia & sexcentos, ita, ut ad singulas fenestellas quinque sclopetarii fuerint ordinati,

 quo-

quorum aliqui præsertim Nobilium etiam terna sclopeta habuerunt. Insuper in foro mille Equites erant constituti, qui in casum, si alicubi hoste quoquo modo vires sumente succursu opus esset, non denudando alia propugnacula, advolare possit. In casum vero incendii super tectis erant cadi pleni aquis collocati, quorum cura iis qui in hospitiis remanebant demandata fuit. Commeatus per Commissarios tempestive revisus, atque ita ordinatus, ut cuique juxta numerum familiæ, quam secum habuit, ad medium annum sufficeret: qui vero non haberet, excludebatur. Milites Germanici proportionaliter distribuebantur alendi tam incolis, quam qui illuc erant congregati. Pulvis pyrius sufficientissime erat comparatus. Silentium præterea indictum fuit tale, ut nonnisi mussitando alter alterum alloqueretur; ita ut Civitas tota videretur inhabitatoribus destituta. Dato autem signo, submisso clangore tubæ, quisque ad locum sibi destinatum, & bene notum properabat. Campanarum etiam & horologiorum pulsus erat prohibitus. Sed dum ad Templum eundum erat, tintinabuló signum dabatur. Suburbia magnificentissima cognito adventu hostium exuri sunt jussa. De muris erant frequentes lampades ferreæ erectæ, tædis pineis repletæ ad illuminandam Civitatem, si noctu hostis oppugnationem tentaret.

Post-

Postquam dicti Legati ad Comitia Electionis venissent, & legationem juxta præscriptam seriem in facie Reipublicæ proposuissent, jam omnium ferme suffragia (præsertim quod sub idem tempus allata fuerit Legatis Transylvanicis, qui *Rakocii* res tractabant, fama, Principem suum esse mortuum) collimabant ad *Carolum* postposito *Casimiro*.

Legati Zamoscio Varsaviam missi

Hæc dum Varsaviæ aguntur, *Chmielnitzki* adhuc ardentibus suburbiis (quorum partem remotiorem restinxerunt Cosacci usui suo conservantes) cum ingentibus Copiis (dicebatur enim habuisse illum in iis Castris octies centena millia hominum) obsidione arctissima cinxit *Zamoscium* 14. Octobris, moxque rupto aggere stagni, Civitati maxime opportuni, magnam aquæ penuriam effecit in puteis: ita, ut nulla res magis quam aquæ defectus sollicitos redderet obsessos. Putei enim interdiu ad imum usque fundum exhauriebantur, rursus noctu modicum aquæ acquirebant. *Chmielnitzki* ipse hospicium sibi fixit sub eo tecto, ubi lateres olim conservabantur in fine suburbii. Quod postquam cognitum fuisset, Magistri tormentorum, ita eo direxerunt tormenta, ut totum illud ædificium corruerit, & omnes qui intus erant oppresserit. Maximum damnum fuit quod ipse *Chmielnitzki* tunc non interfuerit. Hac tamen quasi injuria lacessitus, tertia post nocte oppugnationem tentare voluit. Sed antequam

Anno 1648 Chmielnitzki Zamoscium obsidet

assul-

assultum fecissent, versutissima gens alio loco simulabat, excitatis ingentibus clamoribus, oppugnationem, ex alia vero parte, qua murus paulo inferiores, quod ablutes propugnaculi loco haberentur, esse intellexerunt, summo silentio accedebat, sperando futurum, se superatis paludibus, admotis scalis posse conscendere murum. Sed hoc illis minime succedere potuit, Nam ad omnes casus optime provisum erat. Arte Magica, qua excellunt, futuri successus capere volentes experimentum, emiserunt de mediis castris aliquid ad instar pyroboli ardentis; quo viso omnes, qui intus erant, putarunt illos velle incendere tecta, ad quod præcavendum contulerunt se ii, qui ad tales casus erant destinati. Sed postquam illud sursum in aerem elevatum fuisset, atque plane super meditullio Civitatis hæreret, tum effusum est in longitudinem unius hastæ, & deinde cœpit sese flectere in gyrum, repræsentans formam Draconis; demum dum cauda pervenisset ad caput, cœpit illam rodere caput illud. Hæc videntes Cosacci exclamarunt in Castris suis dicentes: *Hody teper Panowe moloycy ne-nasza dola*: hoc est: *Desinite modo Domini Juvenes, quia nobis non suffragatur fortuna.* Nec quicquam tentarunt amplius, Postridie officiales Civitatis *Zamoscianæ* volentes conservare ab incendio Aulam Domini sui, quæ super colle quodam in meditullio stagni emissi, magnifici operis fuit,

Augurium Cosaccorum

fuit, miserunt ad *Chmielnicium*, faciendo instantiam, ut ei imponat præsidium & conservet intactam; qui responsum dedit, *se multum mirari, quod majorem curam habeant unius vacuæ domus, quam Urbis tot hominibus repletæ: cum non desit modus transigendi secum, dummodo ipsi deesse rebus suis nolint.* Accepto tali responso, atque communicato consilio cum Præsidibus præsidii, mittunt sciscitatum, quid intendat *Chmielnitzki?* qui responsum dat: *Quandoquidem cognitum est sibi, Dominum Urbis istius semper benigne tractasse Gentem Russorum, præterea quia jam tempus instat solvendorum Castrorum, se Milites suos in Ukrajnam reducturum, dummodo dent aliquam pecuniæ summam, ad contentandos Tataros.* Audito eo Præsides Urbis offerunt XX. M. Florenorum Polonicorum ea conditione, ut non solum hanc Aulam, de qua superius, relinquant intactam, sed simul curet, ne aliorum etiam Nobilium, in hoc tractu Aulæ, Templa & possessiones comburantur, neque subditi in captivitatem abducantur, & quam primum numerata fuerit illi summa promissa, confestim recedat in Ukrajnam.

Tractatus instituuntur

Chmielnitzki acquiescit oblata summa, & promittit se omnia præstiturum. Numeratur postridie promissa pecunia. Tum dicit *Chmielnitzki*, *jam Civitati a se nihil esse extimescendum: nihilominus tamen, quia multi milites ad Partias excursionem fecerunt*, (& omnino usque

que ad Varsaviam excurrebant, sed cis Vistulam tantum, & multum timoris consultantibus incutiebant, nonnunquam enim spargebant, Zamosciam jam esse captum) *se prius non posse recedere, donec regrediantur: interea temporis liberum sit militibus suis inermibus jumenta, & quæcunque haberent venalia, adducere versus Civitatem, assecurando posse unumquemque tuto exire ad coemendum quicquid placuerit.* Acceptatur oblatio, adducunt Tatari captivos, tum Christianos, tum Judæos, & pro levi lytro dimittunt, adducunt jumenta & pro vilissimo precio vendunt e. gr. bovem pinguem pro uno Thalero: quos licet non erat conservandi modus, sed tamen propter carnes emunt, in fossa mactant, tandem carnes & pelles per mœnia intrahunt. Vestes preciosas, Clenodia, vasa argentea, & omnis generis bona præsentant, & hæc omnia valde parvo precio vendunt. Et duravit hæc nundinatio ferme tribus septimanis post peractos tractatus, obsessis etiam non multum urgentibus discessum illorum. Placuit enim nonnullis ille quæstus, quia tamen intra mœnia in dies ingravescebat generale malum, quod nimirum plurimi equi morerentur; lucrum autem tantum ad locupletiores perveniebat: ideoque ad instantiam illorum, quibus damnosa fuit illa residentia Cosaccorum, ursserunt, ut jam secundum Pacta recederent, nec ex Civitate permittebant amplius exitum ad illas

las

las nundinas: tum *Chmielnitzki* respondebat, nec dum regressas Partias, sed prope diem regressuras.

Varsaviæ autem, dum ii, qui fuerunt a Partibus *Casimiri*, vidissent jam jamque rem eo deduci, ut potius *Carolus* eligeretur; tum *Ossolinski* Cancellarius Regni, qui erat acerrimus Promotor *Casimiri*, accedens *Carolum* plurimis rationibus, prout erat Vir & sagacissimi ingenii, & disertissimus, suasit, ut contentus sorte sua (nempe quod fuerit Episcopus) concedat dignitatem hanc Fratri suo *Casimiro*, cum etiam jure Naturæ id ei potius debeatur, quod sit natu Major; præterea, quod nullo in Regno fungatur officio, addens pro finali, quod si forsan hac in re palmam ei præripere voluerit, necessitatem eidem impositum iri extrema quæque tentandi; & quandoquidem non desint, qui ipsi quoque suffragia sua conferunt, vel ad hostes Reipublicæ confugiendi, dummodo honorem sibi debitum alteri non concedat. Unde quanta mala immineant, facile est videre. *Casimiri factio prævalet*

Quibus exauditis *Carolus* prout pius Princeps, declaravit se statim Cancellario, quemadmodum nunquam affectavit hanc dignitatem, ita nec acceptaturum vota sibi collata, potius quam tali occasione communis Patria in extremum discrimen adduci deberet. Pro qua quidem declaratione gratias egit Cancellarius *Carolo*, & rogavit, ut per proprios homines id

id

id coram Regno faciat. Misit itaque ad Rempublicam Legatos *Carolus*, per quos gratias egit pro suffragiis sibi collatis, sed siquidem jam a longo tempore sacerdotali munere perfunctus fuerit, se posthac quoque eadem sorte contentum esse velle, nunciavit: suffragia autem sibi oblata Fratri *Casimiro* detulit, simulque rogavit ut jam super eo omnes acquiescere velint propter bonum publicum, & potius consilia & vires suas convertant ad reprimendum hostem, qui tam libere per Regnum grassatur. Quapropter, ii etiam, qui hactenus erant contra *Casimirum*, tum moræ pertæsi, tum timore extremorum malorum Patriæ imminentium perculsi, suum adjecerunt *Casimiro* calculum.

Casimirus electus Rex

Tum *Casimirus* hoc modo electus Rex, peractis pro consuetudine Regni Sacris, statim ablegavit Legatum ad *Chmielnicium*, nunciando ei, se esse electum Poloniæ Regem, ideoque velle, ut cum universis copiis suis redeat in Ukrajnam, ibique declarationem gratiæ suæ per Commissarios brevi ablegandos, præstoletur.

mittit Legatum ad Cosaccos.

Qui quidem Legatus *Smiarowski* dictus, cum appropinquaret Castris *Chmielnicii*, magna cum pompa, expansis vexillis, tubis & tympanis resonantibus excipiebatur; quæ dum in Civitate conspicerentur, vexilla nimirum alia in occursum Legato, alia ad latus *Chmielnicii* concurrentia, postquam item explosio tormentorum & peditum exaudiretur, quamvis hæc om-

omnia lætitiæ alicujus viderentur signa, quia tamen quid sibi hæc vellent, sciri in Civitate non potuit; perturbantur non mediocriter omnes, metuendo ne illa prolongatio nundinarum secum aliquid inopinati mali adduceret: augebat timorem nonnullorum Cosaccorum, dum hæc fieri cœpissent, ad Castra recurrentium in hæc verba concepta exclamatio: *Oy te perze pryszol Sierota otworit do Zamoscia Wrota*, hoc est: *Jam tandem desideratus advenit orphanus, tradet Zamoscium nobis in manus*, (per orphanum designando ingens aliquod tormentum, quod olim Mosci ad *Kijoviam* cænosa supra modum via retrahere non valentes reliquerunt, ideoque *Orphanum* est dictum) Postquam prædictus Legatus *Casimiri* perfunctus fuisset legatione apud Cosaccos, confestim mittit *Chmielnitzki* ad Civitatem tubicinem, nunciando, eos, qui sunt intus, his, quæ in Castris suis aguntur, nihil debere turbari; hæc enim fieri in honorem Regis noviter electi, a quo Legatus ad se missus, sine mora etiam ad illos est iturus, itaque parati sint excipere illum more & honore convenienti, sine ulla mali doli suspicione. Responsum datur, *patere accessum Legato Regio ad Civitatem.* Nec mora, adest & ipse, qui nunciat, concordibus suffragiis electum Regem *Joannem Casimirum* in mandatis dedisse *Chmielnicio*, ut regrediatur in Ukrajnam; quanti autem faciat mandatum S. S. Majestatis Regiæ,

Nuncium de Rege electo adfertur

cra-

craſtinus hoc docebit dies, itaque ſint bono animo, & novo Regi bene precentur omnes. His exauditis, nihil aliud facere reſtabat, tantum ferre, non vero culpare, quæ nulla ratione licuit mutare, & inter exclamandum: Vivat *Joannes Caſimirus*, vivat! aliqui adjiciebant: utinam potius mortuus, quam Rex creatus fuiſſet. Peſſimum namque Omen deſignat ejus Nomen (nam in lingua Ruthena *Kazimir* ſignificat *Deſtructorem pacis*) Sequenti mane omnes Coſacci abiere, nec gratiis pro hoſpitiis actis, ſed ex promiſſis pro ſumma XX. M. Florenorum Polonicalium nihil præſtiterunt. Nam & illam Aulam ſplendidiſſimam in meditullio ſtagni exuſſerant, imputando id caſuali incendio, & omnia bona Nobilium, ubicunque attingere poterant, in cinerem redegerunt. Ita tandem ſoluta obſidio *Zamoſciana*: ſoluta & Comitia Generalia, in quibus poſt nominati Regis publicationem concluſum eſt, ut ſtatim initio anni ſequentis celebraretur Cracoviæ Coronatio, atque ibidem de omnibus quæ concernunt bonum publicum, & ſalutem Reipublicæ deliberaretur.

1649 *Coronatio Joannis Caſimiri*

Anno itaque a Chriſto nato 1649. peracta Cracoviæ Coronatione *Joannis Caſimiri* juxta antiquas conſuetudines Regni, cum tanta magnificentia ac ſi nihil adverſi accidiſſet in Regno: ſepoſitis omnibus quæ Legati Palatinatuum adferebant, privatis poſtulatis, illisque ad feliciora

ciora Reipublicæ tempora dilatis, in id ſolum omnia conſilia, ac conatus ſuos intendebant, qualiter conſervandæ ſaluti Reipublicæ proſpici quam optime poſſet. Præcipue vero quod non tantum in hoc tractu Coſacci omnia ſurſum ac deorſum miſcebant, ſed rebellionis iſtius contagio per Provinciam *Poleſie* dictam Palatinatibus *Kijoviæ* & *Czernichoviæ* & denique longo ſylvarum tractu Lithvaniæ conterminam, ſerpſerat usque in Lithvaniam Duce *Hladkio* celeberrimo inter Coſaccos Legionario. Qui tanto proſperius conatus ſuos ibi promovit, quod Dux (vulgo *Januſſius* dictus) *Joannes Radzivillius* Vice-Generalis Exercitus Lithvanici, tum & alii Magnates Lithvaniæ, Comitiis primum Electionis, & paulo poſt Coronationis occupati, tuendis locis illis, in quibus nihil tale ſperabatur, operam ſuam locare non poterant, committentes ſecuritatem Lithvaniæ Supremo Generali dicto *Kiſzka*, qui domi quidem remanſerat, ſed graviſſimo correptus morbo prout viribus, ita & conſilio deſtituebatur. Interim conatibus *Hladkii* maximum attulit augmentum frequentiſſimus in illis partibus plebis Græcæ Religionis accurſus, quo factum eſt, ut aliquot Urbes, utpote *Starodub*, *Homelia*, & alia per proditionem in poteſtatem *Hladkii* devenerint. Quapropter conſtitutum eſt, ut univerſi incolæ parati ſint ad Expeditionem generalem, quandocunque a Rege juſſum fuerit:

Interim quam citissime instituatur novus militum delectus; quo in genere primum principale visum est, ut constituatur Generalis Exercituum Regni, non tam amplis opibus, aut Majorum stemmatibus, quam Heroicis virtutibus clarus (quia autem constabat ambos anteriores Generales captos ad *Korsun*, videlicet *Nicolaum Pototzki* & N. *Kalinorvski* adhuc vivere in captivitate Tatarica, & eos, quorum intererat de eliberatione illorum sedulam adhibere curam) isque tantum substitutus, non vero vita durante, qui postquam alteruter illorum Generalium liberatus fuerit ex captivitate, sine contradictione, regimen ad præsens sibi commissum eidem deferat. Hanc ob rem ii, quibus non tam bonum publicum, quam privati honoris, & vanæ gloriæ ambitio cordi fuit, officium hoc detractarunt. Inventus est nihilominus vir, & illustri Prosapia, & rebus bello egregie gestis insignis D. *Andreas Firlej*, Castellanus Belzensis. Qui non ponendo propriam dignitatem ante Reipublicæ salutem provinciam hanc, ea, qua conferebatur conditione, subivit. Cui Dux *Jeremias Visniorvietzki*, ultro sese adjunxit, magnum hunc Senatorem universo Regno multis nominibus commendatissimum, societate sua, & cui primatum deferret, dignissimum, lubenter agnoscens. Adjuncti sunt etiam *Adamus Sieniarvski*, *Nicolaus Ostorog*, *Stanislaus Landskoronski*, & alii

Generalis designatur

alii. Hi itaque cum copiis Regni, quæ efficiebant circiter octodecim millia armatorum, versus *Ukrajnam* processerunt. *Chmielnicio* interim nomine Regis, nunciatum, ut abstineret a tumultibus, Cosaccos antiquos in officio contineret, & his servatis gratiam Suæ Majestatis expectaret. *Chmielnitzki* autem multo majora de gratia Regis sibi somniabat, vel (prout rumor ferebat, dum ad *Zamoscium* anno proxime præterito hæsisset, magnis promissis fuisse inescatum) pollicebatur. Quapropter cum vidisset non militem solum cum illis Ducibus, sed alios etiam Magnates, & ferme omnes Nobiles, qui supererant ex iis partibus, ubi seditio erat oborta, procedere cum Exercitu; & non solum stativa cohortibus ubivis distribui, sed & Dominos terrestres, quocunque pervenerant, jurisdictionem suam, sive Dominium more antiquo extendere, ac respectu proventus anni præteriti propter tumultus excitatos non percepti, quicquid apud incolas reperiri posset, ex mobilibus, utpote jumenta omnia, mel, & præstantiora legumina extorquere, & in remotiora loca transmittere; nonnullos autem in subditos suos plus justo sævire, ac voluntarios milites multas injurias exercere; rursus Tataros in auxilium advocat, & Cosaccos qua potest celeritate convocat. Qui cernentes, sibi multo pejora prioribus imminere, si iterum Domini sui rebus potirentur, tanto alacrius con-

& in Ukrajnam tendit

Chmielnitzki copias suas recuperat

concurrunt. *Firlej* vero procedendo in Ukrajnam aliquot Civitates expugnavit, præcipue *Zwiahel*, *Ostropol*, *Bar*; multa millia Cosaccorum aliquot præliis fudit, prædam insignem reportavit, de qua ad tutiora loca reducenda sollicitus commilitonibus suis in dies quam plurimis diffluentibus, hostium vero potentia magis ac magis excrescente, propositum in Ukrajnam Castra promovendi mutare necesse habuit. Postquam enim vere maturo pabulum magnis Exercitibus summe necessarium reductum fuisset, confestim *Chmielnitzki* accersito *Chano* Tatarorum, cum miriadibus illorum, magnis itineribus cœpit appropinquare castris Polonicis: quo intellecto *Firlej*, Regi hoc nunciat, simulque monet, ut cum generali Expeditione Regni adventum suum maturaret. Ipse autem cernens non fore sibi, & Regno tutum, cum tam parva manu congredi cum hoste potenti (nam multi implicati & onusti perceptis ex possessionibus suis bonis, dilabebantur) castra reduxit *Zbaraz* (Arx est fortissima in planitie patentissima) impositoque Arci præsidio, fixis castris in campo sat ab arce remoto, fossa & aggeribus eadem munivit. Quem *Chmielnitzki* cum Cosaccis (& Tatari cum tantis copiis, ut nec *Tamerlanem* majores habuisse crederetur) subsecutus, continua oppugnatione tantopere fatigat, ut necesse habuerit relicto illo spatiosiori loco contrahere castra intra aliud vallum. Ibique

Generalis Polonorum Castra reducit

que rursus per duas, aut tres septimanas sustinens impetum hostium, tandem dum nec ibi resistere potuisset, recepit se intra Fortalitium Arcis; quo ideo non se contulerat statim ab initio, ut hosti diutius se oppugnandi materiam præberet, Rex autem ad succurrendum sibi plus temporis haberet. Cum autem XVII. assultibus totis viribus attentatis nihil profecisset *Chmielnitzki*, cœpit sollicitare *Firlejum* ad ineundam concordiam: illo autem respondente concordia secum inita bellum inchoatum sopiri nequaquam posse. Sed si quid stabile in hoc negotio instituere volet, super eo requirendum esse Serenissimum Regem, & Ordines Regni; se vero juxta impositum sibi munus id acturum, quod fidelem Reipublicæ Ministrum & strenuum addeceret Ducem. Cum autem nec hac via procedere posset *Chmielnitzki* in conatibus suis, tandem cuniculis vallum subire & Castra Polonorum suffodere aggressus, huicque operi sedulo incumbens, propria autem castra novis aggeribus sine intermissione muniens, tam prope accessit, ut cum præsidiariis, præcipue in excubiis collocatis, colloqui posset. Qua opportunitate usus, cœpit Germanos sollicitare ad defectionem. Sed quia non inveniebat inter illos Germanico habitu palliatos Russos, hac quoque arte parum proficiebat; nihilominus quia militibus ejusmodi laboribus minime assuetis illud defendendorum Castrorum onus vide-

Cosacci Zbaraz obsident & oppugnant

 ba-

batur nimium grave, cœperant jam tacite tumultuari, præsentientes majora ex longiori obsidione sibi imminentia mala. His intellectis quidam fidissimi amici *Visniorviecii* cœperunt suadere, ut consulat sibi, nunciando non amplius imperio Ducum obsecundare velle Exercitum. Sed ille cum venerando Sene optime conveniens, ea qua pollebat inter omnes auctoritate militem in officio continuit, & variis modis effingendo, aliquando sagittæ alligatas, & quasi noctu ad Castra explosas repræsentando litteras, de adventu Regis cum succursu venientis, mœstos & pavidos eorundem erigebat animos. Et quamvis eo angustiarum redacti fuerint, ut coacti fuerint equina carne vesci, & aquam tabo cadaverum (quæ Cosacci studio in præter fluentem detrudebant) scatentem bibere, fortissimo animo per octo septimanas sustinuerunt molestissimam obsidionem.

Rex in succursum procedit

Interim etiam Rex per litteras ad se missas, & variis indicibus de omnibus, quæ ibi gerebantur, edoctus, non expectando donec ex universo Regno concurrant Palatinatus, sed ex minori tantum Polonia, tum etiam novis delectibus, & prætorianis militibus comparatis, circirer quadraginta millibus, qua potuit celeritate in succursum obsessis venire festinat, serio aliis etiam demandans, ut se subsequantur quam citissime, & omnino augebatur Exercitus. Dumque pervenisset versus *Zbororv*, uno cis Ci-

Civitatem milliari, ibique Castra sua penes paludes metatus fuisset, circa vesperam supervenerunt circiter duo millia Nobilium Præmislienfium & Sanocensium, qui quod tardius venissent, nec serum diei in alium ordinem redigere Castra permisisset, exterius remanserunt, loco non multum a Castris dissito. Sequenti die Rex Castra sua produxit versus *Zbororv*, cum tali ordinatione, quod postquam superasset passum penes eandem Civitatem, non debeat illa ulterius promovere, donec redigantur in talem ordinem, quo servato, cum hoste, jam tantum duobus milliaribus ab eo loco distante congredi possit: relinquens in loco quodam suspecto (per quem Tataros pro more illorum ad carpenda posteriora agmina incursuros suspicabantur) penes ruptum aggerem cujusdam stagni, præsidii loco, ducentos pedites, & 500 Equites, sub Commenda exercitatissimi cujusdam Legionarii *Korytzki* dicti. Illi autem miseri, qui pridie venerant, videntes Regem se præcessisse, scientes præterea illum, a *Zbororv* ea die non ulterius iturum, ac denique videntes, ab ea parte, unde metuendum esset, ab hoste præsidium impositum esse, justo securius discumbebant, nec prius Regem subsequi volebant, donec pransi essent. Interim circa Meridiem advolant Tatari mixti cum Cosaccis, ad eum locum ubi erat cum præsidio relictus *Korytzki*, impetumque in illum faciunt. Ille defen-

Tatari invadunt posteriora agmina & cædunt

fendit strenue. Videns autem plures supervenire catervatim, impares se ad resistendum cernens, mittit ad illos Præmislienses, ut sibi mittant succursum quam citissime.: se enim cum sibi adjunctis resistere non posse. Illi cum variis jocis remittunt Nuncium, ipsi interim epulantur. Mittit altera vice nuncians, hic valde serio rem agi, veniant sine mora, ne pereant. Tunc mittunt de medio sui ad explorandum, quid ibi agatur. Qui dum eo adveniunt, vident jam pedites a multitudine supergressa superari atque decollari, ipsum etiam *Korycium* jam fugam meditari. Quibus visis recurrunt ad suos hæc nunciaturi. Sed ferme una cum illis etiam ipse *Korytzki*. Hi autem tunc demum armabantur. Dum *Korytzki*: Domini non credidistis dictis, credite jam quæ videtis. Illis itaque a tergo sibi relictis, ipse cum suis tutius ad Castra Regis properavit. Hoste itaque circa Præmislienses remoram faciente, ipse ad Regem accurrens nunciat, quid evenerit. Jam autem cum multo majore parte Exercitus superaverat passum Rex. Audito illo malo rumore, confestim jussit, ut quotquot sunt adhuc ultra passum, recurrant ad auxilium ferendum. Interim illi miseri ad internecionem deleti. Hostes autem sumto animo, abjectis equis lassis, incredibili celeritate procurrunt ad Castra Regis, cohortesque sibi occurrentes sine quovis ordine profligant, alios in fugam conjiciunt,

ciunt, & rebus sibi optime succedentibus perveniunt usque ad Castra. Sed quia invenerunt currus in illo passu, ex occasione istius insperati mali (omnibus prius transire conantibus) ita complicatos, ut unicus etiam pedestris difficile potuisset transire, tum a curribus, tum ex Civitate (in qua collocaverat Rex 1500. pedites Germanicos) emissa crebra glande sclopetaria, non sine notabili damno suorum rejecti, recesserunt. Sed & ex Polonis aliquot hastatorum cohortes, quod non servato ordine sparsim se in campum effudissent, & alii optimi milites supra quater mille periere: inter cœteros *Baldvinus Ossolinski* Capitaneus Stobnicensis, *Felicianus Tiszkiervik*, & *Stanislaus Rzetzytzki*, vir, prout in aliis occasionibus, ita vel imprimis bello in Moscovia tempore *Uladislai* IV. gesto, valde celebris. Nec multa interposita mora, per illum, per quem venerant, regressi trajectum cum magno rursus Exercitu, sed confuse, mixti Tatari cum Cosaccis, a fronte cœperunt adoriri Castra Regis. Sed quia aliter paratos invenerunt, quam illos in posteriori agmine, nihil proficiebant, imo quia proxime admittebantur ad instructam aciem, ex tormentis incognite dispositis multi cædebantur. Ad præliandum enim (quod jam sol ad occasum vergeret, multi autem currus adhuc ultra passum remansissent) non videbatur consultum educere milites; sed tantum instructa acie

Rursus a fronte hostis Polonos adoritur

acie late ſeſe extendente (nimirum ab ipſo ſtagno, quod ſiniſtrum latus Caſtrorum Polonorum claudebat, usque ad paludes dextram alam tutantes) lente Rex producebat exercitum, viam patefaciendo tormentis, atque hoſtem, ne campum præoccuparet, deturbando. Poſtquam autem in tantum produxiſſet Caſtra, ut & currus, ſuperato paſſu in carraginem reducti, & Germani ex Civitate deducti fuerint: tum munitis bene Caſtris, ſcilicet, conſtitutis de curribus quaſi propugnaculis aliquantum extra Caſtra eminentibus, illisque frequentia peditum munitis, videns Rex hoſtem audaciſſime invehi, plane ad ipſam usque phalangem ſuam, jubebat modo hunc, modo alium Legionarium, ut proſiliret in hoſtem. Sed quia non mediocriter perturbati illa recenti fratrum ſuorum clade, non valde obtemperabant: quo viſo Rex & ipſe conturbabatur. Tum *Stanislaus Sarbiewski* Capitaneus Grabovicenſis accedens Regem, ait: Ideo huc venimus, ut pro incolumitate Tua etiam vitam deponamus: itaque impera, quicquid lubet. Quo audito jubet, ut dicta facto comprobet. Qui cum tribus millibus militum levioris armaturæ ſubito proſiliens, atque fortiſſime tergoribus illorum inſiſtendo complures proſtraverunt. Sed dum procul a Caſtris excurriſſent, juſſit Rex Legiones illas ſubſiſtere. Tum hoſtis videns ſibi etiam rem cum viris eſſe, non amplius noſtros infeſtavit.

Rex

Rex vero ex illis Legionibus crebras excubias circa Caſtra collocari juſſit. Interim certamen diremit nox ſuperveniens, qua in ſilentio transacta, ſequenti die, quanquam omnes ardentiſſime deſiderarent prælium, commodiſſimum ad id nacti campum; præſertim quod a ſiniſtra ala loco muri habuiſſent ſtagnum inſuperabile, a dextra autem ablutes, ægre pedeſtri alicui penetrabiles, intermedium vero locum totum phalanx occupabat: poſteriora denique agmina claudebat paſſus ille, de quo pontes tumultuario opere confectos disjici jam Rex curaverat. Qua denique caſtra producenda eſſent, usque ad ipſam Arcem *Zbaraz*, (ubi erant obſeſſi) duobus tantum milliaribus diſtantem, nullum erat obſtaculum. Denique Magiſter Artilleriæ *Christophorus Arciſzervski*, vir bello exercitatiſſimus, (qui in Hollandia heroicis virtutibus ſuis officium Admiralatus conſecutus, eodemque aliquot annis ſumma cum laude perfunctus, tandem in Patriam revocatus, hocce munere condecoratus fuit) animabat Regem aſſerendo, quod, etiamſi quatercentena millia hoſtium contra ſe venirent, ſervato iſto ordine, tutiſſime ſit congreſſurus, & Caſtra intacta ad illos usque obſeſſos deducturus. Solus tamen *Oſſolinski* Supremus Regni Cancellarius (quem domi Leone animoſiorem, in prælio lepore timidiorem fuiſſe, nulli non erat notum) induxit Regem, ut non conjiciendo in diſcrimen

per-

personam suam, pacisceretur cum Cosaccis; offerens se id honestissimis conditionibus effecturum; quod facile poterat sibi polliceri, quia adhuc vivente *Uladislao IV.* amicitiam contraxerat cum *Chmielnicio*, prout hoc superius expositum est. Itaque a parte Regis per dictum *Ossolinscium* & *Kisielum* Palatinum Kijoviæ; a parte vero Tatarorum & Cosaccorum per *Vezirium Hani Seferkazium* & *Sulmazium Aga*, initi sunt Tractatus. Quorum quidem Tractatuum hæc erant præcipua Capita: *Inter Serenissimos Joannem Casimirum ejusque Successores Reges Poloniæ, & Islan Gerejum Hanum Tatarorum, ejusque familiam Gerejam, sit pax, amicitia & fraternitas in perpetuum. Serenissimus vero Rex Joannes Casimirus ex liberalitate sua in contestationem Fraternitatis ad præsens, dat munus*, (notabilis summæ pecuniæ, pro qua exsolvenda ii, qui pugnatum venerant, in instanti contribuebant, quantum quisque potuit) *in posterum vero solvat Tataris stipendium militare, jam dudum ab Antecessoribus Casimiri denegatum. Quo accepto Chanus Tatarorum cum universis copiis suis adsit contra quemvis hostem Regis, quoties a Rege vocatus fuerit.* Ad instantiam ejusdem Chani Tatarorum *Rex Cosaccis omnium facinorum det perpetuam Amnestiam, illosque in gratiam suam recipiat: Antiquas Libertates tum Cosaccis, tum Religioni Græcæ restituat: Archimandritam Kijoviensem more aliorum Episcoporum Catholicorum, recipiat in Ordinem Senatorium: & ab hinc omnes dignitates & Officia in Palatinatibus Czernichoviensi, Kijoviensi, Bratslaviensi hominibus Religionis Græcæ conferat: Termini Cosaccorum ad Horyn fluvium se extendant: ultra Horyn vero nec ullus Magnatum, aut Nobilium quicquam Juris sibi prætendat, nec miles ad hyberna unquam collocetur: Chmielnitzki in officio Generalatus Zaporoviani per Regem confirmetur, nec ab ullo alio, nisi ab ipso Rege dependentiam habeat. Czebryn Civitas ad Generalatum Zaporoviensem, prout Bar Supremo Generali Exercitus Regni confertur, cum suis reditibus perpetuo resignetur; Cosacci vero deposita hostilitate, in fidelitate Regi debita permaneant. Quæ quidem, postquam Juramento Regis, & Senatorum, qui secum erant, ab altera vero parte Chani tum Chmielnicii, & aliquot Cosaccorum confirmata fuerint, obsidionem Zbaraziensem in instanti solvant, neque egressis inde militibus ullo modo passum præpediant, aut insidias struant: Sed, tum Tatari, tum Cosacci copias suas dimittant, & ad sua quisque loca reducant. Quod si Pacta hæc vel a parte Polonorum, vel a parte Cosaccorum violata fuerint, habeat plenam authoritatem Chanus, parti læsæ, contra violantem illæsa amicitia, cum copiis suis subvenire.* Post præstitum utraque ex parte Juramentum, Chano concessum est cum Rege sedere; *Chmielnitz-*

nitzki vero supplex accedens, in hunc modum Regem salutavit: *maluisse se egregiæ Regno præstitæ operæ conscium, quam tanto sanguine effuso erubescentem, venire in conspectum S. Majestatis Regiæ: Sed quia fatis aliter est visum, jam Clementiam S. Majestatis, pœnitentem, ac supplicem orare:* Cui, nomine Regis, responsum: *Tantam inesse S. S. Majestati Regiæ innatam clementiam, ut pœnitentiam potius delinquentium, quam pœnam videre velit. Quapropter, quamvis multum offensa fuerit Sua Majestas iis, quæ patrarunt Cosacci, hoc tamen totaliter illis condonare, dum modo fidelibus servitiis ea velint compensare.* Quod facturum se iterum *Chmielnitzki* promisit. His confectis Rex contulit se ad *Gliniany*, cum Castris quæ secum adduxerat. Ad denuncianda autem obsessis Pacta, atque vigore illorum ad solvendam obsidionem, misit Legionarium quemdam dictum *Minor* cum Cosaccis, qui una cum Tataris a Castris Regiis recesserunt quidem, sed perveniendo ad *Zbaraz*, non prius prædictum *Minor* transmittere ad obsessos, & ipsam obsidionem solvere voluerunt, donec Tataris notabilem aliquam summam solverent. Verum illi, ne obolum quidem se daturos, sed potius ad extremum halitum pugnaturos declararunt; qua de re dum integro ferme octiduo inter utramque partem disceptatum fuisset, adfertur fama de insigni suorum per *Radziwilium* clade, & nece *Hladki*; qua accepta confestim a *Zbaraz*, cum universis copiis tam suis, quam Tataricis recessit, & illum Legionarium a Rege destinatum, nempe *Minor*, remisit; qui nomine Regis *Firlejo* pro insignibus ejus fatigiis, & Heroicis in ista obsidione exantlatis facinoribus, obtulit Palatinatum Sendomiriensem: *Jeremiæ Visniorviecio*, uti fido Achati ejus Capitaneatum Præmisliensem; *Nicolao Ostorog*, Capitaneatum Kizynensem; *Landskoronscio* Palatinatum Bratslaviensem; *Sieniavio* Capitaneatum Leopoliensem; *Rozrazevio* Capitaneatum Stobnicensem; *Kiczabytovio* Capitaneatum Tarnogoriensem, & aliis varias, juxta merita dignitates. Sed judicio omnium nihil tam eximium conferri potuit, quin virtus fortissimorum virorum ampliora meruerit. Digna etenim etiam apud seram posteritatem summa veneratione constantia! Exercitus exiguus, nimirum novem duntaxat millibus constans, (nam cœteri voluntarii relicto *Firlejo*, cum spoliis domum regressi erant) omnem Taurici Principis, Russiæque potentiam integris duobus Mensibus, inter acerrimos oppugnationis perpetuæ conatus, inter admota varii generis machinamenta, in tantis loci angustiis, in tanta commeatus penuria, ut equina carne vesci necessum haberent, inter tot cadaverum fœtores, denique nulla spe eliberationis affulgente, sustinuit! Quæ quidem Pacta quam grata fuerint iis, qui cum Re-

Rege fuerunt, ad *Zbororv*, patet ex eo, quod sequitur colloquio, per aliquem Aulicorum processum hunc perstringentem, composito, & ibidem publicato, in quo, postquam jam novi Amici, nempe Rex Poloniæ, Hanus Tatarorum, & Episcopus Russorum ad confirmationem novæ amicitiæ confluxissent, ac familiariter secum epulati fuissent, introducuntur loquentes: Cancellarius Regni ille *Ossolinski*, *Kisiel* Palatinus Kijoviensis Græcæ Religionis, coadjutor Cancellarii in conficiendis Pactis, denique Fidicen quidam Regis *Grembofzorvski* dictus.

Colloquium factum

Cancellarius loquitur Regi cum Hano sedenti:

Ecce quam pulchrum & quam jucundum fratres habitare unum!

Rex Cancellario:

Nos quidem solus conjunxit Amor, tibi vero servatæ, patriæ debetur honor.

Cancellarius de Kisielo:

En servator Patriæ, surge dilecte mi, coronaberis.

Episcopus ille nova dignitate donatus ad eundem:

Tu es Decus Ruthenorum: Tu gloria Schismaticorum!

Kisiel ad eundem Episcopum:

Sedebis & Tu super duodecim Tribus Israel (hoc est in Senatu)

Grem-

Grembofzorvski arreptis lyris canit:

Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea.

Tum ad hæc Cancellarius:

Accipe mercedem Fili, quam meruisti! Et porrexit ei Privilegium super Capitaneatum Vrzendoviensem. Cujus quidem Capitaneatus nuperrimus Possessor *Stanislaus Rzeczytzki*, in prælio nudius tertius ad *Zbororv* cum Tataris commisso occubuerat. Filius vero ipsius, qui una cum Patre fuerat in castris, postquam corpus illius de loco, ubi erat prælium commissum, retulisset, simulque Privilegium novum, plane eadem de manu a Rege super aliquod officium collatum (fuit namque optime de Republica meritus; & sanguine Patris madens) Regi repræsentans rogasset, ut (quandoquidem parens suus a multis annis adhuc prædecessori fratri Suæ Majestatis cum dispendio salutis, & fortunarum suarum inserviens, ac porro a sua Majestate hocce novo beneficio, ad demerendam suam quoque gratiam incitatus, provolans contra Hostem, prius vitam amisit, quam collata sibi dignitate gaudere potuisset) recepto hocce noviter collato Privilegio, sibi conferatur solum ille Capitaneatus Vrzendoviensis, quo Parens suus compluribus annis fuerat perfunctus, offerendo se quoque exemplo Patris Gratiam Suæ Majestatis totis viribus demeriturum. Nec tamen potuit hoc a Rege obtinere, sed

 obti-

obtinuit Fidicen, minime huic muneri accomodatus. Quo facto, multo plurium de se bene mereri studentium animos a se Rex abalienavit, quam collatione beneficiorum iis, qui ad *Zbaraz* heroice illa promeruerunt, sibi conciliavit.

Postquam vero ii, qui erant obsessi, cognoverunt, quibus conditionibus fuerit compactum, dentibus ferme fremebant contra Cancellarium; quod tantam labem sine ulla necessitate Regi affricuisset; idque tanto magis, postquam cognitum est, qualiter in Lithvania successerit *Radzivilio.* Ille enim postquam regressus fuisset ex Coronatione in Lithvaniam, Supremo Generali lecto graviter affixo, assumens in se, uti Campi Marschalcus, tuendæ Lithvaniæ provinciam, cum in subito casu non potuisset habere sufficientes copias ad obsistendum in campo potentiæ Hostium, majores nihilominus vires in dies cogens præcipua fortalitia præsidiis munivit: præcipue Civitatem *Bichoviam* committens tuendam *Joanni Pacio*, *Vladislao Wolorvicio*, & *N. Sapiehæ*, adjungens iisdem Nobilitatem Provinciæ *Orsa* dictæ; qui strenuissime, ac felicissime hosti sese opposuerunt. Civitati vero dictæ *Slutzk* (quæ erat *Boguslai Radzivilii*) Gubernatorem imposuit *Joannem Sosnorvski* Dapiferum Vilnensem, qui illam mascule defendit. *Pinsko* interea Urbs frequentissima, ac populosissima proditione Civium in potestatem hostium devenerat; sed alacri

cri virtute *Mirscii*, Præfecti Excubiarum Exercitus Lithvanici, *Alexandri Komorovii*, nec non *Samuelis Corvini Gonsiervski*, tum *Pauli Niervirovii*, & *Lucæ Jelscii*, ac complurium aliorum ad restinguendum incendium illud, certatim concurrentium, cæso *Hladkio*, & universis Cosaccis, qui cum illo intus erant, est recuperata. Quia autem facta fuit præcipuum receptaculum rebellium, ad incutiendum terrorem aliis perfidia laborantibus flammis ferroque consumpta, præda vero militibus concessa. *Czerocoviæ* quoque ab *Horscio* notabiliter erant profligati Cosacci. Postquam autem ex variis partibus, tam stipendiarii, quam Magnatum milites ad latus *Radzivilii* complures confluxissent, ut justum Exercitum constituerent, dum Castra sua promovere cœpisset *Radzivilius* versus Borysthenem, ad famam adventus ipsius aliquot Civitates, quæ sese jam addixerant Cosaccis, sponte sese rursus dediderunt, utpote *Turovia*, & *Grodek*, pro quo gratiam ejus sunt experti; deinde Castris productis ad Civitatem *Mozyr*, (quæ contemptis omnibus ad pacificationem invitationibus, per *Parolorvium* & *Mirscium*, qui tum aliqua manu militum præcesserant, oblatis, obstinatissime a rebellibus, Duce *Michnenko*, defendebatur) tandem eo perveniens totis viribus impetum in illam fecit, exactoque in acerrima ejus oppugnatione aliquot dierum spatio, denique vi magna illam ho-

hosti eripuit, cæsis defensoribus; Ductorisque rebellium Caput, manu Carnificis amputari, & ad deterrendos alios de Turri Arcis suspendi curavit. Inde progressus est ad Civitatem dictam *Bobrojsko*, sitam ad fluvium *Berezina*, quam circumsederat *Wolorvicz Gondsiervski*, & *Matthias Frondzkiervicz*, & illis quidem parum, aut nihil proficientibus, supervenit ipse Dux *Radzivilius*, cujus adventu perterrefacti oppidani, confestim clementiam illius implorarunt. Qui declarans se etiam parcere scire subjectis, supplicibus hac conditione gratiam concessit, ut inhabitantes universi, ac singuli, egressi mœnibus suis, arma ad pedes suos deponerent, & Principales rebellionis in manus suas traderent. Quod cum (malignitatis suæ conscii) facturos Cives vidissent, conscensa lignea turri, mortem sibi, quam a Victore detrectabant, flammis subjectis accelerarunt. Cum autem bene adustus Dux Rebellium *Poddubitzki* dictus, refrigerium ac conservationem vitæ ab alio elemento quærens in profluentes aquas sese præcipitasset, ex iis extractus, atque in manus Victoris traditus, palo est insutus. Tandem *Radzivilius* gravi morbo correptus, curandæ valetudinis causa, ad propria redire est coactus; ideoque interim non ulterius Castra promovere voluit; solummodo demandavit Officialibus suis, quatenus sedulam adhibeant curam,

ram, ne novos tumultus iterum alicubi sinerent exoriri.

Quod postquam relatum fuisset *Chmielnicio*, mox expedit *Eliam Holota*, præ cœteris Cosaccis rebus fortiter contra Turcas in variis occasionibus gestis, bene clarum, qui properans in Lithvaniam cum valido Exercitu, cui innumera plebis agmina in dies accedebant, atque sciens Exercitum Lithvanicum dispositum esse circa fluvium *Pripet* dictum, ex improviso impetere illum voluit, & parum abfuit, quin suffuratus fuisset de minus cautis victoriam: quia tamen casu aliquo delata fuit fama insidiarum ipsius ad aliquos Legionarios Lithvanicos, nempe ad *Falencium* & *Gonsievium*, & Præfectum Peditum dictum *Donarvey*, ideo abjecta cunctatione, opinione hostium citius in occursum venientes, *Holotum* illum in turpem conjecerunt fugam, qui compulsus ad loca uliginosa, ex quibus explicare se minime potuit, atque ex omnibus partibus circumventus, ad internecionem est deletus, & ipse obrutus. Sic *ars deluditur arte*.

Sublato *Holota* in locum ejus jussu *Chmielnicii* successit *Stephanus Podobaylo*, qui *Borysthenis* & *Zulæ* fluminum confluentium ripas insedit, & variis modis munivit; *Lojow* vero Civitatem ad Borysthenem sitam, tum & arcem, ne Lithvani usum earum haberent, excussit; contra quem adveniens *Vincentius* Gond-

Gondsiervski cum strenuo peditatu, ferme jam statione illa eum deturbaturus erat; interim plus quam cum XXX. M. supervenit alius Cosaccorum Ductor *Krzyczervski* dictus, (natione quidem Polonus, sed in prælio ad *Korsun* captus, & per *Chmielnicium* ob respectum veteris amicitiæ, quæ inter illos olim intercesserat, de manibus Tatarorum eliberatus, atque variis *Chmielnicii* tum blanditiis, tum largitionibus in partes Cosaccorum pertractus, mox validi Exercitus Ductor est constitutus) cujus adventu cognito *Gonsiervski*, cum peditatu suo ad tutiora se contulit; interim *Radzivilius* recuperata valetudine sua, ad Exercitum suum rediit, atque Castra ad Civitatem *Bobrojsko* fixit.

Krzyczervski vero, postquam vidisset *Gondsievium* manus suas evasisse, præ se ferebat se tendere ad Civitatem *Rrzeczytra* dictam, ad fluvium *Pripetium* loco valde opportuno sitam, re autem vera Castra *Radzivilii* impetere voluit, remque tam caute egit, ut quamvis *Radzivilius* nunc *Samuelem Komorovium*, nunc *Adamum Parolowicium* (viros tractandi talia bene gnaros) speculatum expedivisset, illos tamen ad alium passum intentos ita elusit, ut prius ad Castra *Radziviliana* advolasset, quam adventum illius Dux *Radzivilius* præsensisset. Sed quia Dux solertissimus ad omnia momenta habuit Exercitum paratissimum, ista celeritas ho-

hostis caruit optato successu. Primus namque *Lucas Chodkiewicz* cum prætorianis velitum turmis, & 400 peditibus, subitaneum illum hostium impetum sustinuit tantisper, donec reliquus Exercitus *Radzivilii* ad subeundam cum hoste pugnam optimo ordine sese expedivisset, & mox *Gondsievius*, & *Nierviarovius* cum turmis hastatorum tanta vi in hostem confertissimum irruerunt, ut sinistra ejus ala ferme profligata in sylvam sese recipere coacta fuerit. Sed Sylvam tanquam propugnaculum nacti, atque ex equitibus pedites facti, multos insequentes sese Lithvanos crebra, atque scita explosione sclopetorum, postraverunt; at supervenientibus novis *Radzivilii* cohortibus, in penitiores sylvas sunt compulsi, & plane dispersi; ad quos persequendos dum aliquot cohortes justo longius a Castris provolassent, Cosacci paucitate illorum contempta, jam plane illos ex omnibus partibus circumvenerant. Ecce autem *Comorovius* opportunissime ex illa Partia rediens, atque ex strepitu armorum, quid agatur cognoscens, insperato super tergora hostium accursu, sociis suis salutem attulit, hostem vero ingenti terrore perculit, adeo, ut insidias studio sibi structas suspicatus, maturare regressum ad proximiores sylvas consultissimum putaret, ibique mox vallo tum ex concædibus, tum ex cadaveribus cæsorum, tumultuario opere sese munivit; quem oppugnare dum Lith-

 vanus

vanus miles summo conamine contendit, Cosaccis ex variis lateribus glandem sclopetariam crebro evomentibus, notabile damnum præsertim in equis reportavit: inter cœteros *Gondsievius* Palatinus Smolescensis, equum saucium ibi amisit, & ipse ictu globi in pectus læsus, ac nonnisi manibus astantium asportatus, vix evasit. Quapropter cœteri referre pedem ad castra necessum habuerunt; qui regressi atque cum illis, qui adversus alam dextram dimicabant, conjuncti, tanta vi impetum in Cosaccos fecerunt, ut illos plane deleverint.

Dum hæc aguntur, ille *Podobailo*, de quo superius dictum est, cum quindecim millibus peditum, navibus impositorum, cursum suum eo dirigebat, ubi *Krzyczervium* inventurum se sperabat, ignarus quid ei interim evenisset. Sed quia plane jam post bellum auxilium ei ferebat, seipsum sociis non inventis in exitium præcipitavit: quod tamen evitare volens, munitionem in citeriori ripa subitaneo opere cœpit erigere. Contra quem *Radzivilius* validas turmas, tum equitum, tum peditum expedivit, quibus non multum proficientibus ipse denique spe ea fretus, *Krzyczcervium* aut jam perisse in sylvis, aut ad tam remotos sylvarum saltus sese recepisse, ut inde nonnisi ad aliam partem exitum attentet, relicta pro præsidio Castrorum aliqua parte peditum, cum lixis atque calonibus, cum pedidatus potiori parte ita hostem invasit, ut mi-

milites quidem sui plurima illaque gravissima vulnera acceperint, sed Cosacci tam acri oppugnatione tantopere consternati, ut videntes salutem sibi nonn si in transnavigatione ad alteram ripam restare, dum certatim ad naves concurrunt, plurimi in fluvium detruduntur, ut non aliter quam anates in paludibus, ita crebra nantium capita insequentibus se exposita, continua sclopetorum explosione globis transfigerentur, paucissimis huic discrimini exemptis.

His confectis supererat adhuc carrago *Krzyczevii*, contra quam *Radzivilius* ut plena potiretur victoria (ipse cum equitatu, quasi jam perfunctus munere suo, eminus eventum rerum præstolando) expedivit pedites alios, quos pro præsidio Castrorum reliquerat, dum Ductoribus *Mirscio*, excubiarum Magistro, *Reinholdo* de *Tisenhausen*, *Noldio* & *Vechmano*, qui dum in expugnatione illius carraginis triplici ordine curruum concatenatorum munitæ desudant, en *Krzyczervski* ex sylvis in auxilium suorum prorumpit; quo cognito *Radzivilius*, quod ex latebris in patentem campum prosilierit, sine mora confertis agminibus, imprimis autem præmissis hastatis, & mox aliis, atque aliis illis succedentibus, impetum in eum fecit. Qui sustinere Lithvanos non valens, dum rursus recipere se in interiores sylvarum recessus antehac variis modis circumseptos, contendit, in occursum sibi venientem reperit *Parovi-cium*,

cium, illum qui adhuc cum *Comorovio* ad Partiam emiſſus, atque longius progreſſus, hucusque extra Caſtra ſtrepitu armorum horrendum in modum reſonantia, commoratus, tandem, id, quod longiore mora neglexerat, compenſare volens, tanta alacritate in hoſtem fugientem eſt invectus, ut plane ſiſtere fugam coactus fuerit *Krzyczervski*, & tandem a fronte *Parolorvicio* ſeſe remorante, a tergo vero *Radzivilio* acerrime inſtante, cum ſubſiſtendi nullum videret facultatem, ſparſim, quocunque alicui ſemita patuit, diſſipati ſunt omnes, & denique uſus iſta commoditate, (quod *Radzivilius*, nocte pugnam dirimente, relictis in excubiis pro neceſſitate militibus, corpus Exercitus ſui reduxit ad Caſtra, primo mane denuo pugnam reſtauraturus) cum ſumma animi perturbatione, relictis omnibus impedimentis, quæ fugæ obicem ponere poſſent, in abditiſſima nemora ſeſe ſubducere ſatagit. Sed quia aliquot vulneribus fuerat confoſſus, eamque ob rem continuandæ fugæ minime idoneus, a ſuis præſentiſſimum periculum moram ſibi allaturam prævidentibus, vix ſemivivus in via relictus, in poteſtatem Lithvanorum die ſequenti devenit, & ita tandem animam efflavit. Poſtmodum Caſtra etiam *Krzyczevii* univerſa ſunt diſſipata, ex quibus præter commeatum, exilia pro ingentibus laboribus, & multo ſanguine tulerunt ſpolia.

Hæc

Hæc tam inſignis & memorabilis *Radzivilii* victoria, ad notitiam quidem Regis, tam ſubito (quod omnes viæ a Coſaccis obſeſſæ fuerint) pervenire non potuit; ſed *Chmielnitzki* per homines ſuos de omnibus edoctus ad paciſcendum atque pactis ſatisfaciendum impulſus, attentare nihil amplius auſus, & ipſe cum Tataris a *Zbaraz* receſſit, & Exercitum, quem ad ſuppetias *Krzyczevio* ferebat conſtantem LX. M. Duce *Zlotarenko* ordinaverat, cum jam fluvium *Pripetium* trajicere cœpiſſet, revocavit.

Rege autem adhuc cum Caſtris ad *Glinianу* commorante, quam primum allata fuiſſet fama, obſeſſos ad *Zbaraz* jam defacto eſſe dimiſſos, quisque Nobilium ad ſua, nec petita a Rege licentia, regrediebatur. Rex quoque Varſaviam rediit, aſſignatis Quartiriis idoneis iis, qui obſidione *Zbarazienſi* erant liberati. Quia vero in dies magis culpabant ferme omnes illa Pacta, hac occaſione multa contra dignitatem Majeſtatis Regiæ eveniebant, quæ ſtudio omitto, ne injurius videar erga S. R. Majeſtatem, veritatem exponendo. Neque permanſerunt diu ſuo in robore iſta Pacta; nam & miles ad Hyberna per *Ukrajnam* conſtitutus, illa deſpiciens, ubicunque libuit, & licuit graſſabatur, nullo habito reſpectu finium ditionum Coſaccicarum, Pactis circumſcriptarum; & *Chmielnitzki* non contentus ea eſſe Juramento Regis con-

Anno 1649

confirmata, in Comitiis Regni Generalibus Anno 1650. Varsaviæ celebratis per quendam subititutum porrigens supplicem libellum, requisivit Regem, *ut sæpe dicta Pacta Juramento quatuor primariorum Senatorum Regni confirmarentur, & ut iidem majoris securitatis gratia sibi pro obsidibus fidei darentur; præterea, ut ex tota Russia Uniti* (hoc est, tales qui Religionem Græcam profitentes, cum Catholicis inierant tale Pactum, ut quamvis in quibusdam Articulis fidei inter se dissentiant, nihilominus Sacerdotibus Catholicorum licitum sit ingredi Templa Russorum, in illisque sacra sua administrare; vice versa autem Russis liberum sit idem facere in Templis Catholicorum. Et Catholici quidem concessa sibi facultate fungebantur: quando vero Russi in Templis Catholicorum idem facere voluerunt, tanquam rudes, ac barbari sannis ab auditoribus excipiebantur; quod cum uni & alteri evenisset, cœteri hoc nec attentare ausi) *& Templa Catholicorum tollantur, una cum universis Nobilibus: nec quicquam Juris sibi in illa loca prætendant, sed ut Cosacci liberi, ac immunes in Palatinatibus Czernichoviensi, Kijoviensi & Bratslaviensi perpetuis temporibus permaneant.*

Anno 1650

Quod quidem *Chmielnicii* postulatum iniquissimum esse, ideoque minime concedendum censens Respublica tota, nimirum, ut Rex recipiens semel Gentem liberam in Patrocinium suum,

suum, & plenarius ejusdem existens Dominus, Provincias Regni concedat alteri, idque mancipio suo; ideoque unanimiter institerunt omnes, ut potius, ceu verus Herus ineptas quisquilias Domus Reipublicæ mature everrat, promittendo se in eo effectuando minime defuturos, dummodo & ipse non desit. Quapropter in iisdem Comitiis decernendo, (non quidem aperte bellum contra Cosaccos, sed tantum) defensionem Regni necessariam, statutum est, conscribenda esse quinquaginta millia stipendiariorum, & Expeditionem in bellum totius Regni Generalem submittendam arbitrio Regis, & quandocunque Suæ Majestati visum fuerit *litteris Restium* primis, pro binis, præmissis, ad secundas quasi jam tertias, ad Castra esse conveniendum. Et ibidem stipendiarii Militis Regimen rursus commissum est *Potocio* Supremo Exercitus Regni Generali & *Calinovio* Marschalco campi, (jam enim liberati erant interea ingenti lytro ex captivitate Tatarorum) quibus *Firlej* utpote substitutus, lampada, cursu feliciter ac laudabiliter peracto, libenter tradidit.

Litteræ Restium

Chmielnicio autem ad illam supplicationem datum est cautum responsum, promittendo Commissarios Regni expediendos fore *Kijoviam*, cum plenaria plenipotentia componendi omnes prætensiones Cosaccorum; & *Kiselum* posthac semper Kijoviæ mansurum, ad præcavendum, ne aliquid a parte Polonorum contra

tra Conclusiones Commissariorum exorbitetur. Et Commissarii quidem stabiliendæ pacis gratia, *Kijoviam* cum aliqua manu militum expediti sunt; sed *Chmielnitzki* cernens, quod Episcopus ille alias Archimandrita Kijoviensis, qui juxta Pacta *Zbororviensia* in Ordinem Senatorum cooptandus erat, promissa dignitate frustratus fuerat; cernens item quales insolentias miles Quartanus in *Ukrajna* exerceret; audiens prætera de novo apparatu belli, exindeque conjiciens, Pacta illa, quæ ad *Zbororv* extorserat metus, non fore diuturna; non contentus Responso sibi ex Comitiis allato, cœpit aliter Consilia sua dirigere. Ante omnia misit Legatum ad Hanum Tatarorum, nuncians ei Pacta *Zbororviana* per Polonos jam esse annihilata, simulque rogavit, ut juxta obligationem suam sibi, tanquam Parti læsæ auxilium ferret: prætera Cosaccos & universam plebem ad arma excitat, ac convocat. Repullulantibus itaque rursus sedititionibus Cosaccorum, Commissarii illi a Regno Kijoviam expediti, videntes se nihil in finem feliciter deducturos, regressum ad Regem parant (interim delectus militum per universum Regnum alacriter instituitur) quibus quotidie plures sese adjungebant milites, ac Nobiles, qui freti Pactis Zborovianis, cum præterea destituti fuerint omni vivendi modo, partim in Ukrajnam, partim trans Borysthenem sese contulerunt, manifesta indicia novorum tu-

tumultuum videntes, percepto exiguo aliquo ex bonis suis proventu, frequentiori Compania aucti, libenter ad tutiora loca remeabant; qui vero ad remotiora loca exiverant, neque ita subito extricare se poterant, Cosacci in illos valde hostiliter, ac crudeliter grassari cœperunt. Quod postquam relatum fuisset Ducibus Exercitus Polonici, *Potocio* nimirum & *Calinovio*, cœperunt vere ineunte Anno 1651. contrahere copias militares circa *Bar.* Quo intellecto 1651
per exploratores suos *Chmielnitzki*, simulata fama mortis suæ, Legionarium dictum *Naczai*, cum selectissimis Cosaccis contra illos expedivit. Hic itaque omnia igne, ac ferro miscens, processit usque ad Civitatem dictam *Crasne*. Sed nec Duces Polonici rem oscitanter egerunt: audientes namque *Naczajum* circa Bratslaviam & Podoliam versari, atque alacriter Cosaccos congregare, adhibita solerti celeritate, atque famam adventus sui præveniendo, cum non contemnenda manu militum, in Civitatem *Crasne*, quo se receperat *Naczaj*, ex inopinato irruunt, illumque somno, ac mero sepultum adoriuntur. Qui tamen insperato strepitu armorum Polonorum expergefactus, mox fortiter resistere cœpit, adeo, ut plane necessum haberent antecessoriæ cohortes Polonæ retrocedere ex Civitate. Verum accurrentibus pluribus, & rem viriliter agentibus, rursus repressus est *Naczaj*, atque globo trajectus, recepit se in Ar-

Arcem, quam tribus diebus (alias Bacho non vero Marti dicatis) pertinacissime defendit, nihilominus Polonis, sine intermissione maximo cum impetu eam oppugnantibus. *Naczajo* interim ex accepto vulnere extincto, tandem dicta Arx in potestatem Polonorum devenit. In cujus oppugnatione, siquidem multi Polonorum occubuere, ideo obtenta victoria, & Cosaccos & Plebem ad internecionem deleverunt. Vulnera autem, & fatigia in oppugnatione exantlata spoliis non contemnendis refecerunt. Cujus Cladis causam rejiciens in Tataros *Chmielnitzki*, qui acceptis a se obsidibus fidei, promiserant hactenus jungere copias suas cum Cosaccis, nec tamen id præstiterant: inexpectato item casu *Naczaj* nimium consternatus, atque quid facto opus sit plane consilii expers, videns se inter scyllam, & charybdin esse constitutum, ab una namque parte de venia apud Regem & Regnum consequenda plane desperabat, atque prœmium rebellibus exolvi solitum, vehementer metuebat; ab altera vero parte, si videlicet derelicta societate Tatarorum, atque neglectis apud illos obsidibus, gratiam Regis imploraret, verebatur, ne a Chano Crimensi, & plebe Ukrajnensi vinctus Polonis ad expianda universitatis Cosaccorum delicta traderetur; quapropter extrema quæque tentanda, & (quamvis sibi etiam pereundum esset, dummodo pereant & inimici sui) vel ipsum Acheronta movendum

dum esse constituit. Itaque quo, & apud plebem majorem sibi conciliaret fidem, & plebi consequendæ apud Polonos gratiæ omnem præcideret spem, omnes obvias Civitates, Castella, Curias Nobilitares, insuper Templa Catholicorum funditus evertit, imagines ad honorem B. M. Virginis & aliorum Sanctorum erectas, butyro, aut adipe illitas, canibus lingendas exponit; omnes arma sumere pro libertate, etiam invitos jubet: verbo, cuncta flamma, & cæde replet, simulque sine intermissione auxilia apud Portam Otthomannicam, & Crimensem sollicitat, asserendo tantum Triginta millia militum, illorumque Tyronum, (eos namque quorum fortitudinem ad *Zbaraz* experti erant, omnes ex molestiis, quas ibi subiverunt, demortuos esse, mentiebatur) sub regimen *Potocii* & *Calinovii* (quos quod semel jam fuerint experti captivitatem Tatarorum, ne quidem in conspectum illorum venire ausuros ajebat) esse designata: quibus semel profligatis universum Regnum Poloniæ ad ultimos usque terminos suos, in potestatem Imperatoris Turcarum redactum iri promittebat. Sive enim Rex posthac generalem Regni expeditionem suscipere volet, hæc valde sera auxilia fore dicebat. Et hac ratione tum Tataros tum Cosaccos inani spe lactando, socios intentioni suæ accumulabat. Quia tamen sperata retardabant auxilia, celebrem quendam Legionarium dictum *Bohun*,

 expe-

expedivit ad Civitatem *Vinnitza* dictam, ut illam præoccuparet, atque præsidio, & omnibus ad tolerandam obsidionem necessariis instrueret, ac muniret. In Lithvania quoque novos tumultus excitare non intermittit; insuper *Napirscium* quendam, ut in confiniis Hungariæ circa Cracoviam plebem ad arma contra Dominos sumenda concitaret, subordinat.

Interim *Pototzki* & *Calinorvski* instar torrentis ex alto profluentis a *Crasne* dirigunt Castra versus Fluvium *Tyram*, & ex itinere Civitatem *Murarvka*, *Czerniecorvce*, *Szararvka*, *Jampol* occupant, & spolia egregia reportant, tandem perveniunt ad *Scianki* (Civitas est sat ampla) ubi confisi fortitudini loci, confluxerant quamplurimi Duce *Alexandrenko* Cosacci, qui quamprimum intellexerunt adventare Polonos, incredibili audacia confertis agminibus contra illos se effuderunt, & initio quidem antecessorias cohortes, aliqua ex parte confundere cœperunt: at postquam plures supervenere Poloni, in tantum ab illis superati sunt Cosacci, ut in alteram usque Civitatem recipere se fuerint coacti, & in illa triduanam sustinentes oppugnationem, tandem nunciant Generali, se quidem nondum ad tantas redactos esse angustias, ut necessum haberent deditionem facere; nihilominus si *Winnitza*, a cujus Ordinantia hic quoque locus dependet, transierit in partes Polonorum, se quoque similiter, sine quavis tergiversatione facturos: quapropter ad *Winnitzam* potius obtinendam vires & animos suos convertant, illa si potiti fuerint, statim & *Scianki* habebunt. His auditis Generalis *Pototzki*, communicato cum aliis consilio, censuerunt consultius fore, totum robur militiæ suæ, non atterendo illud in oppugnatione minornm Castellorum, convertere contra loca nobiliora, & validioribus præsidiis munita.

Producit itaque *Pototzki* Castra sua sine mora ad civitatem *Winnitza*, quo perveniendo, postquam signa sua militaria extendissent, atque aliqua præludia pugnæ instituissent, mox *Bohun* contulit se ad Monasterium, cui plus confidebat, & Polonos in technas jam dudum ad id paratas deducturum se credebat, nec eum fefellit opinio. Cum enim magna cum alacritate, & id quidem exposcente rei necessitate, magno cum assultu impetum facere voluissent per fluvium *Hyppanim* tunc conglaciatum, perfracta subito glacie, ad ejusmodi occasionem tempestive debilitata, multi aquis sunt absorpti, præcipue duæ cohortes cum suis Ducibus *Kisielo Czerkassiensi*, & *Tyszkiervicio Tytomieriensi* Capitaneis, quo casu interveniente, cœteri pedem referre coacti. Dum autem de continuanda obsidione consilia miscent, ex captis indicibus informantur Poloni trans Borysthenensium Cosaccorum validas turmas, in suc-

ſuccurſum obſeſſis jamjamque adventare. Quibus in occurſum mittit *Pototzki* Palatinum Bratslavienſem cum ſelecto milite, qui in primo ſtatim cum hoſte ſe viribus multo ſuperiore congreſſu ad Civitatem *Liporvice* dictam ſuperatus, derelictis curribus, & partis alibi ſpoliis, regreſſum fugæ ſimillimum facere eſt coactus ad generalia caſtra hoſte ſeſe vehementiſſime inſequente. Quod dum nunciatum fuiſſet in Caſtris, mox cœteri quoque Panico terrore perciti fugam adornant, & niſi *Jeremias Visniorviecius*, ex nocturnis vigiliis cum cohortibus ſuis rediens impetum hoſtium ſuſtinuiſſet, major confuſio oborta fuiſſet. Sed illo aliquantiſper hoſtem remorante, rurſus animum reſumunt Poloni, & hoſtem a Caſtris fortiter rejiciunt; Ex captivis tamen informati ingentem multitudinem appropinquare, quæ ſi conjungatur cum *Bohuno* omnem paſſum Polonis ſit interclusura, aſſumptis tormentis & pretioſiori ſupellectile, curribus vero cum ſpoliis relictis, quatenus in diripiendis illis hoſte occupato, ſibi facultas remeandi ad tutiora concedatur, feliciter pervenerunt ad *Bar*, ubi impoſito Arci valido præſidio, Caſtra promoverunt verſus *Cameneciam*, ibique Feſtum Paſchatis tranſegerunt, cum azymis quidem, ſed valde amaris, nimirum cum placentis ex farina de herbis inuſitatis tantum confecta, & modico ſalis conditis. Po-

Poſtea impoſito ei ſufficienti præſidio promovit Caſtra ulterius verſus *Kupczynce*.

Interim in Aula Regis, nimis exhilarati omnes fama de illis prioribus ad *Krasne* ſucceſſibus allata, atque exiſtimantes Exercitum Regium jam *Boryſthenem* etiam tranſgreſſum *Chmielnicium* ad incitas redegiſſe, & brevi vinctum Regi adductum iri, remiſſius de ſubmittendis *Potoçio* novis, & validioribus copiis, rem agunt; tandem dum allata fuiſſet a *Potocio* Epiſtola, in qua hiſtorice progreſſus ſuos expoſuit, & quod neceſſum habuerit, hoſte maxima cum potentia ingruente Exercitum reducere ad tutiora, ubi cum Rege conjungi poſſet, Rex, tanquam de ſomno, evigilans præmiſſis confeſtim Litteris *Reſtium* (*Litteræ Reſtium*, in Polonia dicuntur illæ Regis Litteræ, quibus eo tantum tempore uti ſolet, quando ex conſenſu Regni decernitur generalis Expeditio Belli, ad quam convocat Regnicolas. Ideo autem ſic dictæ: quod, quemadmodum id, quod Reſti, ſive fune ligatur, aliter ſolvi non poteſt, niſi relaxato fune, ita dum tales Litteræ emanant, obſtringunt unumquemque Nobilem, ut pro die & loca Caſtris deſignato, ſub amiſſione honoris, omnium bonorum, & capitis, adſit, neque inde recedat, ſub ſimili pœna priusquam Caſtra fuerint communi conſenſu ſoluta) atque ad Expeditionem Regni generalem omnes convocans, quo magis ad illam ſuſcipiendam aliis ad- *Quid Litteræ Reſtium*

adderet animum, ipse in persona *Varsavia* movit versus *Leopolim*; ad alios milites etiam novi Delectus, dedit mandata, ut ad latus suum quam citissime adessent. His auditis dum Regnicolæ, tum milites, magna cum alacritate cœperunt ad Regem confluere.

Interim *Potocio* adhuc penes *Cameneciam* tergiversante, scribit Palatinus Moldaviæ *Chmielnicium* in id totis incumbere viribus, quatenus ipsum impediat, quominus conjungi cum Rege queat, jamque eo fine illum non procul a Castris Polonicalibus abesse. Et id quidem aliunde etiam *Potocio* adferebatur. Quapropter quo melius corroberet Castra sua, expedit *Corycium* cum aliquot cohortibus levioris armaturæ ad *Bar*, ut inde Pedites Germanicos pro præsidio relictos ad castra deducat. Quod postquam feliciter præstitisset, alacrius cœpit castra promovere in occursum Regis. Sed nec *Chmielnitzki* tardabat, quin potius magnis itineribus, jam adjutus aliquot millibus Tatarorum, subsequi Exercitum Polonorum studebat, atque eundem penes Civitatem *Kupcyze* assecutus, incredibili alacritate adoritur. Tum *Pototzki*, postquam ultra passum produxisset universum Exercitum, collocato in insidiis ultra collem quendam *Alexandro Koniecpolscio*, cum aliquot turmis militum, currus omnes incendi curavit; quo viso hostis, existimans Polonos turpi fuga evadere velle, transvolans per medias flammas, adoritur *Potocium*. Interim *Koniecpolski* tanquam fulmen aliquod invehitur in Cosaccos, ipse etiam *Pototzki* a fronte fortissime rem agens, summopere hostem confundunt, & in fugam conjiciunt, quorum multi de ponte detrusi, & in paludes compulsi, partim aquis cœnosis absorbentur, partim a Polonis cæduntur; quorum victoriam *Murza* quidam insignis, jamjamque aquis submergendus, & tandem comprehensus illustravit. Post superatis variis difficultatibus, perveniens ad Civitatem *Pomorzany*, imposito illi præsidio, pergens lento gradu ulterius non sibi solum, sed & universæ Patriæ heroica virtute procuravit salutem, dum & hostem potentissimum sustinuit, & sufficiens temporis spatium Regi ad cogendas majores copias præstitit. Appropinquando autem Castris Regiis, ad Civitatem *Sokal* fixis, expedivit *Kalinscium* Veteranum Legionarium cum aliquot Cohortibus levioris armaturæ ad explorandum, ubinam *Chmielnitzki* moretur, & quidnam intendat? Qui summa solertia hostium agmina aggressus, aliquos captivos adduxit, qui retulerunt, *Chmielnicium*, postquam animadvertisset, se nulla ratione posse præpedire, ne Generales conjungantur cum Rege, jam aliud in animo volvere, nimirum, velle uti eo stratagemate, quod illi successerat ad *Zbororvv*, videlicet: ut alicubi a latere ex improviso aggrediatur agmina Polonorum ad Regem collimantia;

ideoque summa celeritate usum, nocte, dieque continuando iter, jam pervenisse ad Civitatem *Tarnopel*. Cum his novellis *Pototzki* cum Exercitu pervenit ad Castra Regis, penes Civitatem *Sokal* ad fluvium *Bug* hærentis.

His intellectis, rursus expeditus est *Joannes Sobieski* cum Legione sua; cui adjunctæ sunt etiam aliæ cohortes. Qui incidens in antecessorias copias *Chmielnicii*, atque inito cum illis acri prælio, illas dissipavit, ductoremque illarum Tribunum *Cunjoviensem*, & *Murzam* quendam adduxit; sed aliquot etiam ex commilitonibus suis amisit. Dum cum his ad Castra regressus fuisset, captivi adducti retulerunt: *Chmielnicium* jam pervenisse ad *Zborovu*; sed quidnam intendat, se ignorare. Quæ res variarum cogitationum materiam suppeditavit. Credebatur namque illum tendere *Leopolim*, ut ibi sedem belli faceret. Quapropter, qua certius aliquid cognosceretur, expeditæ sunt aliquot cohortes, præcipue *Firley* Palatini Sendomiriensis, & *Sapiehæ* Procancellarii Lithvaniensis. Sed neuter Ductor cohortium illarum adfuit. Itaque ad supplementum illorum expeditus est Regestratorum Cosaccorum Ductor *Jasnoburski* dictus. Verum antequam hic assecutus fuisset priores cohortes, illæ incautius rem agendo inciderunt in Cosaccos, & ab illis profligatæ sunt. Quibus Cosacci obtentis, postquam intellexissent universa Castra Polonica ad *Sokal* adhuc morari, nec adesse aliquos in propinquo Polonos, vinctis captivis secure in campis noctem agunt. Interim *Jasnoburscio* facti sunt obvii aliquot milites, qui ex illo congressu incolumes evaserant; ex quibus de omnibus circumstantiis edoctus *Jasnoburski* silentio noctis, præmittens aliquos suorum, qui solverent captivos, adortus hostem, ad internecionem plane delevit, Polonos liberavit, & præda magna, quam Cosacci ex Aulis Nobilium rapuerant, potitus, captivos etiam aliquot Regi adduxit, qui torturis subjecti retulerunt *Chmielnicium*, postquam ex captivis de legione *Sobiescii* obtentis intellexisset, Regem cum ingentibus copiis (spe sua longe majoribus) jam conjunxisse sese cum isto Exercitu, qui ex *Ukrajna* rediit, mutato priori consilio regredi ad *Zbaraz*, ibique expectaturum adventum Chani, cum ingentibus copiis appropinquantis.

In Castris vero Regiis rumor fuit, forsan ab ipsis Cosaccis sparsus, Chanum Tatarorum nequaquam venturum: partim quod id contra submissionem suam in pactis Zborovianis contentam, facere nolit; partim quod nec possit, eo quod a *Kalmukiensibus*, & *Astracaniensibus* Tataris valde infestetur.

Quapropter expeditus est alter Regestratorum Cosaccorum Ductor, nomine *Jandzul*, qui adhuc perseverabat constanter in fidelitate Regno debita; qui egressus irruens in Cosaccos, circa Ci-

Civitatem *Poczajorv*, plus justo securiores, & hausto largiter sublimato, quiescentes, notabiliter profligatis quam plurimis, integram cohortem captivorum adduxit, qui pariter omnes retulerunt, *Chmielnicium* adhuc circa *Zbaraz* morari, atque adventum Chani præstolari, qui hucusque etiam advenisset, nisi ipsum retardasset multitudo Cosaccorum, cum curribus & tormentis venientium; qui divelli nequaquam volunt. Dixerunt præterea iidem captivi, in Castris *Chmielnicii* (siquidem cum solo equitatu, sine quibusvis curribus advenerat ad loca superiori bello desolata) famem valde invaluisse, ideoque propter comparandum commeatum Partias expedivisse usque ad Civitatem *Dubno* in Palatinatu Wolhiniensi, imo ad ipsam usque *Polessiam*.

Eo audito Rex, ex consilio omnium expedivit *Alexandrum Koniecpolski* Vexilliferum Regni, adjungens Legioni illius aliquot cohortes, demandans eidem, ut passum hunc a *Zbaraz*, (quæ est Civitas versus montem Carpathum, *Dubno* autem & *Lutzko*, totus item Palatinatus Volhiniæ, tanto magis *Polessia*, versus Lithvaniam; *Sokal* autem ubi adhuc erat Rex cum Castris plane adhuc in meditullio) præoccupet, nec permittat hosti suppeditari commeatum. Præterea versus Castra *Chmielnicii* expedivit Veteranum Ductorem Regestratorum

rum Cosaccorum, dictum *Ganza*, qui hactenus illibatam fidelitatem suam semper declaravit.

Interim convocato consilio bellico, proposuit, quidnam facto opus sit? cum certum sit hostium partem jam in propinquo esse, partem autem prope diem cum majori potentia affuturam, utrumque eodem loco permansurum, donec reliqui qui adhuc expectantur, tum novi delectus, milites, tum Palatinatus superveniant; an vero nullo habito respectu eorum, qui justo tardius veniunt, ulterius procedendum?

Quod cum sub deliberationem venisset, partim eo respectu, quod mora sæpe sit nociva, præsertim in rebus bellicis, quæ momento constant, partim quod in eodem loco longiorem trahendo moram, ipsis etiam Polonis, præcipue vero peditatui deficeret Commeatus, quo deficiente minus idoneos fore milites cum illis non cum hoste solum arma vibrante, sed simul & cum fame cunctis mortalibus adversissimo, & nunquam superabili inimico colluctandum esset; partim quod bella (teste belligerantium experientia) semper expeditius gerantur in hostico, quam in propriis provinciis (omnia autem loca, quæ ad Cosaccos reflexionem habebant, pro hostico reputabantur) visum est ferme omnibus, ut promoverentur castra ad loca patentiora, saltem ad fluvium *Styr*; præsertim quod etiamsi non multiplicarentur Castra Regia, nec ullæ

ullæ copiæ supervenirent, ii, qui jam præsto sunt, videantur esse sufficientes, quibus Rex stipatus tuto possit cum hoste, utut multitudine prævalente, sed armis & rei militaris peritia minime pari, congredi cum spe victoriæ; certum autem esse illos etiam, qui pone Regem veniunt, postquam intellexerint Castra esse ulterius promota, tanto magis adventum suum acceleraturos. Quanto autem propius hostem accedetur, tanto frequentiores captivi, & exinde tanto solidiora consilia, quælibet suppeditabit dies. Conclusum itaque est, ut Castra promoverentur ad *Beresletzko*.

Quod cum publicatum fuisset in Castris, ut in sequentem diem quisque sit paratus ad motionem, intervenit quidpiam, quod hanc intentionem nonnihil remorabatur: videlicet, quod Palatinatus per suos delegatos, eo loco renunciaverint Regi, se ulterius nequaquam processuros, donec hæc, quæ illos aggravant, in meliorem ordinem fuerint redacta: nimirum, *Quod Rex semper remotius a Tentoriis suis curet collocari Polonos, Germani autem circumvalle t Tentoria: cum pro more recepto, illi deberent, pedites præsertim, in circumferentia Castrorum collocari. Cum autem id fiat modo insitato, videtur Rex salutem suam magis credere extraneo militi, quam filiis Patriæ: quæ res animis eorum magnam injiciebat suspicionem.* Item, *quod Germani nunquam adhibeantur ad* ex-

excubias, neque ad Partias, & alia Castrensia onera, quæ incumbunt stipendiariis; sed hæc conjiciantur in Nobiles, qui ab his, juxta leges, debent esse immunes. Item, *quod iidem Germani magnas exerceant insolentias, nempe quod famulos Nobilium commeatum adferentes, aliquando ferme in portis Castrorum capiant, & eos non tantum iis, quæ adportant, sed tunicis etiam aliquando, & equis spolient, & quamvis ea de re conquesti fuerint coram Officialibus eorum, tamen nunquam puniantur &c.* Interim dum de his disceptatur, adferunt nuncium a *Koniecpolscio*, illum penes Civitatem *Olyka* incidisse in validas turmas Cosaccorum Duce *Bohun*, ex illisque multos trucidasse, multos captivos obtinuisse, qui dicant Chanum propediem venturum; magna etiam præda potitum esse; cœteros effusa fuga versus *Brody* tendere, (quæ Civitas ipsius erat propria) quos se persequi velle, ut inde etiam eos repellat; quo peracto sine mora regressurum.

Sub idem tempus regreditur etiam *Ganza* cum Captivis Cosaccis, qui referunt *Chmielnicium* adhuc ad *Zbaraz* commorantem, frequentissimos habere nuncios, Chanum jam proxime adesse, una cum generalibus Cosaccorum Castris, quibus in occursum ipsum etiam exire debuisse.

Hæc postquam publicata fuissent in Castris Regiis, amputatis iis, quæ inter Regem & status

tus Regni agitabantur, Controversiis, & majori ex parte iis complanatis, toto conanime incipiunt superare fluvium *Bug*; & Castra versus *Bereszteczko* promovere; accurrit etiam explorator Regis ex Castris Cosaccorum, qui dicit Chanum Tatarorum jam nudius tertius ad Castra *Chmielnicii* venisse, atque in signum lætitiæ tormenta explosa fuisse; quæ res omnibus ad properandum magnum addidit stimulum; interim supetvenerunt aliquot Palatinatus optime armati. Tum Rex expedit *Jeremiam Visniorviecium*, cum tribus millibus selectissimorum militum dato ei mandato, ut in eo allaboret, quatenus ex ipsis hostium Castris, captivos adducat, ex quibns rite cognosci possit, quonam hostis castra sua producere velit: ipse totis in id intendit viribus, ut quatocyus ad locum castris designatum pervenire queat, & mox exantlatis, in superandis uliginosis passibus, variis difficultatibns, (quas augere solet frequens militum multitudo variis impedimentis bellicis onusta) quintis Castris pervenit ad ipsum fluvium *Styr*, qui alluit Civitatem *Bereszteczko*, in centro Palatinatus Wolhiniæ sita, nunquam alias ita claram, quam hac occasione: quod ibi variorum populorum tanta comparuisset multitudo, ut Xerxis etiam copias adæquare videretur. Sed *Chmielnitzki* quoque tam caute res suas egit, ut intentio Regis, & quæ in Castris ejus agerentur, minime illum latuerit. Itaque vo-

volens Regem circa paludes Civitatibus *Sokal*, & *Bereszteczko* adjacentes constringere, incredibili celeritate & audacia cum potiori parte equitatus Cosaccici, & selectioribus Tataris, maturare adventum suum totis viribus intendit. Verum conatibus ejus magnum posuit obicem *Visniorvietzki*, qui in occursum antecessoriis turmis hostium veniens, & cum illis feliciter congressns, captis aliquot eorum, illisque ad Regem remissis, ipse adhuc remansit majora tentaturus. Et hi quidem captivi examinati, quasi uno ore, in relatione conformes dixerunt: *Chmielnicium* cum robore militiæ suæ, velociter ire in occursum Regis, cupientem transitum fluvii *Styr* totis viribus prohibere, jamque illum unius tantum diei itinere a *Bereszteczko* noctem agere. Quapropter Rex rursum in subsidium *Visniorviecio* expedivit cum valida manu militum duos celebres Legionarios *Stempkovium*, & *Czarnecium*. Ipse vero, (relictis non sine periculo trans passum curribus, & omni apparatu bellico, una cum peditatu) solos equites per pontem valde debilem, (vadum autem propter uliginosas admodum fluvii ripas non dabatur) in campum educere satagit. Interim nuncius nuncium tum a *Visniorviecio*, tum ab altera Partia urget, universam potentiam hostium jam pervenisse ad Civitatem *Parratin*, duobus tantum milliatibus a *Beresetzko*. Quapropter prohibita est in Exercitu Polonico, Pa-

Pabulatio. Sed tamen sive ante prohibitionem, sive qui post egressi fuerunt, multi pabulatorum inciderunt in manus Tatarorum. Ex quibus hostis intellecto eo, quanta sit in Exercitu Regis, quod nunc tantum equites passum superare cœperint, confusio, tanto majori cum alacritate, magnis viribus irruunt in *Visniorviecium*, cum quo interea jam conjunxerant sese *Stemkorvski*, & *Czarnietzki*. Cum tamen conjuncti etiam impares secernerent tantæ moli contra se ingruentium, cœperunt lento passu retrocedere, præmisso ad Regem nuncio, ut sibi in auxilium majores submittat copias. Neque moratus Rex mittere duas Legiones validas *Lubomirscii*, & *Kazanovii*; initur acre prœlium, succedentibus utrisque novis auxiliis, & decertatur utrinque fortiter. Tandem Sole ad Occasum vergente, *Alexander Koniecpolski* regrediendo ex illa Partia a *Brody*, tanquam ex composito irruens a tergo in agmina hostium, atque inopinato impetu suo vehementissime illa perturbans, datoque Commilitonibus suis clangore tubæ signo, se adesse, alias etiam fortiter pugnantibus tanto majorem addidit animum. Ideoque hoste magis trepidante, tanto intensius in fugam se præcipitantibus insistunt cædendo hostem, insequunturque ad sesquimilliare. Tandem accepto receptui signo læti regrediuntur, complures Regi tum Tatarorum, tum Cosaccorum præsentando captivos. Et sic tandem Deo Po-

Polonos adjuvante, locum illum, quem castris suis designaverat Rex, obtinuit. Interim reliqua pars Castrorum Polonicorum noctu etiam accensis facibus subsequitur.

Captivi Tatarorum recens adducti dicunt: Chanum Tatarorum valde proclivem esse ad renovandam pacem; sed *Chmielnicium* obstare, dicendo: totum robur Equitatus Regii fuisse in campum effusum; peditatum autem cum tormentis adhuc ultra pontem hærere, nec intra triduum illum superare posse: quapropter sine mora instructa acie Polonos adoriendos & hoc pacto facile se illos superaturum pollicebatur. Quibus dictum est, crastina die videbit Chanus, quam vera sint ea, quæ dicit *Chmielnitzki*.

Sequenti die universæ copiæ Polonorum, tum equitum, tum peditum, constantes infallibiliter centum millibus armatorum eductæ sunt extra Castra in Campum spatiosissimum; Hostium autem numerabantur quater centena millia. Et Polonorum quidem acies instructa est in hunc, qui sequitur, modum: In ala dextra constituta est legio *Nicolai Potocii* Supremi Generalis Exercitus Regni; cui adjuncti sunt *Stanislaus Landskoronski* Palatinus Bratslaviensis, *Christophorus Opalinski* Palatinus Posnaniensis, *Georgius Lubomirski* Marschalcus Regni, *Leo-Casimirus Sapieha* Procancellarius Lithvaniæ, *Alexander Koniecpolski* Vexillifer Regni, *Comes de Lesszno* Succamerarius Posnaniensis, duo *Sobiescii*,

biescii, filii Castellani Cracoviensis; quorum major Crasnostaviensis, minor Jarvoroviensis Capitanei, & plerique, qui suo ære auctoratas cohortes adduxerant, hos ductabat Supremus Generalis Exercitus Regni Polonici *Nicolaus Pototzki.*

In sinistra ala collocata erat Legio *Andreæ Kalinovii* Marschalci Campi, cui adjuncti erant *Joannes Sczarvinski* Palatinus Czrestensis, *Stanislaus Pototzki* Palatinus Podoliæ, *Jeremias Visniorvietzki* Palatinus Russiæ, *Demetrius & Constantinus Visniorviecii*, *Joannes Sczarvinski* Capitaneus Kalusiensis, *Henricus Dönhoff* Equitum desultoriorum Legionarius, & aliquæ privatorum cohortes; his præerat *Martinus Kalinorvski* Campi Marschalcus, utramque alam præibant tormenta, medium autem tenebant cohortes gravioris armaturæ, aliæ deinde magno numero, & vario modo armatæ sequebantur Palatinatuum turmæ suppetiis ferendis destinatæ.

Corpus, quod late sese extendebat, Rex ipse ductandum assumpsit, ejus ut diversi ordines, ita fronti protegendæ tormenta præposita, regimen istorum tenente *Sigismundo Przyiemski*, qui in locum *Arciszevii* succedens fuit rei tormentariæ Præfectus, & Notarius Campi: in ipsa fronte constitutus erat peditatus, secundum tormenta incedens; Extrema autem peditum latera tegebant turmæ equestres: dextrum primi

ordinis latus claudebant equites *Joannis Dönhoffii*: Sinistrum autem latus tuebantur equites *Jacobi Veyher* Palatini Mariæburgensis, quos regebat *Schaffgotzius* Magnas quidam ex Silesia. Postmodum spatio aliquo interposito Legio *Christophori Ubaldi*; deinde tripartito ordine phalanx custodum corporis Regis, constans 1800, quam regebat *Frimoldus Volff*, & post modicum intervallum duo valida agmina *Boguslai Radzivilii.*

Alter aciei istius ordo in subsidium primi destinatus, ex equitatu totus constabat, cujus dextrum latus protegebatur a *Radzivilianis & Dönhoffianis*: Sinistrum autem a *Veyherianis & Dieterici Meidelii* equestribus turmis cataphractis. Regi proxime adstabat turma aulica 500. Equitum illustri genere & fortuna, divisa in duas cohortes, quarum alteram ducebat *Sigismundus Ubysz* Vexillifer Dobrzynensis; vexillum autem cohortis hujus præferebat *Joannes Michalovius* Tribunus Lublinensis. Alteram vero cohortem ducebat *Joannes Vissel*; vexillum autem præferebat *Alexander Jendrzejovski.* His post Regem præerat *Casimirus Tiszkiervic* Pocillator M. Ducatus Lithvaniæ. Juxta hanc turmam positi erant ex utraque parte equites germani, quos Serenissimus Elector Brandeburgicus ex lege Feudi Prussici, Ductore *Walrodo* miserat. Hos sequebantur cohortes *Andreæ Grudszinscii* Castellani Naclensis, & *Hyacinthi*

 Roz-

Rozrazevii, quas ab una parte *Stanislai Koniecpolscii* & *Duplessi*, ab altera vero Serenissimi Principis *Caroli* Episcopi Varmiensis Fratris Regis, pedites cingebant. Aciei universæ extrema, magno numero, & ingentibus spatiis circumfusa Nobilitatis Polonæ vexilla tuebantur. Tandem interjecto aliquo intervallo distabant castra a campo curribus concatenatis, ab aliis vero partibus amne, & Civitate, cui erat præsidium impositum, munita.

Ex opposito vero *Chmielnitzki*, proximos versus meridiem colles occupando, & quasi nebula aliqua confertissimis agminibus obumbrando carraginem suam producebat: sinistram alam Chano committendo, dextram autem ipse ductando. Distabant autem utriusque Exercitus Acies magno intervallo dissitæ. Quia vero in construenda acie major pars diei effluxerat, ideo hac die nihil magnum est attentatum, solummodo velitationibus ab utraque parte æquo Marte est decertatum. Sole autem ad occasum vergente, voluit Rex reducere Exercitum intra Castra; sed svadentibus aliis, ne hoc faceret, cum & in deductione periculum immineat, siquidem res sit cum hoste velocissimo, & sequenti die antequam acies instrueretur, multum temporis impendendum esset, mutavit consilium, & intacta acie jussit permanere Exercitum. Noctu vero in locis opportunis aliquot mu-

munitiones, dictas *Shantz*, erigi, tormentaque eo attrahi curavit.

Prælium notabile Anno 1651. Die 3. Julii

Postero die primo statim mane prosilire jubet Rex Ductore *Michaele* Duce *Czartoryscio* cohortes *Sczarvinscii*, *Veyheri*, *Boguslai Radzivilii*, *Joannis Sapiehæ*, Palatinatus Volhiniæ, terræ Præmisliensis, & terræ Chelmensis; qui summa alacritate invehuntur in hostem; contra quos densissimis cuneis Cosacci juncti Tataris nil cunctando procurrunt. Instituitur acre prælium, ita, ut signis mutuo se prætereuntibus Poloni ab hostibus dignosci vix potuerint. Interim Chanus Tubo Optico eminus speculando, alam dextram putabat minus bene ordinatam, & sine mora eo cum validis copiis ruit. Huic occurrit *Stanislaus Landskoronski*, ubi in primo congressu occubuit Filius ejus *Sigismundus*. Cum autem viderentur hostes prævalere Polonis, mox in succursum eorum superveniunt aliquot cohortes, postmodum Legio Supremi Generalis. Sed siquidem necdum sufficiebant impetui hostium, tunc ex ipso meditullio jubet Rex educere cohortes *Visniorviecii*, *Lubomirscii*, integram item Legionem Procancellarii Lithvanici, & quo facilius hostis circumveniri possit, ex altera ala jubet suppetias ferre. Prorumpens itaque tota Legio *Calinovii*, notabilem stragem edit in hoste; sed subvenientibus illis novis auxiliis, Polonis quoque aliis atque aliis succedentibus, horribiliter recrudescit pugna.

Certatur utraque ex parte fortissime, cadentibus utrinque plurimis. Qualia dum aliqui cernentes cœpissent conturbari, erigens animos eorum *Pototzki* Supremus Generalis, exclamavit. *Neminem ideo debere talibus turbari, cum hæc sint bellaria Martis.* Et sane erat jucundissimum spectaculum, extra periculum constitutis videre, dum nunc fugientes iterum in hostem irruunt, & terga obvertere cogunt, dum ex diversis partibus adversis signis concurrunt, captivos ducunt, vexilla hostibus erepta Regi repræsentant. Ut non immerito quidam egregius Vir, hasce Martis choreas intuendo exclamaverit:

O Boze niechayze vtym laske twoiez zuiec
Gdy insiy za leb ida, niech sie ia dzintuie:

hoc est: *O Deus Omnipotens! præsta id pro tua Gratia Divina, Ut stando in tuto liceat mirari certantium agmina.* Dum porro pertinacissime tota die ambiguo Marte pugnatur (adeo ut nonnunquam Cosacci sociati Tataris, superare viderentur Polonos; sed optimo ordine servato Poloni, iterum superiores evadebant, & hostem rejiciebant; nonnunquam Tatari in mediam involabant phalangem, sed mox in fugam conjiciebantur, & forte ter reprimebantur) tandem prævalentes Poloni, hostem in castra usque propellunt, & hac ratione

ne quod campum obtinuerint, a partibus illorum visa est stetisse victoria. Sed multo sanguine egregiorum Virorum, quamvis non sine damno inimicorum constitit, adeo ut comparatione facta eorum, qui ex parte Polonorum occubuerunt, & rursus ex parte hostium cæsorum, vix sit compensabilis. Gloriari omnino potuit utraque pars de fortitudine militari, sed neutra de sat felici successu. Ex parte namque Polonorum occubuit *Kazanovski* Castellanus Haliciensis, *Georgius Ossolinski* Capitaneus Lublinensis, *Stadnicki* Succamerarius, *Sanoc. Ligenza* Ensifer Cracoviensis. *Jordan* Dapifer Cracoviensis. *Landskoronski* Filius Palatini Bratslaviensis, *Rzeczytzki* Filius illius, qui occubuit ad Zborov, & non pauci ex gregariis militibus. Ex Palatinatu vero Lancicienſi plurimi Nobiles: ex terra item Chelmensi aliquot similiter, & ex terra Præmisliensi; & sine vulneribus pauci reversi. Cæsi etiam ex hostibus multi, capti aliquot ex præcipuis Tataris. His tamen, quæ hoc die Deus largitus est Polonis, Rex contentus, vespera imminente relictis aliquot Legionibus pro Excubiis, & in illis munitionibus, sive propugnaculis sufficiente cum tormentis peditatu, ad sustinendum subitaneum hostium impetum, reliquum Exercitum continuo summo labore, & quod magis aggravabat diurnis, nocturnisque vigiliis non mediocriter enervatum, ideoque refectione aliqua necessario in-

1651

 di-

digentem, reducit ad Castra. Cosacci quoque ex opposito tumultuario opere aliquot propugnacula extruxerunt, & sic in illis utriusque Exercitus excubiæ erant collocatæ. Sed hostis pervigil unum propugnaculum Polonorum, quod præ cœteris videbatur esse melius munitum, ac securum, eo quod paludibus alueretur, silentio noctis adoritur, nudi nimirum aquas nando superantes, armis tamen assumptis, invadunt somno, & laboribus sepultos Germanos, plurimosque ex illis nemine advertente confoderunt. Tandem Magister tormentorum crebros gemitus eorum, qui uno ictu non necabantur, audiens, atque id quod erat in re ipsa, suspicans, explosit tormentum, cujus sono audito, cœteri expergefacti arreptis armis, resistere hosti cœperunt, & in instanti classicum per universa Castra cecinerunt. Quamobrem omnes iterum conscensis equis in campum excurrerunt, suppetiasque laborantibus tulerunt. Cosacci vero animadvertentes dolum suum non amplius procedere posse, renatarunt. Diem autem mox Phosphoro reducente, non amplius Poloni in Castra reducti sunt; sed quamprimum lux in tantum affulsit, ut unus ab altero dignosci potuerit, Rex iterum instruxit aciem, eodem, quo heri, ordine, diu cunctabatur deliberando qualiter rursus ludus Martialis inchoandus esset, & unice desiderans, ut potius in se hostis impetum faceret. Sed soli tantum Ta-

ta-

tari indefessi currendo velitationibus Polonos infestabant. Rex autem severe prohibuerat, ne quisquam loco moveretur, nisi jussu Regis, cum autem propius accedebant ex tormentis in illos detonare jussit. Tandem Meridie jam instante jubet Rex *Jeremiam Visniorviecium*, ut prosiliat in hostem, adjungens ei plane mediam partem alæ dextræ. Qui dicto citius provolans, ubi confertissima hostium conspicit agmina, maximo impetu in ea irruit; qua in re maximum robur illorum consistebat, Carraginem tribus ordinibus concatenatam virtute hastatorum rumpit, & in mediis explodentium flammis constitutus, ipse quoque immortalis gloriæ eximio desiderio flagrans, non prius Actum illum continuare cessavit, donec obvios quosque trucidando, ultra phalangem hostium suos produxisset, & in colle quodam eminentiori vexilla sua repræsentasset. Quo viso Rex eodem momento ex altera ala jussit *Alexandrum Koniecpolscium* cum valida manu in hostem impetum facere: qui pari alacritate, nec minori fortuna usus, maximam edidit in Tataris stragem. Nec mora, ipse Rex his visis, cum toto corpore Exercitus procedens, ubicunque conglomerari hostem videt, irruens in illos longe lateque feliciter profligare cœpit, continua tormentorum ab utrinque explosione tantum concitante tum ignem, ut Vesuvius ipse in duas partes divisus ardere videretur, tum ex pul-

vere

vere nubem, ut prospicientibus ex Castris, nox atra pugnantes eripere crederetur. Dum tamen neutiquam Rex pugnam intermittit, sed pertinacissime illam tum forti militum manu urget, tum globis tormentorum, admodum scite industria *Przyemscii* directorum viam sibi patefacit: ita ut jam spatiosæ inter Tataros, & Cosaccos paulo ante confertissimos conspicerentur plateæ, & illas quidem milite Regio ita implente, ut nulla ratione conjungendi ipsis amplius facultas concederetur. *Chmielnitzki* quidem amissa magna parte curruum, Cosaccos suos ad Castra intra Fortalitium reducere cœpit; Chanus autem aliquantulum recedens, more Tataris solito in circulum sese reflectens, voluit rursus aliquid contra Polonos tentare, eoque fine in proximum nemus cœpit sese recondere. Sed inde quoque jussu Regis, crebra sclopetorum glande, non secus ac grandine, exturbatus, atque cernens duos præcipuos *Murzas* latera sua claudentes occubuisse, & ingentes Polonorum turmas contra se undique concurrere, non expectando ultimum exitium rerum, fugam accelerat, derelictis non tantum tentoriis, & omni supellectile (in qua hoc unum erat maxime speciale, quod reperti fuerint aliquot equi, nihil aliud bajulantes, quam lora ad ligandos captivos comparata) verum etiam ægris, & occisis, idque contra præcepta *Alcorani* sui, sub Anathemate id prohibentis; &

& subito omnes Tatari non secus, ac palea a vento, ita illi a facie Polonorum, tergoribus suis summa cum alacritate instantium, sunt dissipati, tanta pertinacia, ac pernicitate fugiendo, ut non tantum alia onera, sed etiam ephippia de equis abjicerent, nec ullus eorum ad reprimendos sese insequentes conversus fuerit. In passibus tamen cœnosis circumventi cædebantur multi, nec prius constiterunt, donec summa cum trepidatione, quinque a Castris milliaria emensi fuissent.

Chmielnitzki tamen accepto non minori suorum damno, peditatum omnem, & aliquam partem equitum, & reliquos Currus in Castra reducens ipse Chanum subsequutus est, assecurando suos, se apud Chanum id effecturum, ut rursus redintegraret prælium. Sed frustra id tentavit. Etenim Chanus nec respicere voluit in illa loca, ex quibus semel maximam reportavit cladem; quin imo summopere iratus *Chmielnicio*, quod commentis suis ipsum deceperit, & magnæ cladis suorum causam præbuerit, parum abfuit, quin vinctum Regi transmisisset: nec prius illum a se dimisit, donec ipsi notabilem pecuniæ summam *Czheryno* allatam persolvisset. Quando enim Chanus ad renovandam cum Rege amicitiam inclinabat, *Chmielnitzki* volens illum ab isto proposito avocare, & in societate sua retinere, mirum in modum extenuabat vires Regis, asserendo cum ge-

generali Nobilium expeditione alios pueros, alios ſenio confectos, alios mancos & ad arma tractanda minime idoneos ad Caſtra venturos, eamque ob rem illos multo facilius ſe debellare poſſe, quam antehac ſtipendiarios. Et omnino Tatari, dum initio congredi cœpiſſent cum Polonis, (quod antehac audiverant a Coſaccis, Polonos viritim inſurrexiſſe) provocando ad ſingulare certamen ex cohortibus Nobilium, non dubitabant acclamare: *Hay wirim, hay wirim!* Sed tandem quando experti ſunt inter illos etiam reperiri Viros, & quidem bellaces, exprobrantes *Chmielnicio* dicebant, ſibi multo difficiliorem fuiſſe pugnam cum Patribus, quam cum Filiis. Quæ res ineundæ cum *Potocio* pacificationis neceſſitatem ipſi impoſuit; quod exponetur inferius. Poloni vero videntes, quod & Caſtra Coſaccorum inter ablutes, ſuper colle quodam collocata, non unius horæ, nec unius diei oppugnationem requirerent, & quod nox immineret, ſuſpectam fugam exiſtimantes, ſimulque non ignorari, quod Tatari potiſſimum ſugiendo ſuos ſoliti ſint ſuperare hoſtes, fugientes non procul ſunt ſubſequuti; ſed eo, quod hac die præſtitum erat, contenti, ad Caſtra ſunt regreſſi, expeditis ad ſpeculandum quidnam agat, & ubi conſiſtat Hoſtis, aliquot Cohortibus; a quibus edocti Poloni, hoſtem ſerio fugam continuare, nec ullibi ſubſtitiſſe, multum pœnituit omnes, quod illum ſubito non fue-

fuerint ſubſequuti. Et *Jeremias* quidem *Viſniorvietzki*, nec non *Alexander Koniecpolſki* cum expeditiſſimis quibusvis militibus, illos proſequi avidiſſime voluerunt; ſed non eſt conceſſum a Rege dicente: *Fugienti hoſti aureos ſternendos eſſe pontes: præterea ſat ſupereſſe negotii cum illis qui ſe intra aquas receperunt, ea dubio procul ſpe, ſocios ſuos poſt paucos dies in auxilium ſibi meliori cum apparatu venturos, ac proinde nôn eſſe diſtrahendas vires, ſed prius hoſce, qui remanſerunt, delendos, poſtea ulterius Caſtra promovenda.* Sequenti die Rex Deo Exercituum ſolenniter gratiis, cum exploſione tormentorum pro illa inſigni victoria actis, Caſtra ſua propius Caſtris Coſaccorum admovit, & propinata illis ex tormentis ſalute, illis etiam ſimili tenore reſpondentibus, hac die conquievit. Coſacci autem hanc opportunitatem nacti ſtrenue laborantes Caſtra ſua vallo muniunt. Poſtridie in Caſtris Polonicalibus conſultatur, qualiter procedendum ſit cum illis reliquiis. Itur in varias ſententias. Aliqui ſuadent *ſine cunctatione eſſe aggrediendos, ac tollendos*: aliquibus autem viſum eſt, *lenta obſidione illos ad obſequium reducendos*: qua in ſententia ipſe quoque Rex fuit, dicendo, minime ſe addecere, ut nunc cum Coſaccis rigidius agat, quam illi egerant, dum noſtri ad *Filarvce* Caſtra reliquiſſent, nec tamen Exercitum ſunt proſecuti: quamobrem etiam ſibi victoriam hanc moderandam

dam esse clementia, quæ nequaquam permittit, quatenus membra Regni utut ignobilia, nobilioribus tamen summe necessaria protinus resecentur; sed id potius dictat, ut adhibitis lenioribus remediis, ad sanitatem reducantur. Interim dum ejusmodi consultationibus una, & altera dies impenditur, Cosacci in muniendis Castris nimis sedulam navant operam, & quo melius cœptum opus in finem deducere possint (fortassis aliqua ratione cognitis Polonorum consiliis) mittunt ex Castris ad Regem Legatos *Kressam Czehrynensem*, & *Bohunum Percaslaviensem*, Tribunos, veniam delictorum implorantes, dicendo se non esse motuum istorum auctores, sed vi ab aliis in Castra actos, propterea etiam nunc a *Chmielnicio* derelictos: nunc vero lubentissime ad obsequia Dominorum redituros, dummodo id sibi plena securitate concedatur. Quibus datum est nomine Regis Responsum: *Quamvis facinoribus suis in tantum læserint Suam Majestatem, ut nullam mereantur veniam, interim S. S. Majestas Regia imitando Conditorem suum, qui misericordiam suam largiri soleat peccatori, postquam conversus fuerit, non est aliena, quin illis etiam Clementiam suam sit declaratura, dummodo seriæ pænitentiæ, & debitæ subjectionis indubitata exhibeant argumenta. Quibus autem conditionibus id sint consequuturi, crastina die declarandum id statuerunt*: propter quod remansit *Kressa*, *Bohun* vero cum hocce responso remissus. Postero die, dum illis fuissent transmissæ conditiones per *Bohunum*, nimirum, ut *Chmielnicium* & *Wyhovium* ad manus Regis traderent, & in locum illorum Officiales a Rege ordinatos reciperent, Tormenta tam ex Fortalitiis deducta, quam bello capta, Vexillum item Clavam & tympana a *Vladislao Chmielnicio* oblata restituant: numero sive Regestro Cosaccorum in Comitiis proxime celebrandis conscripto acquiescant; Cœteri vero Dominis suis subjaceant, nec ullas posthac turbas excitent &c. quibus auditis rogarunt, concedatur illis aliquod ad deliberandum tempus. Interim si quos ex Polonis intercipere poterant, miris modis carnificabant, & excoriabant. Tum demum Rex cernens simulatam Cosaccorum demissionem, ac proinde pejora his metuens, eam Castrorum partem in qua ipse cum Germanis constitutus fuerat, curavit muniri vallo & fossa profunda, & tormenta eodem attrahi: reliquum autem Exercitum jussit propius accedere. His visis Cosacci, rursus ad Generalem *Pototzki* per Legatos missos, rogarunt, ut instarent apud S. Majestatem Regiam, quatenus *Pacta Zboroviana* illis confirmet. His auditis *Pototzki*, vehementer illos reprehendit hæc addens: Non aliam ob causam nunc tam cruentum bellum geri, quam quod Respublica stare illis Pactis nulla ratione velit: monuitque, si velint aliquam gratiam Regis obtinere, talia sub-

subticeant: cum ejusmodi enim propositione nec admittendos fore in conspectum Regis. Cum his rediere ad Castra, rogando aliquot dierum armistitium; quod illis concessum.

Cœpit interim in Castris Polonorum circumferri rumor, quasi Rex Cosaccis ultro parceret in perniciem Nobilitatis. Itaque per Legatos a Palatinatibus rogarunt Regem, ut vel oppugnare juberet Cosaccos: vel saltem aqua Castra ipsorum curaret inundinari (una enim nocte si singulis curribus semel terram attulissent, tantum transversim in fluvio erexissent aggerem, ut intra duas dies universa Cosaccorum Castra tanquam diluvio fuissent absorpta) aut denique permitteret Nobiles domum recedere. Quo audito Rex cum summa indignatione invectus in Legatos, ait: *Ecquid sibi vult hæc propositio? hoc jam seditionem redolet: Sed credite, sciam eam componere: nec ulla ratione permittam, ut mihi aliquis modum belligerandi præscribat. Castra hic sunt, non Comitia; ideoque jussa mea exequenda sunt, non vero mihi leges præscribendæ.* Cui *Andreas Scavo* Pocillator terræ Sanocensis in hunc modum respondit: *Natio nostra Polonica nunquam seditiones excitare est assueta, imo obsequiis suis hanc sibi apud prædecessores S. Majestatis promeruit laudem, ut palam dixerint, se tuto posse somnum capere in gremio subditi sui: nec ullis Historiis hoc comprobari potest a quopiam, aliquid adversi accidisse*

alicui Regi ex occasione seditionis Polonorum. Similiter Vestra quoque Majestas Regia, omnia bona sibi de nobis polliceatur, neque ideo exacerbetur contra nos, quod id, quod necessitas suadet, subire velimus, vel, ut nos domum dimittat, rogemus. Ita enim constitutos nos esse credat, quousque nobis suppetunt ea, quæ ad sustentationem nostri spectant, nihil esse ita arduum, quod detrectemus, prout hoc reipsa hactenus contestati sumus; sed deficiente nobis solito commeatu, cujus vix jam aliquæ reliquiæ supersunt, ita inhabiles reddemur ad omnia, ut etiamsi nullus nos vexaverit hostis, nobis sit misere succumbendum. Tum Rex: *Grata nobis sunt ea, quæ hactenus subivistis, sed adhuc opus est perdurare, & mandatis obsecundare.* Prohibuit præterea severe, ne ulla conventicula instituerent: & sic cum magna confusione regressi ad Fratres, tacite consilia inibant, qualiter rebus suis mederi deberent.

Interim Cosacci sub ejusmodi armistitio, Castra sua triplici vallo, & multis fossis muniverunt. Animadvertentes autem Polonos, (sive per negligentiam, sive quod illos jam tædium cœperit Castrensium laborum, sive quod cœptis Tractatibus fiderent) non sat serio excubias agere, cum magno impetu eruptione facta contra illos, multos eorum, quos sors priores obtulit, trucidarunt. Sed rursus Polonis concurrentibus, repulsi intra vallum, ubi non pauci alacrius ho-

hostem persequentes occubuere. Vexillifer etiam Regni *Koniecpolski* & *Razrazewski*, celebris Legionarius, amissis equis vix evaserunt. Quia vero Cosacci habuerunt unam viam, per quam ultra fluvium poterant excurrere, quoties sibi placuit, quam tamen Rex præcludere illis minime voluit: ideo inita tacita consultatione per Exercitum constitutum est, ut sine requisitione Regis, silentio noctis, aliqua pars Exercitus superaret Fluvium, atque illum etiam præoccuparet passum: commissumque est illud negotium *Landskoronscio* Palatino Bratslaviensi, qui, prout erat constitutum, fecit. Quod quamprimum animadverterunt Cosacci, statim derelictis Castris suis (quæ triplici aggere & fossa in circulum ducta, erant munita, neque Polonis aditus ad illa patebat, nisi iis superatis) statim in campum sese proripuere. Quo viso *Landskoronski*, putans illos in se velle totis viribus impetum facere, impar ad resistendum multitudini, cœpit pedem referre versus Fluvium, interim illis ad fugam patefacta est via. Tum demum ii, qui excubias agebant, nuncium dederunt Regi Cosaccos aufugere: qui etiam tunc cunctabatur. Sed per universa Castra jam illo rumore perstrepente, non expectando jussum Regium, quivis ad insequendos eosdem properabat. Sed illi vaferrimi, in ipsis Castris tam multas transversim confecerant fossas, ut quamvis aliquis majorem fossam & val-

vallum superasset, in Castris tamen citato cursu progredi minime potuit; sed multi ruebant in præcipitium, & alter alteri obstaculum ponebat. Interim Cosacci alacriter fugiebant: postremi autem pontem, quem tumultuario opere confecerant, dejecerunt: & nacti non procul a Castris sylvam, in diversa latibula diffugerunt: ita, ut a subsequentibus, præcipue iis, qui erant cum *Landskoronscio*, alii enim ex illo Labyrintho Cosaccorum ægre sese explicare poterant, alii autem in diripienda præda hærebant, quamvis valde exilia fuerunt, quæ dereliquerunt. Omnium potissimum erat vexillum, clava, & tympana: quæ *Uladislaus IV. Chmielnicio* contulerat. Præterea tormenta majora XVIII. minoraque multa, alia denique arma plurima) non plures quam VI. M. cæsi fuerint: in paludibus etiam perierunt multi: & penes *Dubno* in passu quodam angusto circiter III. M. Quanquam, dummodo res bene, ac sincere acta fuisset, ad internecionem omnes deleri potuissent. Sequenti die demum Rex, cum universis Castris hostem jam tunc a conspectu ereptum prosequi voluit. Sed universitas Palatinatuum in hunc modum sese adperuit Regi; *Quandoquidem, dum fuissent tanquam indagine clausi, oppugnare illos noluit, ulterius ne latum quidem unguem se processuros: cum manifestum sit, etiamsi integro Anno in unum locum tanquam feram compellere illos satagant, non tamen aptiorem ad profligan-* dos

dos Hostes nacturos se occasionem, atque fuit hæc: dummodo Rex non fuisset abusus illa. Si Suæ Majestati placet totum Annum transigere in Castris, posse hoc facere cum stipendiario Milite; sibi autem domum regrediendum esse &c. Quia autem universi erant in armis, non erat integrum ipsi etiam Regi, ita imperiose responde e unitis, sicut nuper responderat Legatis. Quapropter ad mitiora conversus, cœpit postulare; *quandoquidem tantopere festinant ad Uxores, saltem de medio sui deligant aliquot millia militum, quos stipendiariis adjungant.* Quod etiam fecit universitas, atque delectis circiter 5000. quibus in instanti stipendium trium mensium, est persolutum, cœteri domum rediere. Rex tandem cum Quartano Exercitu, atque his novi delectus Militibus, nec non cum Magnatibus, qui majori ex parte illum sunt comitati, habens in universum circiter XL. M. armatorum, ulterius progressus versus Ukrajnam. Sed cum aliquot diebus processisset, tandem vidit, & ipse magnum commissum fuisse errorem, quod elabi Cosaccis fuerit permissum; simulque prævidens maximam inesse difficultatem per tam latas Provincias dissipatos, ad aliquas angustias impellere. Quod si etiam alicubi inclusi fuerint, eandem difficultatem (quam nunc evitare volens fugiendi facultatem Cosaccis obtulit) in illis oppugnandis subeundam esse Germanis, quos nullo periculo exponere voluit, asserens indignum esse, ut profligandis rusticis tam generosus impendatur sanguis. Denique videns in dies magis invalescere morbos, tum inter Germanos, tum inter Magnates, qui comitati sunt Regem, &, quod erat omnium maximum præcavendo, ne insignem illam victoriam, multo sanguine Polonorum partam, aliquo adverso casu defœdaret, regressus est cum Germanis suis, & Magnatibus, committendo totum regimen cœterorum militum prudentiæ, ac solertiæ Generalium Exercitus Regni, *Potocio* & *Kalinovio*, quibus adjunxerunt se alii etiam, præsertim qui in Ukrajna possessiones suas habuerunt. Tanta tamen diminutio Exercitus facta est post discessum Regis, ut vix viginti Millia armatorum in eo numerari poterint. Quapropter tantam paucitatem Ductores Exercitus cernentes, solenniter coram Deo, Rege, Senatoribus qui aderant, & universo Exercitu protestabantur, si, (quod Deus Optimus Maximus procul esse jubeat) aliquid adversi contigerit, id non sibi imputandum esse; sed iis, qui illos cum tam exigua manu militum tanquam ad macellum deputant.

Circa hæc tempora decessit etiam *Georgius Ossolinski* Supremus Regni Cancellarius, Vir ad novitates Patriæ nocivas plane a natura efformatus; prout hoc ex rebus ejus gestis luculentissime constat. In tantam enim elatus superbiam, ut patrios honores, ac dignitates suo minime sufficientes esse ratus Animo, non du-

dubitavit exteros etiam ſibi aucupari Titulos. Et primo quidem occaſione legationis, qua perfunctus fuit ad Ferdinandum III. Romanorum Imperatorem impetraverat ſibi Titulum Principis Sacri Romani Imperii, illoque tum in privatorum Scriptorum, tum in publicorum a Rege collatorum Privilegiorum Subſcriptionibus aliquandiu uſus fuit; id quoque pro maxima reputans injuria, ſi ei quispiam in privatis colloquiis, vel vero in Epiſtolis hunc denegaſſet Titulum: quæ res multum difficultatis faceſſivit Reipublicæ. Quod etenim fuiſſet Vir incomparabilis Ingenii, eamque ob rem maximæ in univerſo Regno auctoritatis, ac obſervantiæ, reperiebantur quam plurimi, ii vel imprimis, qui gratiam ipſius aucupabantur, qui connivendum ei hac in parte duxerunt. Multo tamen plures erant, qui publicum bonum gratiæ ipſius præferendo, nequaquam concedendum id ei ſtatuebant. Unde poſtquam in diverſas easque pertinaciſſimas itum eſt ſententias, quæ in dies in tantum invaluerunt, ut Legatis ad Comitia Regni Generalia a Palatinatibus expediti ex profeſſo injunctum fuerit, quatenus totis viribus allaborarent in eo, ut prædictum Cancellarium, hocce exotico exuerent Titulo. Cumque id illi adeo ſedulo egiſſent, ut ſpoliandum ſe eo Cancellarius cerneret, volens hanc ſuam noviter quæſitam conſolidare prærogativam, declaravit: ſe quidem ei

ei abrenunciaturum, ſed non alia ratione, niſi ut cœteri quoque antiqui Principes renunciarent Titulo Principali: utpote Principes *Radzivilii*, Principes de *Zaslarv*, de *Oſtrog*, de *Zbaraz*, de *Visniorviec*, de *Korzec*, de *Czartoria*, de *Czetrvertyn*, &c. qui antiquis temporibus, cum magnis Provinciis Regno ſunt incorporati, cum hiſce Titulis; longaque & nunquam interrupta ſerie ad noſtra usque ſæcula hac gaviſi ſunt (citra præjudicium aliorum) dignitate. Quod quidem *Oſſolinſcius* nunquam ſperabat ſe conſequuturum: Sed ideo tantum id propoſuerat, ut dum veri, & Antiqui Principes in priſtino ſtatu ſuo ſint permanſuri, ipſe quoque penes alios id, quod ambiebat, conſequi poſſet. Sed huic importunæ Cancellarii inſtantiæ, tam prædictis Principibus, & per ſe, & per alias quam plurimas ſubordinatas perſonas, quam Legatis Palatinatuum acerrime reſiſtentibus, cum inter cœteros, qui a partibus Principum ſtabant, Vir egregius de Palatinatu Bratslavienſi Legatus ſtrenue contradicendo urgeret, ut quisque bonus Civis Patriæ, dignitatibus Patriciis acquieſcat; neque apud exteros Principes emendicet ſteriles Titulos, quaſi domeſtici non ſatis eſſent congrui meritis illius. Quod vero Antiquos attinet Principes, firmiſſimis rationibus deducebat, exuere illos Antiquo Titulo, eoque ab Anteceſſoribus ſuis ad ſe devoluto, nihil aliud eſſe, quam verum Nobilem

lem Nobilitate spoliare. Quibus auditis *Osso-linski*, tantopere ira exarsit, ut invehendo acriter in præmemoratum Legatum summa arrogantia in hæc verba proruperit: *Memento o Aries, lanam super dorso brevi baculo contusum iri.* Hæc autem protulit alludendo ad denominationem *Baranovii*, quæ derivatur ab *ariete*, qui Polonis dicitur *Baran.* Ad quod *Baranovski* parum abfuit, quin ipsi gladio respondisset. Quod Cancellarius vix evasisset, nisi se subito ad Regem subduxisset. Arrogantia nihilominus illius tantopere exacerbata fuit Universa Nobilitas, ut unanimi consensu extradari illum sibi ad sumendas de ipso condignas pœnas (quod nimirum Legatum Palatinatus, & in persona illius universum Regnum tanta contumelia affecerit) a Rege summa cum perseverantia instaret: quod tamen facere detrectante Rege, Comitia Regni infectis rebus sunt dissoluta: prout hoc ex Pasquillo, post dissoluta Comitia per modum Epistolæ toties dicto Cancellario, sacris, tempore elevationis Sacramenti, vacanti tradito, patet.

Frementibus itaque ferme omnibus Ordinibus Regni contra Cancellarium, in aliis proxime subsequentibus Comitiis Varsaviæ Anno 1634. celebratis, consensu omnium effectum est, ut non tantum Titulo huic incompetenti renunciare; sed etiam Privilegium sibi super eo ab Imperatore Romano collatum in facie Rei-publicæ deponere, & *Baranovium* publice deprecari necessum habuerit. Simulque sancitum, ut nullitati subjacerent omnia scripta, quæcunque ex Cancellaria Regni, cum subscriptione S. R. Imperii emanassent, Ad præcavendum tamen, ne hoc cedat damno alicujus innoxii viri, quisque intra decursum Anni coram Cancellaria Regni talia scripta repræsentet, illaque restituat: in locum autem illorum, nova sine illo Titulo recipiat. Ad talia autem exequenda, plurimum momenti attulit, & animos omnium concitavit Libellus Viri in Regno eminentissimi *Adami Grondzietzki* Castellani Miedzyrzecensis, sub Titulo: *Exhortatio de Titulis Extraneis*, hac occasione in lucem editus. In quo manifeste deducit, *tam amplas atque eximias esse Regni Poloniæ Dignitates, atque Prærogativas, ut non tantum Incolæ Regni contentissimi iis esse possint: verum etiam exterarum nationum Viri Excellentissimi Indigenatum dicti Regni, non adverso aliquo casu ad id impulsi, sed solo aureæ libertatis Heroico gustu ducti petere non erubescant. Postmodum prolixa narratione exponit, quod apud inclitam Polonorum gentem cuivis bono ex angulo in cœlum prosilire liceat, & quod præcipue apud Polonos principem obtineat vetus Proverbium locum, nempe, Quisque suæ fortunæ faber. Quod Nobilis Polonus sit Dictator Belli, & Pacis; quod apud Romanos olim summæ dignitatis esse censebatur. Quod idem*

idem sit conditor & interpres Legum. Quod ex Nobilibus Polonis creentur Archiepiscopi, Episcopi, Palatini, Castellani, Marschalci, Cancellarii, Thesaurarii, Supremi Exercituum Generales, Campiductores, & alii infiniti Dignitarii, tum Regni, tum terrestres, nec non Curiæ Regalis, tam spirituales, quam seculares: prout in utraque Polonia, ita non minus in M. Ducatu Lithvaniæ, ut, non immerito Reges Poloniæ a summis Politicis, Reges Regum dicantur. Quod deficiente stirpe Regia ex Ordine Equestri ipsi insuper Reges substituantur. Quod cum Nobilibus Polonis magni Cæsares, Reges, Principes affinitate jungi frequenter soleant. Quod apud Polonos paupertas Virtuti nihil deroget. Quod pauperrimo Nobili, æque, ac opulentissimo Magnati pariter suffragentur omnia Jura atque immunitates Regni. Quod fidelitati Nobilitatis Polonæ, tantum tribuant Reges, ut soli præ cæteris omnibus Monarchis gloriari sint soliti, se in sinu subditorum suorum tuto conquiescere posse. Et his, atque aliis similibus recensitis, sub finem subjungit admonitionem, quatenus Inclyta gens Polona in id totis incumbat viribus, ut

Moribus antiquis stet res Polona, virisque.

Quanquam autem dicto *Ossolinscio* Titulus iste Principis S. R. Imperii pessime successerit, (prout expositum) nihilominus ad alias novitates anhelare minime destitit. Rursus namque Legatione perfunctus ad summum Pontificem Romanum Anno circiter 1637 introduxit secum Ordinem *Cavalleriæ Beatæ Mariæ Virginis*: dubio procul spe ea fretus, se id, quod consequi non poterat sub Titulo Principis S. R. Imperii sibi soli præ cœteris omnibus suffragante, facilius consequuturum ornatum hocce ordine; ad cujus societatem admittere libuit Novos Cavalleros, tanto numero, prout sibi visum fuisset. Jamque super hunc Ordinem conjuraverunt LXX. Magnates, quorum Officii id debuit esse præcipuum, *Cultum B. M. V. strenue promovere*, in refractarios vero serio animadvertere, nullo habito respectu Jurium Regni securitati Dissidentium ab Ecclesia Romana, suffragantium: præterea in id incumbere debebant Domini Novi Cavalleri, quatenus Nobilis, qui non haberet tria millia Florenorum Pol. annui proventus, is nec suffragium in publicis Actibus, utpote in Electione, & Generalibus Regni Comitiis habeat. Sed solertioris prudentiæ Viri, ii præsertim, qui publicum Reipublicæ bonum inordinato zelo præferebant, prævidendo Ordinem huncce adinventum esse *ad Convulsionem Legum Patriæ, & eversionem Libertatis Nobilitaris, quæ potissimum in æqualitate consistit*: primum in particularibus Palatinatuum Comitiis plurimi huic Cavalleriæ contradixerunt, & post in Generalibus Regni Comitiis Varsaviæ celebratis communi omnium Statuum, &

& Ordinum Regni consensu ad interitum illam damnaverunt; prout ,hoc comprobatur Epitaphio in honorem istius Cavalleriæ conscripto: quod sic habet, prout sequitur:

Epitaphium Cavalleriæ, olim per Georgium Offolinski, Cancellarium Regni Polonici in viscera Regni subdole introductæ, & tandem in Comitiis Generalibus æternum damnatæ:

Piis Manibus
Divæ Cavalleriæ.
Novi in Patria, Romani Imperii Principis
Filiæ
Antiquarum apud cæteros Reges, ineptiarum
Neptis
Illustrium contra Reges, & Respublicas conspirationum
Sororis
Hispanici Sodalitii destinatæ
Alumnæ
Nymphæ quæ nuper in summas spes genita
Et addictum paucis Proceribus (ipsi Principi formidabilem)
Sarmaticæ Aristocratiæ statum
Vasto ambitu complexa
Infensa Regis, Senatus atque Ordinis Equestris, conspiratione.
Heu!

Heu! tenera adhuc & a Matre rubens
strangulata
In publico Ordinum consessu ac Theatro Reipublicæ
Lugubri ante diem Fato
Paulo ante Calendas Majas, Varsaviæ expiravit
Anno 1638.
Æternum infandi luctus monumentum
Mæstissimi Parentes posuerunt
Eodemque tumulo
Acerbi luctus impotentia victi
Pro Violis & Rosis
Scissis Comis, & vulsis capillis
Partum recens mitratæ frontis honorem
Celsitudinumque suarum Titulos, & delicata novæ purpuræ ornamenta
Dulces exuvias, dum Fata, Deusque sinebant
Teneris, dilecti pignoris, ossibus
quo mollius cubent.
Non tam libenter, quam merito substraverunt,
sepeliverunt.
Quam longa una dies, ætas tam longa rosarum
Quos pubescentes juncta Senecta premit.
Scilicet in magnis, & voluisse, sat est.
Viva la casa di Austria
Viva la corte di Madrit.
hoc est: *Vivat & vigeat Domus Austriaca, & Madritensis, nempe Hispanica.*

Nec tamen succumbens tantæ confusioni dictus *Offolinski*, qua hac quoque occasione, fuit

fuit affectus, & maximo rubore suffusus, idem auctor fuit *Uladislao IV.* conscripti militis Extranei, inscia Republica ad bellum Turcis, durantibus pactis, inferendum, quod similiter in Comitiis Regni Generalibus, cum maximo illius cruciatu est annihilatum, prout id expositum est initio Historiæ.

Idem *Ossolinski* postquam vidisset, se id, quod in animum induxerat, in effectum deducere nequivisse, aliam aggressus viam; dummodo conflaret bellum (immemor, illud esse omnium malorum Metropolim, & semel sumta arma rursus deponere, nonnisi in arbitrio Victoris situm est: Victoriam autem non in robore bellantium, sed in manu Domini Exercituum consistere) id consilii dedit Regi, ut Cosaccos ad lacessendos Turcas stimularet: quatenus Tatari vice versa incursionibus suis Polonis alta pace frui volentibus necessitatem bellandi imponerent.

Idem id ipsum apud *Chmielnicium* pertractavit, (quod exponitur superius præcipue pag. 38.) quod multo secus, quam ille imaginabatur, successit: prout præsens quoque dies testatur. Inde enim rebellio Cosaccorum sumptis primis exordiis, in dies majores vires sumit, & nisi ipse Deus adversitatibus Polonorum remedium adhibere dignatus fuerit, verendum est ne ultimam Regno florentissimo hoc sagacissimum consilium adferat ruinam.

Idem

Idem *Ossolinski* Regis *Casimiri*, (protestantibus contra illum plurimis, & suffragia Carolo minori Fratri deferentibus, (cujus rei etiam fit mentio in descriptione Electionis *Casimiri*) præcipuus Creator fuit. Idem Cosaccorum omni occasione singularis Fautor, & dum delendorum illorum Deus suppeditabat media, fidelissimus eorundem conservator, existimans illos esse aptissimum instrumentum ad tollendam æqualitatem ex ordine Equestri, & ad introducendum per eosdem absolutum Regis Dominium. Quod ipsi & viva voce varii, sæpius, inter alios Jeremias Visniorvietzki in os objecit: *Hoc erat vetus Ossolinsciorum opus: corrumpere semper Reipublicæ corpus; &c.* scriptis adhuc viventi multoties exprobrabatur. Sed fuit ita circumspectus, ut, quamprimum aliqua scripta in lucem prodierunt, protinus sepelirentur. Ejus tamen rei vestigium aliquod apparet in Colloquio illo, post Pacta ad *Zbaraz* confecta, conscripto, & superius inserto.

Verbo, quicquid calamitatum Patriæ, tempore *Vladislai IV.* optime constitutæ, & singulari Dei beneficio, nitore florentissimæ pacis in oculis vicinorum, ad invidiam coruscanti, attractum est, ex quibus semel involuta Respublica & mirifice ad hæc usque tempora exagitata eluctari non potest, id totum acceptum referri debet huic novitatum inventori. Cujus merita in Rempublicam, quam grata recolantur mente,

te-

testatur Epieaphium ejusdem *Georgii Ossolinscii*, quod sequitur:

In Obitum Georgii Ossolinski, Cancellarii Regni:

In mortis cancellis Cancellarius errat
Ossa Osolinii jam brevis urna tenet.
Vir qualis, quantusque fuit, mors indicat ipsa;
Congrua nam vitæ mors fuit illa suæ.
Comitialis erat pestis dum viveret ipse,
Morbus, quo periit, Comitialis erat.
Res augere suas cupiebat jure caduco;
Morbus, causa necis vera, Caducus erat.
Utque virum possis certo cognoscere sacrum;
Morbus erat, mortis proxima causa, Svcer.
Herculis utque scias instructum dotibus esse,
Herculeus Morbus, quo cadit ille, fuit.
Mors tua sane ingrata fuit, Vir maxime, cunctis,
Nempe quod heu! sero contigit illa tibi.

Sed ut redeam ad pertexendam Historiam: Quanquam respectu multitudinis Cosaccorum, & Tatarorum, valde exiguæ Copiæ militiæ Polonicalis relictæ erant Ducibus *Potocio*, & *Calinovio*, nihilominus heroico animo pericula contemnendo, progressum suum direxerunt Kijoviam versus: quo per loca desolata procedendo, quantas experti fuerint difficultates, vix fides narrantibus adhibebatur. Experti namque va-

rias injurias cœli, nunc tempestates eximias (quæ antehac plurimis calamitatibus labefactis, multum molestiæ creabant) nunc æstum solis insolitum, & vix tolerabilem, præsertim peditibus, nunc passuum superandorum difficultates: (recedendo namque a *Beresztetzko* hostes pontes nullibi relinquebant) sed præcipue assiduam famem: nam obvia quæque fugiendo exurebant, insuper & molas, unde factum, ut non pauci pedites inopia commeatus interirent. His tamen omnibus minime succumbendo, sed omnia forti animo superando, magna in persequendo hoste usi sunt celeritate, majorem adhibituri, nisi *Potocium* adversa valetudo præpedivisset, & universum Exercitum fames potissimum retardasset. Ad quod malum evitandum, divisus est Exercitus in tres partes, quarum una commissa fuit *Calinovio* Campi Marschalco: cui se adjunxit *Stanislaus Pototzki* Palat. Podoliæ: altera *Landskoronscio* Palat. Bratslaviensi; cui se adjunxit *Jeremias Visniorvietzki*: tertium ductabat ipse *Nicolaus Pototzki* Supremus Generalis, cum *Alexandro Koniezpolscio* Vexillif. Regni. Omnes autem iter suum dirigebant ad Civitatem Lubartow: quod tum Civium frequentia simul & industria, tum situ loci, naturaliter munita existens, intacta hactenus ab hoste remansit, & omnium rerum abundantia afflueret. Severum autem promulgatum est edictum, ut quam placidissime cum in-

incolis locorum illorum agerent, ne aliqua insolentia ad desperata adigerentur consilia. Magnates etiam subditis suis intimabant, ut ad frugem redirent, promittendo illis universalem Amnestiam; sed hæc ab illis surdis audiebantur auribus.

Sub id tempus *Chmielnitzki* a Tataris dimissus, cum tenui spe suppetiarum, pervenit ad Civitatem *Pawolocz*, ubi primum accepit nuncium de suorum ex Castris ad *Bereszteczko* relictis fuga, & subsequente eam clade, simulque de iis, quæ in Lithvania per *Radzivilium* adversa Cosaccis contigerunt Fortuna, gestis, ac denique de adventante *Potocio* cum Exercitu. Quibus acceptis non mediocriter est animo perculsus: nihilominus recolligendarum virium nulla intermittit media. Et primo quidem expedit ad remotiores Russiæ partes Litteras, exhortando ad perseverantiam in cœpto negotio, atque inculcando inconstantiam Fortunæ, quod varietur ad instar Lunæ; & quos evexerit altius, eos iterum solitam esse dejicere ad imum: & quamvis nunc favisse videatur Polonis, nil tamen illos præter campum, & in abjectissimis Castris aliquot ollas cum jusculis ex surfuribus confectis: & aliquot assaturas, easque de propriis jumentis, obtinuisse: interim expeditissimos milites Cosaccorum ad meliores occasiones esse conservatos: quibus non deerit resarciendi accepti ad *Berestetzko* damni, modus, (dummodo ipsis non desit constans in proposito animus) idque tanto facilius, quod Rex cum majoribus copiis coactus fuerit redire in Poloniam ad resistendum *RAKOCIO*, qui invasit caput Regni, nimirum Cracoviam: ideoque in tantum distractas esse vires Polonorum, ut nunc aliquot tantum Magnatum cohortes nuperrimo successu exultantes, cum iis Ducibus, qui jam semel se auctore *Crimeam* visitaverunt, ostentari, (ad insultandum, quasi totaliter subactis subditis) possint. Sed frustra illos & quidem arundine niti: cum & flos militiæ Cosaccicæ, animis minime concidens confluat; & Tatari propediem ad detergendam sibi nuper affricatam ignominiam affuturi sint: Ad subveniendum itaque communi causæ, ut cœteri quoque adesse non tardarent, monuit. Quæ quamvis fuerint mera commenta, præcipue de *RAKOCIO*, qui tunc temporis adhuc fuit amicus Polonorum; sed talia ejusmodi occasione finxerat *Chmielnitzki*, quod non contentus eo, se commovisse totam Russiam & magnam partem Lithvaniæ, ad ciendos novos in Polonia motus, concitaverat quendam impostorem *Napirski* dictum, qui simulans se esse *Kotskam* Illustris ac Magnificæ Prosapiæ, instinctu *Chmielnicii* (prout hoc subjectus tormentis fassus) Arcem monti Carpatho, ac porro *Hungariæ* vicinam dictam *Czorstein*, non procul a Cracovia, spe altissimæ in illis partibus pacis, minus diligenter custo-

ſtoditam, cum parva quidem manu inſederat; ſed nefarii propoſiti habuit ſocios quamplurimos, in confiniis *Poloniæ* & *Hungariæ* Regnorum, peſſima quæque (quod illis promitteret libertatem a jugo Dominorum) attentaturos; niſi hoc malum in herba fuiſſet ſuppreſſum, vigilantia & induſtria Epiſcopi Cracovienſis Petri *Gembitzki.* Qui, quamprimum molimina iſta ad notitiam ejus devenerunt, multo auro conducens aliquos eorum, qui huic *Pſeudokotskæ* nomina ſua dederant, curavit præſentari ante portam arcis; quos ille Gubernator Arcis cernens, ac ſinceros ſocios ſuos eſſe credens, lubenti animo intromiſit. Nec multum cunctatus Epiſcopus, circiter 2000 hominum cum tormentis ad obſidendam illam Arcem admovit, qui, quam primum eo advenerunt, confeſtim aquam impoſtoribus ademerunt, & ſine intermiſſione ex tormentis contra Præſidiarios Arcis detonarunt; qui jam aqua deſtituti, & de ſubſidio ſibi ſubventuro ſpe omni dejecti, colloquium expetierunt, quo obtento, compactum eſt utrinque, ut principales in manus militum Epiſcopi vincti traderentur, cœteris autem liber paſſus, quo quisque voluit, eſt permiſſus: & ſic impoſtor ille cum ſuo Marſchalco, agreſti quidem viro, ſed latrociniis claro, vinctis ad tergum manibus, curru eminentiori ad id præparato Cracoviam invecti, & condigno ſceleri ſuo ſupplicio ſunt affecti.

Quam-

Quamvis, inquam, ea, quæ *Chmielnitzki* credulæ Plebi ſcripſerat, mera fuiſſent figmenta, nihilominus hoc modo in ſpem erecti, ſubito, non ſecus, ac locuſtæ, quæ frigoribus aduſtæ periiſſe videntur, quam primum tamen radiis ſolaribus in meridie bene caleſcentibus bene attactæ fuerint, mox recuperando vires ac vitam, nubium inſtar ſurſum elevantur; ita & Coſacci, numero omni opinione majore concurrunt ad *Chmielnicium* ad *Maslowy Staw*: atque concurſu tum Zaporovienſium, tum trans Boryſthenenſium, tum Ukrajnenſium, tum denique Tatarorum circiter 2000, mox efficiunt XL. Millia.

Quod poſtquam *Pototzki* audiviſſet, ille etiam Chano Tatarorum ſcripſit Litteras, variis modis in id ipſum inducendo, ut ſocietati Coſaccorum, prout ſe ad *Zborovv*, mediantibus Pactis, obligaverat, renunciaret.

Sed nec *Chmielnitzki* auxilium Tatarorum ſollicitare intermiſit, demonſtrans ſecuritatem illorum poſitam eſſe in fortuna Coſaccorum, quibus, ceu fortiſſimo propugnaculo illorum, prolapſis, inevitabilem Tataris imminere ruinam.

Ad Portam quoque Otthomanicam cum magna feſtinatione expediverat Legatos, implorando opem illorum, ſimulque promittendo ſi illam conſequuti fuerint, ſe infallibiliter potentiam Polonorum repreſſuros; quod ſi fuerint a Turcis derelicti, ſibi nihil aliud facien-

 dum

dum restare, quam vel iniquissimis conditionibus inita cum Polonis pace, arma cum iisdem, ad quod faciendum jam dudum stimulantur, sociare. Et hæc quidem tum Palatinus Moldaviæ, tum Imperatoris Rom. in Porta residens, Polonis perscripserunt.

Quapropter *Potorzki* cum per exploratores suos (quo officio functi sunt aliqui veterani Regestrati Cosacci) tum ex memoratis locis cognita habens omnia *Chmielnicii* molimina, in id totis incumbebat viribus, ut illa maturo cum *Chmielnicio* congressu suo antevertere posset: itaque ut accrescenti in dies multitudini hostium majores copias opponere queat, Filium suum, quem cum duobus millibus reliquerat ad *Camenecum*, quatenus obsistendo conatibus hostium, de commeatu sufficienti illi Fortalitio provideat, ad se revocat, atque hoc modo aucto Exercitu, tendens versus Civitatem *Bialacerkiev* dictam, præmisit septem turmas, dans illis in mandatis, quatenus aliquos hostium intercipiant, ut de intentionibus *Chmielnicii* melius informari queat. Qui deambulando circa Civitatem *Pawolocz*, ad quam multitudo Cosaccorum ex proximis locis confluxerat, reperta in eo tractu maxima omnium rerum copia, non solum lautius sese invitarunt, verum etiam quæ supererant, Vulcano dedicarunt. Sed insolentiam hanc non sinit Deus impunitam. Cum enim regrederentur ad Castra, ac paululum processissent ultra *Pawolocz*, inciderunt in duo Millia Cosaccorum, & 500. Tataros; qui, siquidem maximo impetu in se irruerunt hostes, existimando universam ex Civitate potentiam in se esse effusam, relictis curribus, commeatu, & variis spoliis repletis, effusa fuga versus Castra contenderunt, hostibus sese acerrime insequentibus. Ecce autem casualiter superveniens cum cohortibus suis *Jeremias Visniorvietzki*, & *Vojnilorvitz*, totis viribus in agmina hostium irruunt, & plane in duas partes dividunt. Quo intellecto jam fugientes, rursus conversi in hostem, illum dissiparunt, & unitis viribus insistendo hostibus, atque illis permixti in ipsam Civitatem involarunt, atque partim fusis, partim fugatis Cosaccis Civitatem obtinuerunt, datoque ad Castra nuncio, tanta potiti sunt præda, imprimis autem Commeatu, ut universis sufficeret. Captivos etiam complures ex Cosaccis, sed & ex Tataris aliquot abduxerunt. Qui interrogati de numero suorum, dixerunt, nunc tantum 2000. adesse *Chmielnicio*, propediem autem affutura 6000. cæteros pascendis equis excubare; sed illos etiam jussos esse paratos ad omnia momenta, quandocunque a *Chmielnicio* vocarentur. Addebant præterea, hanc esse inter Cosaccos famam, aliquos tantum Magnates cum Prætorianis cohortibus suis in has partes venisse, eamque ob rem tam animose sese turmas illas adortas esse.

Ita-

Itaque *Pototzki*, accepta tali de hostibus relatione, in eam vergebat sententiam, utendum esse celeritate, ipsumque *Chmielnicium* ceu belli Caput aggrediendum, prius quam auxiliis Tatarorum augeret copias.

Sed quia tum propter pedites, qui post exantlatas molestias nondum totaliter resumpserant vires, tum propter impedimenta bellica, quæ languidioribus jumentis tracta, nonnisi lente procedere poterant, non erat modus adhibendi celeritatem, idque tanto magis, ne forsan nimia festinatio in aliquas insidias induceret, mutata priori sententia, cursum suum flectendum curavit ad Civitatem *Chvvaltov* dictam, quæ erat in recto itinere versus Kijoviam: quo appropinquare *Joannem Radzivilium* certa adferebatur fama: cujus interea in Lithvania gesta silentio nequaquam prætereunda.

Jam equidem pestem hanc rebellium superiori Anno *Radzivilius* amoverat a Lithvania; sed *Chmielnitzki* renovando in Russia bellum, nil intactum relinquebat, quod ad stabiliendas res suas spectare existimabat. Itaque præcavendo ne Lithvanicus Exercitus conjungi cum Polonico possit, quemadmodum ad excitandos in submontanis partibus novos tumultus, subornaverat *Pseudokostam*, (de quo superius pag. 179) ita Lithvaniam quoque rursus implicare volens, miserat cum viginti selectissimorum Cosaccorum Zaporovianorum & trans-Borysthenensium millibus, celeberrimum quendam Legionarium, ad cujus nominis famam plebs quoque certatim confluebat *Niebaba* dictum. Qui cum pervenisset ad Civitatem dictam *Lojorv*, quam antehac *Podophaylo* exusserat, mox illam reparavit, munitionesque locis opportunis erexit, prohibiturus inde passum versus Russiam ire volentibus; cumque intellexisset adventare *Radzivilium* (cui Rex perscripserat a *Bereztetzko*, ut in id incumberet, quatenus quanto citius cum *Potocio* conjungeretur) relicto in Civitate valido præsidio, summa cum arrogantia in occursum ei progressus est: volens in campo patentissimo cum illo aperto Marte experiri. Sed *Radzivilius* tanquam Argus centoculus ad omnia pervigil, cognita tempestive per fidelissimos exploratores intentione *Niebabæ*, convocato ad se universo Exercitu Lithvanico, intrepide cum illo contra hostem, numero militum se longe superiorem, (adhibita summa diligentia, ne vel unicus ex Castris suis ultra excubias pedem efferret, ne aliquo modo nuncium hosti de adventu suo adferret) die ac nocte procedit. Altera die in aurora instruit aciem ad formam Lunæ, ad utraque cornua collocans desultorios milites, & juxta eos statim cohortes levioris armaturæ; in meditullio autem 1500 hastatos; postea interjecto aliquo spatio, universum peditatum in duas partes, quasi duos parietes, ita late ad invicem distantes, ut si ho-

hoste nimium urgente necessum esset ad carraginem pedem referre, intercapedo illa posset universum Exercitum comprehendere, & ab insultu insequentium tueri, præmissis tormentis dividens, ultimo autem loco lento gradu procedens carragine, cujus utrumque latus claudebant Calones & Lixæ, atque in hunc modum summo silentio progreditur. Interim Cosacci quod nullæ antecessoriæ turmæ *Radzivilii* conspicerentur, rati illum aliorsum divertisse, compotationibus indulgent, concredentes salutem suam excubitoribus, in quorum conspectum dum *Radzivilius* venisset, mox relicta statione sua recurrunt ad Castra nuntiaturi adesse hostem. Tum demum *Radzivilius* jubet inflari tubas, percuti tympana, explodi grandiora tormenta, servatoque eo ordine alacrius progreditur. *Niebaba* autem non tantum ex relatione excubiarum, verum etiam ex resonantia armorum, cognoscens adesse eum, quem præstolabatur, educit turmas suas tanquam scopis dissolutas in campum; quas cœperunt lento passu circumire cornua illa, ac desilientes ex equis Dragonerii, cœperunt creberrimis globis impetere posteriora agmina. Eodem momento prosilierunt etiam hastati, qui maximam confusionem ediderunt in Cosaccis. Pugnatumque est graviter ferme tribus horis. Superveniens autem peditatus cum machinis bellicis, hostem partim cædit, partim in fugam conjicit. *Niebaba* ipse

ipse, & frater ejus vices fortissimi Ductoris subeundo, occubuit una cum fratre suo. Periere præterea Cosaccorum plusquam 3000. complures etiam capti: vexilla XVI. erepta: Castra direpta. Simulque cum peditatu insultum faciens in ipsam Civitatem *Lojorv*, victoria potitur, quæ tanto illustrior est habita, quod in illa perierint tres Legionarii, *Pultora-Kozucha*, *Kapusta*, & *Krawczenko*. Cœteri, qui ex prælio evaserunt, contulerunt se ad Civitatem *Czernichoviam* bene munitam, & valido præsidio firmatam, sub commenda *Stephani Podobaylo*.

Volens autem secundum mandatum Regis adventum suum ad Castra Polonorum maturare *Radzivilius*, relictis circa *Czernichoviam* justis sub regimine *Fronczkievii* copiis, ad arcendas excursiones Cosaccorum, qua potuit celeritate castra sua promovebat. Ad cujus adventus famam, *Lubeczam* Cosacci ultro deseruerunt, *Czernobyl* autem, cui defendendo impositus erat *Antonius* & *Orkussa* (his fuga subductis) sponte sese ad arbitrium *Radzivilii* dedidit. Et horum exemplum secutæ sunt aliæ Civitates, quibus Dux *Radzivilius* gratiam suam declaravit, profugorum autem vestigiis insistendo, illosque ad fluvium *Irpam* assecutus, magna ex parte profligavit, eoque redegit, ut coacti fuerint exutis omnibus impedimentis, & ponte dejecto (ne victori insequendi sese pateret

ret via) recurrere usque *Kijoviam*. His peractis cum jam nihil supereſſet, quod obicem progreſſibus ejus verſus *Kijoviam* poneret, totis viribus in eo, ceu ad præcipuum Ruſſiæ caput, tum navibus, ſecundo Boryſthene cum peditatu; tum continenti, pari cum navigantibus paſſu, iter accelerabat. Cujus rei fama poſtquam delata fuiſſet *Kijoviam*, non ſolum præſidiarii, quorum erant decem millia, præter *Antonium* & *Orkuſſam*; ſed & incolarum potior pars, inſuper & Metropolita ſive Epiſcopus *Kijovienſis* ritus Græci, *Sylveſter Koſovius*, & Præpoſitus Cœnobii Ruſſorum, quod ibi eſt celeberrimum, (præcipue quod in ſpeluncis quibusdam, quas illi Pieczary dicunt, antiquorum ſupra mille annos defunctorum admirandæ magnitudinis corpora, mira arte ad hoc usque tempus intacte conſervata repræſentantur) *Joſephus Trizna*, & Univerſus Magiſtratus Urbis, eam deſeruerunt, exaratis ad Exercitum tum Regni, tum M. Duc. Lithvaniæ litteris ſupplicibus, ne Urbi ſuæ aut Templis aliqua vis inferretur: declarando ſe contra Regem, aut Rempublicam nihil hoſtile unquam tentaſſe; ſed pro incolumitate eorum preces ſubinde fudiſſe, multorum Nobilium, tum virorum, tum fœminarum vitam & fortunas, inter belli æſtus integre conſervaſſe, provocantes ad teſtimonium eorundem, ſimulque aſſerentes, ſe tempeſtive declaraturos fuiſſe ſubmiſſi animi indicia, niſi ar-

armati undique viam præpediviſſent. Quæ quidem Litteræ prius pervenerunt ad *Radzivilium*, utpote ad eum, a quo proximius periculum Urbi imminebat. Qui victus precibus, ingreſſus quidem eſt in Urbem armatus; ſed nullam hoſtilitatem exercuit: ſolummodo inhabitatores, quos adhuc ibi reperierat, totaliter exarmavit; relicto autem propter ſubitaneos caſus in Urbe præſidio, ipſe prope eandem Caſtra fixit; propiorem eo adventum Polonorum expectando; unde de ſucceſſibus ſuis *Potocium* certiorem reddit: pariter & *Pototzki* non intermiſit ſcribere de iis, quæ apud ſe gerebantur.

Interim excitatum eſt caſualiter, in ea parte Urbis, quæ Boryſtheni adjacet, incendium, quod conſumpſit prope 100. Domos 6. Aug. Sed poſtero die coortus ignis multo majus damnum intulit. Etenim præter complures Incolarum domos, & fornices mercibus plenos, ducentæ Nobilium Aulæ, multa item Templa tum Romani, tum Græci ritus conflagrarunt: præcipue unum vetuſtiſſimum a *Vlodimirio* olim Kijoviæ Duce extructum. Augebat ignem, veſpera imminente, vehementiſſimus ventus, unde ſparſa in diverſas partes flamma, Caſtris etiam periculum minabatur. Et niſi accurſu militum reſtinctum fuiſſet illud incendium, tota Civitas conflagraſſet. Cumque vix conſidere ignis cœpiſſet, advolat ex Partia *Radzivilii* quidam Ductor *Noldius*, adferens nuncium, Co-

Coſaccos Tataris mixtos, magno impetu irruentes, currus, ac famulos commeatum inferentes, non procul a porta Urbis, aurea dicta, intercipere. Subito itaque canitur claſſicum: quo audito, hoſtes mox terga obvertunt, quos dum nullo ſervato ordine *Radziviliani* alacrius inſequuntur, a fugientibus aliqui cæduntur, aliqui ſauciantur. Sed accurrentibus integris cohortibus, præſertim deſultoriis equitibus, atque præoccupato præter opinionem hoſtium ponte, per quem hoſtes venerant, & vehementer recrudeſcente pugna, hoſtium ſupra mille occubuere, & captivi plures quam 100. abducti, reliquos nox e conſpectu eripuit. Qui temeritatem ſuam ſero incuſarunt, quod contra Ordinantiam *Chmielnicii*, non expectatis majoribus copiis jamjamque adventantibus, quibuscum conjuncti debuerant Caſtra *Radziviliana* aggredi, & ſeipſos in hoc diſcrimen conjecerunt, & aliis occaſionem rem bene agendi eripuerunt. Quorum intentio ſiquidem ex captivis jam bene conſtiterat *Radzivilio*, nil magnum contra illum, quem ad omnia momenta paratum eſſe ſciverunt, attentare ſunt auſi, ex inſidiis tamen aliquot pabulatores intercœperunt.

Quamquam autem *Chmielnicio* optime conſtitit, *Kijoviam*, in qua ſpem ſalutis ſuæ ponebant Coſacci, jam præſidio *Radzivilii* teneri; minime tamen deſtitit, diſperſas, quaſi poſt naufragium, virium ſuarum colligere tabulas, id-

idque tanto magis, quod tam promptos ad ſubeunda juſſa ſua experiebatur agreſtes, ut inter illos ipſos ſæpius tales reſonarent voces: Minime decorum eſſe propter unius prælii minus felicem eventum, aut relictam unam Civitatem penitus deſperare. Nil tale ſibi accidiſſe, quod non prius evenerit Polonis, & quidem multo cum majore tum Gloriæ tum fortunarum eorum jactura: ſperandum potius eſſe, Fortunæ rotam res ſuas rurſus ſublevaturam; quod ſi etiam contra ſe in tantum Polonorum fata conſpiraverint, ut illis urgentibus, antiquis ſedibus migrandum ſibi foret, non defuturam ſibi ſub Turcis æque fertilem glebam, in qua cum pari felicitate, cum majori autem (imprimis religionis) libertate, vitam traducere poſſint.

Interea temporis Exercitu Polonico ad *Chwaſtorv* procedente *Michael Jeremias Korybut Visniorvietzki* Palatinus Ruſſiæ, qui ortum ducens ex Illuſtriſſima Familia Ducum Lithvaniæ (quorum alter nempe *Jagello*, ſemel ad Coronam Regni evectus, ſpatio 200. Annorum in eodem dignitatis faſtigio ſucceſſores habuit, usque ad Filiam Sigismundi Auguſti, Conjugem *STEPHANI BATHOREI* Regis Poloniæ; alter vero videlicet *Korybut Jagellonis* Frater Germanus, hujus autem noſtri prædeceſſor usque adeo generoſa ſobole felix, ut prout olim ex Equo Trojano plurimi prodiere milites, ad inferendum Trojæ ultimum excidium: ita ex ipſa

ipsa fronde evulsa una, semper succedebat alia, quæ Patriæ suæ opportunum adferebat subsidium. Quos inter non postrema laus debetur novissime fato functo *Jeremiæ*, qui minime degenerans, sub gentilitiam arborem suam insitiva novi Herois gemmula, Avorum virtutibus virtutem, meritis merita, gloriæ gloriam adjiciebat. Simul namque atque capessendis armis idoneam ætatem attigisset, exiguo corpore multo majorem gestans animum, magnorum semper capacem, atque clarescere ardentem; nullum cum Tataris certamen intermisit (spatiosum sibi ad id campum præbente amplissima in finibus Russiæ hæreditate incursionibus Tatarorum exposita) nullum prælium cum Barbaris, nisi magno cum virtutis specimine commisit. Prout hoc declaraverat & antehac sub auspiciis *Uladislai IV.* & felici regimine *Stanislai Koniecpolscii*, dum ad *Ochmatow* Exercitus Polonicus insigni de Chano Tatarorum Anno circiter 1544. potitus fuisset victoria; cujus magna pars, nec immerito, huic tribuebatur Heroi: nec minus in fatali illa, post decessum *Uladislai*, Regni & felicitatis Polonæ Ecclipsi, dum hostem post profligatos Exercitus Regni in viscera Patriæ sævire properantem, tanquam Atlas sarmaticus humeris suis sustinuit: nec minus in illa ad *Pilarvce* occasione declaravit, se nulla rerum vicissitudine frangi posse, dum aliis fugientibus, sine ulla ani-

animi perturbatione Commilitones suos ad tutiora gloriose reduxit incolumes: declaravit se ad ardua pro Patria subeunda natum, in illa obsidione Zbaraziensi: nec exilem priorum decorum titulis novissimo ad *Berestetzko* commisso prælio addidit cumulum, declaravit se indefessum in agendo, in particularibus jam huc tendendo cum hostibus congressibus. Quapropter publica ferme vox judicabat illum ad conficiendam rebellionis excetram maxime habilem, & hinc summo Exercitus Regimini illum destinabat. Neque id illum præteriisset, nisi vitæ ejus filum crudules Parcæ fuso suo usque adeo nevissent parçe, ut non potuerit suam ætatem ad eam rerum perducere tempestatem, donec Fato suo feliciter perfuncti fuissent ii, quos hæc dignitas ad extremam vitæ illorum concernebat lineam. Hic ergo talis, & tantus in ipso ætatis flore, in ipso gloriæ cursu, ineffabili Patriæ damno, & summo omnium luctu obiit. Nec immerito sane perculit gravissimo ictu totum Exercitum tanti Sideris Orbis Polonici Occasus, a cunctis tristissimos planctus, lacrymasque largissimas extudit, & vix non arma omnibus justissimus dolor excussit. Interveniente itaque tam tristi Illustrissimi Principis casu, nihil in hostem prius tentari potuit, donec ei militaria justa fuissent persoluta. Postquam igitur corpus illius cum solenni militari pompa lugubri longe extra castra eductum fuis-

 set,

ſet, ſequenti ſtatim die Generalis *Pototzki*, publico mœrori (quem augebat *Hiacynthi Rozrazevii* optime de Patria meriti, mors) quærens ſolatium, promovit Caſtra ad Civitatem dictam *Trylesy*, (ſic appellatam ideo, quod triplicato ordine ingentium quercuum terræ profundiſſimæ defixarum, fuerit munita) quæ cum bene munita fuiſſet, ab oppugnatione ſui deterrebat nonnullorum animos. Verum *Pototzki* Generalis prævidendo id maximæ noxæ futurum Exercitui, niſi in poteſtatem Polonorum redacta fuiſſet, oppugnare illam neceſſario ſtatuit. Præmiſit nihilominus prius Fecialem ad Gubernatorem loci, animum illius pertentaturus, num honeſtis conditionibus ſecum paciſci velit? qui cum arrogantius reſponſum dediſſet, mox jubet omnes paratos eſſe ad oppugnationem, ac præeuntibus cum peditatu *Przyjemscio* Artilleriæ Magiſtro atque *Berkio*, Principis *Boguslai Radzivilii* Colonello, his autem ſuccedentibus cohortibus Equitum, qui ſponte deſilientes de equis, non ſegnius, quam ipſi pedites accurrendo ad pomeria Civitatis, atque arbores illas alacriter ſuccidendo, & cunctis rem ſtrenue agentibus; ubi autem concidit una & altera arbor, globis de tormentis emiſſis præſidiarios disjicientibus; quanquam adeo maſcule reſtiterunt, ut cum occumbere viderent ſuorum complures, in locum illorum non tantum Viri ſuccederent alii, ſed inſuper fœminæ cum fal-

falcibus, non ſine damno Polonorum. Nihilominus Poloni ſumma cum alacritate (omne periculum contemnendo) prius Civitate, & rurſus intra duos aut tres horas Arce etiam potiti ſunt. Qua in oppugnatione tamen non ultra centum deſiderati ſunt milites, & duo Centuriones Germanici. Quia vero & ante oppugnationem magna arrogantia, & in ipſa oppugnatione magna defenſorum apparuit obſtinatio, ideo poſtquam fuiſſet capta Civitas, omnia permiſſa ſunt arbitrio militum. Quapropter nec ætati, nec ſexui parſum. Ipſe autem Ductor Coſaccorum *Alexandrenko*, cui erat in *Scianki* parſum, in furcam actus. Bona omnia, quæ in Civitate ſunt reperta, militi in prædam ceſſerunt: quæ vero auferri non poterant, flammis ſunt deſtinata; in exemplum, quo Victor, declarans bene ſe noſſe artem debellandi ſuperbos, cœteris incuteret timorem, ne nimium criſtas erigendo, certæ paci incertum rerum præferant eventum. Et omnino in altum valde ſublata in *Trylesy* flamma, atque adferens ad *Chwastovv* nuncium, quale obtinuerint rebelles prœmium, effecit hoc in animis omnium eorum, ut Civitatem omni præſidio & inhabitatoribus nudatam, omnibus autem bonis refertiſſimam Exercitui Polonico relinquerent patentem. Hæc, quæ in *Trylesy* & *Chwastovv* evenerunt poſtquam cognoviſſet *Chmielnitzki*, miſit Litteras *Potocio*, declarans ſe una cum

cum Cosaccis Pactis *Zborovianis* stare velle, simulque obsequia Regi & Reipublicæ præstare paratos: injurias sibi hactenus illatas Deo committere: id etiam intimando, incertam esse Martis aleam, & inconstantes fortunæ vices: insuper orabat, ut pro ea, qua tum in Exercitu, tum in Senatu pollet auctoritate, allaborare vellet, ut Cosaccis Gratia Regis, & antiquis libertatibus frui liceret. Ad quæ verbotenus Generalis *Pototzki* respondit: Se ad talia neque per Litteras, neque per Legatum; sed cominus coram respondere paratum. Interim in *Chwastovv* consistens cum Exercitu, mittit ad *Radzivilium* adhuc penes *Kijoviam* hærentem, invitando eundem ad se. Qui renuncians se sine mora venturum, atque certum adventui suo præfigens diem, accingit se itineri relicto ad *Kijoviam* sufficiente præsidio. Quo audito *Pototzki*, mittit honoris ergo ei Ductore *Joanne Sobieski* 25000. equites egregios, ipse cum reliquo Exercitu processit ad *Wasilkovv*, quo ipsi minus spatium ad conjungendum sese cum Exercitu Lithvanico superesset. Quo autem tutiorem sibi redderet tractum, præmisit explorandi gratia *Korycium* cum aliquot cohortibus levioris armaturæ.

Chmielnitzki vero partim nimis stomachans, quod sibi minime speratum a *Potocio* fuerit allatum responsum, partim in *Radzivilium*, ac Urbem Kijoviam intentissimos habens oculos, expedivit copias suas, cum pedestres Fluvio Borysthene, tum terra selectissimos Equites Ductore *Zlotarenko*: dans ei in mandatis, ut procedendo quam cautissime, in eo totis viribus allaboret, quatenus aut impediat passum *Radzivilii*, quominus conjungi cum *Potocio* possit, aut si intellexerit *Radzivilium* jam recessisse a *Kijovia*, eo se conferat, atque conjunctus cum iis, qui navibus deferuntur pertentet omni conamine *Kijoviam*, quam discessu *Radzivilii* patentem sibi fore sperabat. Sed multo secius, quam apud se proposuerat *Chmielnitzki*, res ei successit. Qui enim cum *Zlotarenko* expediti fuerunt, illi incidentes in *Corycium*, quodam in loco justo securius hospitantem, primo quidem Partiam ejus dissiparunt, & plane ad Castra usque sunt subsecuti; sed postquam hoc auditum fuisset in Castris, mox Vice-Generalis *Kalinovvski* cum valida manu erumpens, atque aperto Marte hostem adortus, notabiliter eum profligavit, & Castris exuit. Qui autem Borysthene navigiis vecti Duce *Orkussa*, illi non inventis sociis suis eo loco, qui illis erat designatus, postquam per Exploratores suos cognovissent, multo validius esse relictum præsidium, quam sibi imaginabantur, aperte nihil attentare sunt ausi: tantum silentio noctis accedendo ad scaphas *Radzivilii*, ex illis tres sunt suffurati, & ita regressi.

Sublatis denique omnibus, medio inter utrumque Exercitum loco, obviis impedimentis, feliciter conjunxit se utriusque Nationis Exercitus, Die 3. Sept. Anno Domini 1651. ad *Wasilkovv*, & inde processerunt ad Oppidum *Hermanowka.*

Postquam autem *Chmielnitzki* tum cladem suorum ex iis, qui se fuga periculo subduxerant, tum adventum *Radzivilii* ad Exercitum Polonicum ex resonantia tormentorum ad invicem sibi congratulantium Ducum cognovisset, mox deposita leonina pelle, induit vulpinam: atque per Litteras ad Generalem *Pototzki* exaratas, ac per quendam Cosaccorum missas, proponit: *Non esse necesse tam pertinaciter in suis prætensionibus utrique perseverare parti; neque in propria viscera tantopere sæviendum; sed potius intra justos margines cohibenda esse tam cruenta diluvia, quæ hactenus consumebant omnia; unitas vires aliorsum esse convertendas; se paratum esse officia Domino, & Reipublicæ debita fideliter præstare; dummodo sibi, & Exercitui Zaporoviano commissa hactenus delicta clementer condonentur:* Simulque rogavit, *ut deputetur aliquis vir idoneus, qui de omnibus rebus, placide cum Wyhovio, a parte sua ad id designato colloqui possit:* assecurans *non rebus infectis illum regressurum.*

Perlecta Epistola ista privatim Generales utriusque Nationis, convocatis Consiliariis bellicis,

licis, deliberant, qualiter respondendum, quidve faciendum esset? utrum nullo habito respectu desolationis istarum Provinciarum, ulterius procedendum, & armis negotium continuandum: an vero experimentum capiendum, num mala Patriam prementia dirimi possint? Nec deerant qui suaderent *a parte Cosaccorum nil boni sibi Polonos polliceri posse, nisi deleto nomine eorum; ac proinde nulla misericordia esse utendum.* Alii autem, qui exactius omnia rerum momenta secum excusserunt, hortati sunt, *ut memores illius usitatissimi, in rebus autem bellicis opportunissimi dicti: Sapientis est futura prospicere; scientes præterea incertam esse Martis aleam, ita consilia sua moderentur, ne successu temporis ab aliis improbentur. Cum autem manifestum sit, non esse in potestate aleatoris situm, ut id cadat, quod ipse desiderat, debere illum ita prudenter esse dispositum, ne post unum jactum, sit de ipso actum: ideoque nunc tum prosperos, tum adversos eventus esse prospiciendos; Quamvis enim generosi animi sit, optima quæque prout optare, sic &* polliceri *sibi, sed neque abjecti, mediocria tantum sperare: summe autem Circumspecti inexpectata etiam, quæ sors iniqua adferre solet, ob oculos ponere. Quapropter etiamsi Fortuna usque adeo faventem se Polonis præbuerit, ut ad internecionem delerentur Cosacci, cogitandum tamen esse, ne hoc quidem per omnia bono, ac commodo Reipublicæ cessurum. Siquidem intestini belli*

 even-

eventus, si is armis committatur, nonnisi tristis, & ut plurimum (etiam Victori) exitiosus evenire soleat: quod sublatis etiam Cosaccis ne eveniat, merito metuendum. Cum limites Regni Poloniæ nullis aliis propugnaculis sint muniti, nisi hoc, ceu antemurali quodam, Milite in Ukrajna contra incursiones Barbarorum, excubias noctes diesque agente. Hoc itaque propugnaculo subverso, quantum periculi a Vicinis Regno Poloniæ semper inhiantibus immineret, nullus est qui non videat. Quod si Exercitui Regni res non pro voto succederet; quod si in tristem adversæ fortunæ recidivam incideret (quod Deus clementissimus procul esse jubeat!) quis negare potest, ultimam hoc universo Regno allaturum ruinam? Itaque post varias pro, & contra ratiocinationes stetit, mitioribus prius in tollendo hocce Reipublicæ cancro utendum remediis; quod si ea non proficiant, tandem Medicorum more, adhibenda fortiora; ac porro placuit: hoc potissimum illis nunciandum esse, dummodo redeant ad frugem, & societati Tatarorum renuncient, illos de Gratia S. Majestatis Regiæ bene sperare posse: quod si in antiqua cum Tataris Liga permanserint, Regnum nunquam iis fidem adhibiturum.

Eo cum hac quidem denuntiatione missus est ab Exercitu Polonico ad *Chmielnicium Machovvski*: Qui postquam repræsentasset *Chmielnicio* Litteras responsum continentes, statim hoc illi

illi valde movit bilem, quod ipsi denegatus fuisset Titulus *Hetmani*: Hac in re tamen mitigatus a Cancellario Zaporoviensi *Joanne Vyhovio*, summa cum attentione perlegit Litteras, & illis lectis reduxit Legatum ad seorsivum colloquium, cœpitque plausibilibus rationibus demonstrare: se societati Tatarorum (quorum eximiam amicitiam expertus est) non posse renunciare; sed potius effecturum se apud illos offerebat, ut contra Portam Otthomanicam una secum penes Regnum Poloniæ arma sumant: tum *Wyhoswski* monuit illum, ut hoc differat ad alium terminum: quo autem facilius Pax coalescere posset, petat, ut crastina die mittantur ad Civitatem dictam *Biala Cerkievv* Commissarii omnia complanaturi. Interim induciæ ab utraque parte inviolabiliter serventur. Et his dictis dimissus est *Machowski*, cui adjuncti sunt Cosacci id ipsum ab Exercitu postulaturi, *Paulus Tetera*, *Daniel Wychowski*. Quapropter sequenti mane mittuntur *Adamus Kisiel*, *Palatinus Kijoviensis* (religionis Græcæ) & *Georgius Hlebowitz* Palatinus Smolescen. & præterea duo præcipui Nobiles, quos *Sapieha* cum Legione sua comitatus est versus Civitatem, tandem a Cosaccis honorifice excepti & introducti. Nec mora; adest etiam *Chmielnitzki* cum toto robore militiæ suæ, simul XL. M. Tatarorum, quos ductabat *Karaz Murza* (forsan audiverat ab aliquo, Pacta sub clypeo in-

instituere eum debere, qui vult felici illorum eventu gaudere) & collocatis circa Civitatem omnibus, secum autem assumptis primariis Legionariis, pergit ad Arcem, ibique Commissarios magna cum demissione salutat, offerendo se ad omnia media pacificationis esse promptum; cum autem circa puncta nomine Polonorum sibi proposita tractatum instituissent, & visus fuisset non reluctanti animo illis assentiri velle: subito plebs horribilem excitat tumultum, alta voce exclamando in hunc modum: *Vis cum Polonis pacisci, ut te ipsum & aliquos Officiales salves, nos vero rerum ignaros, & Tataros derelinquas? & ipse existens causa ejus rei, ut nos arma susciperemus contra Dominos nostros, nunc ipsorum Tyrannidi nos prostituit? Jam etenim nobis attrocissima quæque minantur. Sed antequam res eo deveniat, & tu hic occumbes, & nullus Polonorum hinc exibit.* Egressique ex Arce, cœteris qui exterius erant, qualiter cum Polonis tractetur, referunt. Quapropter tanto major excitatur seditio, jamjamque assultum ad Arcem, cum maxima vehementia parant. Prosiliens itaque ad illos *Chmielnitzki*, cum primariis Officialibus, cœpit dirimere tumultus illos, tum clava, tum gladio eos castigando. *Wyhowski* etiam instituta gravi oratione, hosce motos compescere conabatur fluctus. Sed parum profuerunt, plebe sine ratione furente, & Tataris tela sua ita ejaculanti-

bus,

bus, ut parum abfuerit quin Palatinus Kijoviensis sagitta trajectus fuerit; cui in os dixerunt aliqui, (dum moneret, ut abstinerent ab ejusmodi furiis, & confiderent sibi, qui cum sit os de osse illorum, ita Tractatus hosce dirigere velit, ut omnibus bene consulatur) *Scimus quidem te esse Os nostrum; sed videmus ossi Rutenico jam supercrevisse carnem Polonicam: propterea magis illis velificaris, quam nobis.* Dum itaque in maximo versarentur periculo, mittunt Commissarii Litteras per aliquam subordinatam personam, nunciando quid secum agatur, & se omnino incassum laborare, simulque rogarunt, ut se ex præsentissimo discrimine quam citissime eriperent. Et talia quidem postquam in Castris Polonicis relata fuissent, universus Exercitus pro maxima injuria id reputans, quod contra Jura Gentium ita procedant cum Legatis suis, voluit subito in illos seditiosos irruere. *Pototzki* tamen suasit, & oravit tantisper saltem sese contineant, donec cognoverit, utrum adhuc sint in vivis, & quidnam cum iis agatur. Itaque fidissimum Cosaccum expedit silentio noctis ad Civitatem, ipse interim cum Exercitu stat tota nocte in armis, paratus summo mane procedere, si opus fuerit, contra Civitatem. Ecce autem accurrit quidam commilito ex iis, qui erant cum Commissariis, nuncians, illos quidem jam esse dimissos, sed exterius plebe, & Tataris instan-

ti-

tibus tantopere periclitari, ut, nisi subito in succursum illis venerint, valde metuendum esse, ne ibi dilacerentur. Quapropter, sine quavis cunctatione *Pototzki* præmittens Campi-Marschalum, id est, *Kalinovium* cum cohortibus levioris armaturæ; ipse instructa acie in succursum venire maturat. Interim illi jam erant de manibus furiosæ plebis, per Salvam guardiam, & ipsum *Chmielnicium* (qui defendendo Commissarios, plurimos Cosaccos sauciavit, & occidit aliquot) in personis quidem liberati, sed bonis omnibus spoliati; Tataris potissimum dicentibus: *Laszka Bratka, ale loszа, né Bratka, Sukmanka ne bratka*; hoc est: *Polonus quidem est Frater; sed equus non Frater, Tunica non Frater.* Quia tamen ipsi Commissarii incolumes redierunt, hoc Exercitus pro lucro reputans, una cum illis ad Castra est regressus.

Ipsis in hunc modum regressis, & quid egerint, exponentibus, accurrunt duo Emissarii, qui nomine *Chmielnicii* deprecantes Exercitum, quod talia evenerint Legatis, dicunt hæc non ex voluntate Officialium, sed ex mera temeritate plebis contigisse, simulque rogant, ne propterea cœpti intermittantur Tractatus; punctaque in scriptis repræsentant, plane conformia iis, quæ Commissarii proposuerant: præterquam, quod postulabant, ut major numerus Cosaccorum concederetur; præterea ne in Civitatibus illorum Militibus Regni hyberna concederetur: denique, ne sibi imponeretur necessitas amicitiæ Tatarorum renunciandi, priusquam fuerint de gratia Regis assecurati, & Pacta auctoritate Comitiorum Regni confirmata: de cœtero paratos se esse injurias suas condonare, & in reliquis ad voluntatem Regni sese conformare.

Poloni itaque relicto apud se uno internunciorum, pro obside constantiæ cœterorum, per alterum tale dederunt Responsum: *Quandoquidem jam non procul distant a designata Tractatuum meta, crastina die adveniat Chmielnitzki, ut de quibus adhuc disceptatur, ea ad finem deducantur, & ipse in præsentia Supremi Generalis personam Regiam repræsentantis, juramentum super iis, quæ fuerint conclusa, præstet.*

Interea Exercitus Polonicus, cum magna resonantia tubarum, & tympanorum egressus in campum, ibique ad omnes occasiones paratus noctem transegit, in aurora autem tam prope e regione Civitatis substitit, ut ab omnibus conspici posset: ibique expectat *Chmielnicium.* Sed loco ipsius adveniunt duodecim Cosacci, illique omnes valde rudes, & Polonicis penitus ignoti, Qui quasi essent ignari, quid hactenus tractatum fuerit, novas conditiones nomine Exercitus Zaporoviani proponunt Polonis; videlicet: ut Pacta Zboroviana permaneant in toto intacta; numerus Cosaccorum ne diminuatur; neque ad id adigantur, ut a Tataris dis-

divellantur, cum id Cosacci nec possent ulla ratione, nec velint facere: Quandoquidem Tatari sint custodes libertatis Cosaccorum: præsertim quod hoc sibi valde sit suspectum, Polonos tam prope ad Civitatem *Biala-Cerkievv* dictam accessisse; (iste autem fastus incesserat Cosaccos, quod fallax aliqua advolasset fama, notabiles Tatarorum & Turcarum adventare in subsidium Cosaccorum copias) Quod Poloni pro mero ludibrio reputarunt: nihilominus tamen, indignationem dissimulantes, Legatis dixerunt, se, ad hæc postulata Exercitus Zaporoviani, crastina luce responsum daturos.

Cum ejusmodi declaratione dimissis Legatis Generalis *Pototzki* Exercitum reducit ad oppidum *Hermanonka*: quo interea carrago cum peditatu, & impedimentis bellicis advenerat. Postridie jam tanquam ad certum prælium instructa acie, rursus educit universum Exercitum in campum, committens alam dextram *Radzivilio*, sinistram autem *Kalinovio*, frontem denique sive corpus Exercitus cum peditatu, & tormentis ipse ductans, ab utroque latere carraginis loco cataphractos hastatos collocans. Ad tuenda denique posteriora agmina, quatuor fortes Legiones reservans. In hunc modum paratus procedit tubis, & tympanis resonantibus versus Civitatem. Quo viso, nil cunctando tum Tatari, tum Cosacci erumpunt, cum ingenti multitudine, nihilominus tamen prælium

non

non committunt, sed expectando donec plures accurrant, & ipse *Chmielnitzki* adsit, aciem contemplantur. Tum *Pototzki* jubet *Jaskulscium*, ut prosiliens cum una Legione, inchoet certamen. Quod dum feliciter, & sat diu sustinuisset, submittit illi in auxilium, cum altera Legione *Czarnecium*, & mox Palatinum Podoliæ *Stanislaum Potocium*; dumque in sinistra ala acerrime pugnatum fuisset, *Radzivilius* etiam cohortes suas expediens, primo versus hortos, conservandis apibus paratos, ubi insidias collocatas esse cernebat, atque inde expulso hoste in patentem campum, ipse cum reliquis suis prosiliens cum summa alacritate notabiliter confertissimas hostium turmas cædere cœpit. Quod si ex sinistra ala cum pari resolutione in hostem invecti fuissent, valde erat verisimile illum totaliter profligatum iri. Sed *Pototzki* contentus eo, quod postquam *Przyemski* Magister Artilleriæ curasset explodi tormenta, procul ex campo rejecit hostem: qui etiam nullo se insequente, in effusam se proripuit fugam, receptui canere (quia nox imminens justum insidiarum metum prudenti injecerat) jussit. Hocce in prælio de Polonis unicus Ductor *Varonitz* dictus, vir fortis, & rebus antehac gestis, clarus, occubuit. Hostes autem multis cadaveribus suorum stratum campum Polonis reliquerunt, quo obtento Poloni ad Castra redierunt. Postridie rursus *Chmielnitzki*, quasi hæc nec

som-

somniasset, mittit Centurionem quendam, dictum *Raytarovvski*, nuncians se multum mirari, quod tam prope Poloni admoverint Castra: hesterna vero die institutum Martialem ludum se inscio, per paucos Tataros, & aliquos de plebe insolentiores fuisse factum: illum tamen modico tantum sanguine esse tinctum, se multum gratulari. Præterea rogavit, ut cœpta pacificatio in effectum deduceretur: quo fine missurum se Legatos promittebat, dummodo id sibi integra securitate liceat. Ad hæc ei Responsum datur: Exercitum quidem Regni non esse alienum a pacificatione: Sed si aliquid debet fieri, fiat cito: quod si adhuc procrastinationibus utetur, non amplius ei fides adhibebitur. Hæc dum agitantur, circiter XII. Millia Tatarorum una cum Cosaccis, furtim, ac incognite eruptionem faciunt, atque sub latibulo hortorum, ubi apes conservantur, penetrantes, tam prope accesserunt Castra Polonorum, ut ictu lapidis attingi possent; nec tamen ausi sunt a fronte adoriri; sed circumvolando turmas Polonicas in posteriora agmina illorum irruebant; sed quia hæc quoque bene ordinata, & parata invenerunt, mox retrorsum sese receperunt. Quos subito insequendo pedites Poloni, omnia illorum latibula perlustrarunt, & creberrima sclopetorum explosione inde propulsarunt: qui tamen obliquo aliquo rivo incolumes ad Castra sua redierunt.

Vi-

Videntes autem Tatari, se armatis & paratis nil nocere posse, impetum suum convertunt in pabulatores, illosque ad ipsa ferme Castra cædendo, insequuntur; sed mox a militibus repressi, & amissis aliquot sociis, & *Antonio* Legionario, qui captus in manus Polonorum devenit, unde venerant, regressi. Sole tandem ad Occasum vergente, dum jam Generalis *Pototzki* Exercitum de Campo intra Castra deduceret, rursus Tatari in posteriora involant agmina, illaque nonnihil perturbant; sed *Czarnietzki* cum forti Legione, ex Castris erumpens, non tantum illos repulit, sed ad ipsa Castra illorum, eos persequendo, profligavit & captivavit multos. Tum iterum *Chmielnitzki* sero crepusculo mittit eundem *Raytorovium*, nuncians, se ideo hodie cœptum opus non continuasse, quia ipsi cum populo magnum negotium, quod moram non patiebatur, intercesserat; quo tamen utcunque composito, finiendis Tractatibus proxime advenientem diem pro certo assignabat.

Sed nec tunc quidem promissum *Chmielnicii* adimpletum; Cosacci namque cum Tataris mixti, hortis illis & sylvis tecti, primo diluculo jam Castris Polonicis adfuerunt, eaque infestare cœperunt. Quapropter necessum habuit Generalis *Pototzki*, rursus in Campum educere Exercitum, & cum parato expectare, si vel promissos Legatos, ad continuandos tra-

 cta-

ctatus mittere, vel aperto Marte secum pugnare hostis velit. Polonis namque ab eo, quem Castris suis delegerat, loco, illaque jam muniverant, recedere, & in hostem multis insidiis fretum, irruere, non videbatur consultum. Pulsis nihilominus a conspectu suo hostibus, dum aliquem Actum præstolantur, obortus subito vehementissimus imber, horribiliter illos duabus integris horis obruerat, adeo, ut necessum haberent ad Castra redire, ibique varios hoste tumultus excitante, toti madentes insomnem traducere noctem. His rebus intervenientibus, cœperunt Poloni & animo, & viribus nonnihil languescere, præsertim quod commeatus & ipsis & equis cœperit deficere; & quod morbi etiam, quos frequens mors subsequebatur, cœperint invalescere: maxime vero: quod Principi *Radzivilio*, Exercitus Lithvanici Generali, (cujus præsentia Polonis non minus opportuna, quam grata fuit) necessum erat ad partes suas redire, potissimum eam ob causam, quia tum ad *Lubeczam*, tum ad *Czernichoviam*, & alibi, propter arcendas hostium excursiones, (tum *Kijoviæ* imponens præsidium) militem suum diviserat; communis autem fama ferebat, rursus Lithvaniam versus ingentem confluere populum; idque tanto audentius, quod notum ipsis fuerit *Radzivilium* cum potiori militum manu procul abesse. Non minus item Polonos id excruciabat, quod viderent Castra sua posita esse in lo-

cis ab omnibus (in casu necessitatis) auxiliis remotissimis, & quidem a parte posteriori desolatis; ubi vero omnium rerum affluentia fuit, ab hoste valde potente præoccupatis. Quapropter, comperendinationes illæ, quibus utebantur Cosacci, maximam creabant Polonis molestiam, & paciscendi cum hoste majorem his, quam *Chmielnicio* addebant stimulum. Sed dum ita animo anguntur Poloni, adveniunt tandem Legati *Chmielnicii*, cum ultima declaratione. Quapropter a parte Polonorum, deputati Commissarii, totis viribus in eo allaborabant, ne optata incassum abiret pacificatio. Parte itaque utraque consentiente, compactum est denique his conditionibus: *Numerus Cosaccorum constet viginti Millibus: illorum autem in Regestrum connotatio peragatur hoc Anno, videlicet* 1651. *ante Festum Nativitatis Christi. Regestum vero manu Chmielnicii subscriptum in proximis Comitiis porrigatur ad Matricam Regni. Quicunque autem in isto Regesto de nomine, & cognomine cum assignatione habitationis loci continebuntur, antiquis libertatibus Cosaccis concessis gaudebunt. Quorum vero nomina non reperientur in Regesto, redibunt ad obsequia Dominis suis antiquitus præstari solita. Reditus etiam omnes, qui antiquitus Dominos terrestres concernebant, utpote, molæ, tabernæ, Decimæ ex bobus, ovibus, apibus, illis restituentur. Amnestia Generalis omnibus delictis Cosaccorum, tum* ex

ex Nobilibus, qui inter motus belli quacunque ratione in partes illorum transiverant, concedetur. Domicilia Cosaccorum tantum in Palatinatu Kijoviæ libera conceduntur, idque in bonis Regalibus solum. Quandoquidem autem Kijovia est Civitas Judiciaria, non debent eam frequentes inhabitare Cosacci, quo pacatius Termini Judiciales peragi possint. Nobilium autem bona, tum & Palatinatus Czernichoviensis, & Bratslaviensis, tanto magis remotiores, ab hoc onere sunto immunia. Quod si in illis aliquis Cosaccus aliquam possessionem quocunque modo sibi compararet, illam necessario vendat, & aliorsum migret, alias nomen ipsius eliminabitur e Regesto Cosaccorum. Czehrin semper sit penes Hetmannum Cosaccorum, similiter & constitutio officialium; Chmielnicio autem decedente Rex juxta recommendationem & instantiam Cosaccorum alium Hetmannum ordinabit, & speciali Privilegio suo confirmabit. Religio Græca antiquis suis fruetur libertatibus; quod si aliquis quippiam ex bonis Ecclesiasticis a Rege impetraverit, id necessario restituere tenebitur: tanto magis, si potentia mediante aliquid sibi appropriaverit. Judæis liberum sit redire ad bona Nobilium, & Patrocinio Dominorum suorum frui. Dabit sedulam operam Chmielnitzki, ut Chanum Tatarorum & Tataros inducat ad amicitiam cum Regno Poloniæ stabili modo colendam, adeo, ut si postulaverit necessitas Regni, uti aliquando servitio & opera Tatarorum, sint præsto: quod si id apud illos bonis modis efficere non poterit, non solum amicitiæ illorum longum dicet vale, sed etiam arma contra illos jussu Regis tenebitur sumere. Cum nullo exterorum Principum instituet molimina; nec ullos ab illis excipiet Legatos, sed sine omni fuco, & malo dolo fidelem se abhinc servum Regi præstabit. Rex etiam in aliis quoque occasionibus declarabit gratiam suam erga Exercitum Zaporoviensem, postquam seriam delictorum egerint pœnitentiam.

Quo facilius autem hæc omnia in suo tenore permaneant, Exercitus Polonicus recedat ultra fluvium Horim, nec unquam ad Quartiria ultra hunc fluvium collocetur; redeuntibus vero tam Polonis quam Lithvanis integra securitas spondetur. Quæ quidem omnia partes ambæ solenni juramento confirmabunt, & inviolabiliter posthac observabunt.

Hæc postquam in scriptis delata fuissent ad *Chmielnicium*, in omnibus punctis ea approbans, nunciavit se paratum venire ad præstandum Juramentum, dummodo obsides fidei pro se ad Exercitum Zaporoviensem mittantur: missi itaque *Sobieski* & *Pototzki*. Tandem sequenti die videlicet 28. Septembris, 1651. accedens 28. *Sept.*
ad Castra Polonorum, coram illo *Potocio*, quem 1651.
in manus Tatarorum tradiderat (profligato Exercitu Polonico ad Korsun) in tentorio ad hunc Actum studio in loco eminentiori extenso,

personam Regiam repræsentante, universo Exercitu, tanquam ad confestim ineundum prælium parato, & armis coruscante, longe lateque aditante, desiliens procul a tentorio de equo, ac demississime procedens, proxime denique accedens provolutus ad terram, (ut merito de ipso dici vetus illud potuerit: *Quem dies vidit veniens superbum, Hunc dies vidit fugiens jacentem*) veniam delictorum a *Potocio*, simul & a *Radzivilio*, tum a *Kalinovio* deprecatus est: Cui *Pototzki*: Agnoscit Serenissimus Rex, & universum Regnum, hæc quæcunque hactenus mala, te auctore, in communi Patria evenerunt, contigisse nobis permissu Dei, qui nos pro peccatis nostris voluit castigare, ideoque jam dudum ea Deo altissimo detulit. Quapropter, nunc nomine S. S. Majestatis Regiæ generalem Amnestiam tibi declaro: dummodo modernis Pactis stare, & exorbitantias tuas, abhinc fidelibus, ac sinceris servitiis tuis, Regi & Reipublicæ compensare velis. Quod *Chmielnitzki* facturum se promisit. Et in instanti super Pactis Juramentum præstitit: quod etiam & *Pototzki* fecit.

Tantæ molis erat sævam compescere gentem!

His peractis *Chmielnitzki* rediit ad suos, obsides etiam pro illo dati, regressi, *Radzivilio* redeunti Comitiva a Cosaccis est adhibita, deductura illum, usque ad confinia *Polesiæ* & *Lithvaniæ*. Cosacci, & Tatari ad diversa loca di-

dilapsi: denique Generalis *Pototzki*, militibus hyberna ultra *Horin* assignavit: severe demandans, ut quam modestissime se gererent erga incolas illorum locorum, nec ullam violandorum Pactorum præberent ansam, interim tamen essent intenti ad omnes illorum actiones. Tum demum post tot discrimina rerum, post tot fatigia exantlatorum laborum, regrediendo milites ad jam dudum desideratam quietem, hilari animo ac voce exclamarunt Pæana: non secus atque Grues, dum ex hybernis suis, ad nota sibi, instante Vere, revolant pascua, tum demum per universum Regnum cum maxima lætitia cecinerunt omnes: *Te Deum laudamus* &c.

Ducem vero, sive Generalem Exercitus Regni *Nicolaum Potocium*, uti subinde hactenus variæ ægritudines vexaverunt, ita pace tandem stabilita revertentem, ex hac calamitatum valle fata exemerunt. Qui paralysi correptus, primo impos sui redditus, cura tamen Medici sui ordinarii *Luberti Erbenii*, aliquantulum sublevatus, atque ad *Latyczow* Capitaneatum suum delatus, ibi demum Paralysi in Apoplexiam conversa, repente in vehiculo omnibus viribus exhaustus, die 20. Octobris animam 20. Octobris 1651.
Deo placide reddidit. Vir a tenera statim ætate bellicis conservatus operibus XVI. ætatis anno prima Tyrocinia posuit sub *Zolkievio* ad *Smolensko*, postea ad *Cetzoram*, una cum Ducibus eodem *Zolkievio* & *Konietzpolscio*: vincula *Canti-*

timiri Principis Tatarorum ſubivit. Inde poſt biennium in Patriam redux, honore Generalis Capitaneatus Podoliæ exceptus, nec multo poſt, Notarius Campeſtris creatus. Cum vero in variis bellis eximiam virtutem Heroicam præſtitiſſet, omnium ſuffragio dignus eſt judicatus, qui *Konietzpolſcio* in Officio Generalatus Collega daretur; ad hæc Palatinatus Bratslavienſis eidem collatus. Et his quidem honoribus auctus, eo magis poſtea ubicunque Arma Polonicalia circumferebantur, fortitudo ejus fulſit, & fidiſſimus *Konietzpolſcio*, in omnibus, quas glorioſe geſſit, rebus adjutor, ferociam Coſaccorum ad *Kumeyki*, *Zolnin*, *Starzec*, *Kamieniec*, *Human*, *Roſolowce*, adhuc vivente *Uladislao* refrænavit. Denique *Konietzpolſcio* e vivis ſublato, in Officio Supremi Generalatus, ſimulque & in Caſtellania Cracovienſi ſucceſſit. Sed ut raro mortalibus idem felicitatis tenor ſemper, ita & hujus noſtri fortuna cum eo effloruiſſet, ut ulterius progredi non poſſet, in gyrum ſeſe circumegit: videlicet, cum brevi poſt immunis Coſaccorum rebellio oborta fuiſſet, in prima quaſi tempeſtatis iſtius caligine vitæ, ac rerum ejus hactenus proſperrimarum curſus ad vadum adhæſit: dum inexpectatus Tatarorum ad Coſaccos Zaporovianos acceſſus ad Regeſtatorum Coſaccorum (quibus duplici Juramento obſtrictis, generoſitas *Potocii* fidem adhibuerat) proditio in duplicem cladem (nimirum ad *Zoltewody* & *Korſun*) ſimulque in vincula Tatarorum ipſum, & florem militiæ Polonæ induxit: ex quibus tamen redemptus, ubi pacem cum Coſaccis, quamdiu cum illis licuiſſet, tuitus fuiſſet, rurſus in belli arenam, tum Regni neceſſitate, tum publico edicto, cum eodem, qui ante infelici inſultaverat, ſed jam proſperiore eventu, commiſſus eſt Hoſte, & adverſa prioris belli, quæ illi præcipue uſitato ſummorum Ducum Fato, multi imputaverant, Virtute duce, & comite Fortuna, laudatiſſimo compenſavit hoſtimento; cum & ad *Bereſtetzko* fidus Regis adjutor, & belli hujus præcipuus conſumator extitiſſet; id cœlo favente extremum conſequutus ſolatium, ſimulque & decus, ut hoſtis inſolentiſſimus ad pedes ejus provolutus, veniam delictorum petere ab eo neceſſum habuerit. Quod illuſtribus facinoribus ejus heroicis coroniden impoſuit, præſtititque, ut poſt graviſſimos labores militares, quos ſemper ſuſtinuit, parta Patriæ publica (o utinam ſtabili!) tranquillitate vitæ ſuæ curſum ovans terminavit.

Pacis in hunc modum confectæ fama poſtquam percrebuiſſet per Regnum, aliqui expenſa multitudine hoſtium, & collata cum paucitate Polonorum, (qui una cum Lithvanis juncti, vix XXXVI. Millia Armatorum efficiebant) in admirationem rapiebantur: aliqui falſum ſibi nuncium, vel aliquod ſomnium narrari putarunt; aliqui denique (ii præſertim, quibus & na-

natura Russorum, prout semper ad maligna consilia proclivis, & nunc degustata libertatis dulcedine, tanto magis ceu Pelagus fluctibus æstuans, penitus cognita fuit; & quibus ob oculos versabantur Pacta ad *Zborow* confecta, atque auctoritate ipsiusmet Regis roborata, nihilominus tamen, quia ea metus extorserat, nunc annihilata) augurabantur, pacem hanc non fore diuturnam: prævidentes, Cosaccos facile adinvenire causam, qua interveniente, modernam quoque concordiam irritam sint redditurі.

Anno 1652 Nec fefellit opinio: sequenti enim vere iterum recruduit Rebellio, partim quod milites in hybernis insolentius quam decuit, sese gesserint, partim quod dum *Chmielnitzki* statum suum corroborare volens Filio suo Timotheo a Palatino (a) Moldaviæ Filiam in matrimonium expetiisset, ille vero concedere eam minime voluis-

Novorum motuum causa

(a) *Basilius, Lupulus* dictus, filiam Irenem, frustra id etiam statibus Moldavicis perentibus, *Timotheo Chmielnicio* dare renuit. Sed strages in Polonis edita, quam postpaullo *Gronszki* enarrat, impulere Principem; sensitque mox auxilium Cosaccorum, cum eum contra *Georgium II. Rakotzi* tutarentur. Rejecit etiam e Moldavia *Joannem Kemény*; sed cum Rakotzi duce *Stephano Petkio* acrius instaret, jamque etiam *Stephanum Metianszkoi*, antea Moldaviæ Cancellarium, Vajvodam constituisset, ad Cosaccos confugit. Post paullo *Timotheus* Szutsavam cum Socru profugus ictu tormenti Rakotziani periit. Cadaver Patri transmissum fuit.

luisset, quod majorem natu *Joannes Radzivilius* sibi connubio junctam haberet, ideoque Polonos rogasset, ut sibi hac in parte subvenirent, ne cogeretur ad tam abjectam affinitatem descendere. Poloni itaque his conatibus obicem ponere volentes, destinarunt *Kalinovium*, qui in id intendens, ut præveniret Tataros, antequam conjungerentur cum Cosaccis, atque prohiberet passum *Timotheo* Filio *Chmielnicii* ad nuptias cum filia Palatini Moldaviæ celebrandas tendenti Jassinum, pervenerat usque ad *Batoh*, ibique metatus est Castra, quæ in omnem *Anno* 1652 casum fortissimo vallo munivit. Sperans autem propediem majores copias eodem superventuras, tantopere illa dilatavit, ut defendendis illis, vix triplo major eo, quem secum habuit, sufficisset Exercitus. Interim Tatari opinione citius advolando, conjunxerunt se cum Cosaccis, qui, quod diversis advenirent itineribus, pauci sunt visi; de Tataris quoque dicebatur, aliquot tantum, circiter tria millia illorum advenisse; qua spe fretus *Kalinowski*, jam tunc Supremus Generalis, contempta paucitate hostium, eduxit extra Castra militem suum, paucis admodum ad tuendum vallum, relictis. Sed vix pugnam instituit, & hostis studio fugam simulans, Polonos remotius a Castris evocavit: alii interim ex altera parte summo impetu Castra adorti, sine omni difficultate illis sunt potiti. Quæ res dum ad militem in Cam-

Campo dimicantem delata fuisset, vehementer omnes sunt consternati, & mox ex omni parte circumventi, & quasi indagine clausi, pugnarunt quidem strenue, sed multitudine hostium nimium prævalente, atque ceso primum Generali, & mox cadentibus fortissimis militibus, reliqui omnes, (exceptis paucissimis, quos fors fortuna periculo eripuit) in potestatem hostium, cum universis Castris, multo apparatu bellico, & circiter quinque millibus peditum solum Germanorum præ aliis optime instructorum, devenerunt. Qua in clade hoc omnium erat tristissimum rerum, quod Cosacci post partam hanc notabilem victoriam, primum inter se consultarunt, se, si quotiescunque victi Poloni, (quandoquidem stipendium Tatarorum sunt captivi) deposito lytro se ipsos redimant, bello huic nunquam finem impositurös, imo exercitatiores contra sese hostes effecturos; ut, qui memores quid sibi nocuerit semel, in evitando eo erunt cautiores, itaque constituerunt, ut proprio lytro redimerent a Tataris captivos; & postea illos trucidarent. Quapropter intimabant Tataris, ne de lytro cum Polonis convenirent, & sibi illud declararent. Quo facto in instanti totum exolverunt Tataris; deinde in potestatem suam receptos captivos, tanquam oves ad macellum educebant, & miserabiliter, inaudita crudelitate mactabant. Integro triduo duravit hæc immanis laniena. Cujus rei fama, postquam pervenisset ad aures domi manentium, primum lamentationibus implevit totum Regnum, post ineffabili ratione animos omnium ita perculit, ut plane nemo defensionem, sed solummodo fugam, in remotissimas partes meditaretur. Interim hostis seu satur sanguinis, seu Omnipotentis Dei manu, (cujus proprium est postquam percusserit, sanare) cohibitus, victoriam non est prosecutus; sed cum Tatari, tum Cosacci diffluxerunt, quisque ad sua, & hac ratione tempus Polonis est concessum ad recolligendos animos, simulque & vires. Mox in Comitiis hac occasione, & hæc sola de causa (qualiter Hosti tam crudeli quam citissime esset resistendum) Varsaviæ celebratis, constitutum est, ut, (quandoquidem Generalis omnium Ordinum Regni expeditio propere institui non posset, & quod hoc genus militiæ tuendæ Patriæ, in ultimam necessitatem esset reservandum) Agrarius miles, (hoc est, ex certo quodam numero agrorum, qui integri vocantur *Lanei*, prout in Hungaria *Portæ*) expediretur, cui stipendium sex mensium solveretur in antecessum, & de commeatu ipsi prospiceretur, isque ad locum & tempus præfixum Officialibus ad id constitutis præsentaretur. Quod si quis neglexerit conducere talem militem, ipse compareat, sub confiscationis omnium bonorum, ei qui vices illius subiverit, conferendorum, & perpetuæ infamiæ pœna. Quandoquidem Rex ultro hanc se-

Quid Agrarius miles?

fecerat declarationem, se cum isto milite contra hostem iturum, & usque ad consummationem belli in Ukrajna mansurum, hoc etiam additum fuit, ut si res postulaverit, diutius ejusmodi militem in Castris detinere, rursus ei de stipendio, & commeatu prospiciatur, ipsi interim domi manentes sint parati, in quantum id summa necessitas exegerit, Regem subsequi. Gravis etiam sancita est in eos pœna, qui accepto stipendio sine licentia Regis Castra desererent. Quapropter quicunque voluit redimere Caput suum, etiam maximis cum impensis tempestive conduxit idoneum Militem.
1653 Cum quo Rex Anno proxime subsequenti processit versus Ukrajnam, & Castra metatus est penes *Zwanietz*: ubi nil memorabile gessit; sed totam æstatem consultationibus impendit; Militem vero majori ex parte, non præliando, sed commeatus penuria, & cœli in Autumno injuria consumpsit: præsertim vero peditatum Germanicum. de quo multo plures perierunt morbis & frigore, quam periissent, si decertassent. Hoc solum tantum hac expeditione præstitit Rex, quod Tataros a Cosaccis sejungens suarum partium effecit, & sibi associavit, sperans futurum, Cosaccos postquam viderint se a Tataris esse destitutos, vel Regno honestis conditionibus reconciliatum, vel si id detrectaverint, facile debellatum iri. Sed multo secius quam Rex putavit, evenit. Vix enim universo

so bello Cosacico tantum damnorum Regnum Poloniæ accepit, quam ex occasione istius transactionis. Nam & Tatari, quibus permiserat Rex quadraginta dierum spatio captivos ex Russis, sive Cosaccis abducere, abusi concessa sibi facultate, atque excursione facta per *Volhiniam* usque ad *Lithvaniam*, innumera millia captivorum abduxerunt, ex sola *Volhinia*; Nobiles cum universa familia congregatos ad 70. Actus Nuptiales comprehenderunt, & nisi subito iterum milites congregati, insolentiam illorum repressissent, fortassis in Russia hyberna peregissent. Et Cosacci videntes se a Tataris derelictos, atque sic stantibus rebus ad præliandum cum Polonis impares, conditionibus vero pacis cum iisdem initæ, etiamsi quam firmissimis vinculis firmatæ, fidem minime adhibentes, simulando aliquam submissionem, exindeque quasi non auderent ad Regem mittere Legatos, Commissariis combinandæ pacis gratia ad se invitatis, subjectionem præseferendo, de firmioribus subveniendi sibi remediis, consilia miscere minime neglexerunt: & primum quidem pertentarunt animos Tatarorum, si forte iterum illos a Polonis avocare, & suarum partium reddere possent. Verum illi non recedendo ab antiquis suis artibus, in ejusmodi occasionibus observari solitis (quod videlicet nulli unquam Fœderatorum ita cunstanter adhæserint, ut hostes illorum penitus delendos esse velint:

ſed dum vident unam partem, jam in tantam excreſcere potentiam, ut illis ipſis ſucceſſu temporis ab eadem metus immineat, tunc ad debiliorem ſolent tranſilire partem, in hunc finem omnia ſua convertendo conſilia, ut vicini illorum decertantes inter ſe ad invicem, armis ſuis atterantur, ne, ſi forte altera partium totaliter ſuccubuerit, poſtmodum Tatari poſtponantur: qua ratione prædæ comparandæ omnis illis præcluderetur via, quod ſi aliquot Annis præda deſtituerentur in maximam paupertatem devenirent, & viribus extenuarentur) ſed id facturos conſtantiſſime denegarunt idque tanto magis, quia ex conſenſu Regni promiſſa erant illis antiqua ſtipendia, quæ ipſi vocant *Aracz*.

HISTORIÆ BELLI COSACCO-POLONICI PARS SECUNDA.

Quapropter de ſubſidiis Tatarorum peni- 1653
tus deſperantes Coſacci, confugiunt ad Moſchos, (a) quorum animos optime ſibi perſpectos habentes, quod nec ſolo communis Religionis promovendæ zelo, nec incerta ſpe conquirendæ prædæ ad certiſſima, cum magnis ſumptibus ſubeunda diſcrimina illos inducere poſſint, ſine reali, in anteceſſum oblato ſtipendio, quod Coſaccis plane nullum erat. Quanquam enim ſuperioribus annis ex ſpoliis de Polonis obtentis (ſi modus fuiſſet ſervatus) potuiſſent ſibi magnas comparaſſe opes. Sed prout male erant parta, ita male dilabebantur, (illis ipſis fatentibus, ſe neſcire qualiter inter illos omnia diſpereant) quapropter ad hoc refugiunt medium:

Duos Palatinatus longe lateque ſeſe extendentes, ſimul & opulentiſſimos, Regno vero Mo-

(a) Eo majori fiducia, quod conſtaret, Regem Poloniæ ſpopondiſſe Chano I. non prius ſe arma poſiturum, quam Provinciam Aſtracanam Ruſſis ereptam Tataris reſtituat. *Annales de la petite Ruſſie.*

Moschorum adjacentes, videlicet *Kijoviensem* & *Czernichoviensem*, quos Annis proxime præteritis Polonis eripuerant, sublatis ex illis omnibus Nobilibus, ut ne unica persona intra ambitum eorundem superesset, quæ sibi aliquid privati juris prætendere posset, Moscis jure perpetuo obtulerunt, promittendo, quidquid posthac conjunctis viribus a Polonis obtinere potuerint, id totum Moscis cessurum. Cosaccos vero sola Russia (quæ comprehendit Palatinatus aliquot, utpote Bratslaviensem, Podoliensem, Volhiniensem, Belzensem, & denique Russiæ) atque libertate, in quam se asserere volunt, contentos, atque in suis degentes sedibus, ad omnia Moschorum jussa paratos fore, dummodo illos in patrocinium recipiant. (a) Nec eo contenti Cosacci, ad Suecos etiam mittunt Legatos, variis rationibus illos invitando, ad societatem armorum contra Polonos summendorum. Quod tanto facilius obtinuerunt, quia sub idem tempus ex Proceribus Regni Polonici *Radziejowski*, iniquo (prout asserebat) Decreto Regis aggravatus, confugerat in Sueciam, ibique declaravit Regem *Casimirum* velle illos armis impetere, quam primum cum Cosaccis belli finem fecerit; cui quidem assertioni suæ tanto majorem fidem id conciliabat, quia antehac idem *Casimirus* denunciaverat per privatum Lega-

(a) Princeps Legationis ad Russos fuerat *Gregorius Hulniczkoy. Annales de la petite Russie.*

Legatum suum (quando Regnum Sueciæ post transactionem cum *Christina* Regina, Filia *Gustavi Adolphi*, creabat Regem *Carolum Gustavum*) se non solum protestari contra hasce transactiones, verum etiam Regnum Sueciæ, utpote patricium, ac hæreditarium, insuper, & Proventus Patri suo, nimirum *Sigismundo III.* & Fratri nempe *Uladislao IV.* denique sibi jam per aliquot Annos non exhibitos, repetiturum. Et quamvis Consiliarii Regni Poloniæ multoties instarent apud *Casimirum*, ut abstineret ab ejusmodi prætensionibus, quas nec Pater, nec Frater suus urgebat, neque propter inutilem Regni Sueciæ titulum innocuum Reipublicæ vitulum in discrimen conjiceret. Ille tamen nequaquam salutaribus monitis morem gerens, minabatur se bellum Suecis illaturum. Quapropter cum ejus rei fama ad Suecos a diversis adferretur, illi etiam malebant prævenire, quam præveniri.

Oblatione Cosaccorum superius exposita Mosci contenti, ac prævidentes quantum robur sibi 1654
sit accessurum, ex Conjunctione Gentis tam potentis, non solum loci vicinitate, sed & religionis vinculo sibi commendatæ, protinus omni-

 modam

(a) *Casimirum* talia postulantem *Carolus* Suecicus absterrere voluit. Cum autem eodem tempore *Alexius* Russorum Autocrator iras in Polonos præseferret, *Carolus* bellum occupans prætensa jura in Livoniam, & Sueciam *Casimiro* excutere laboravit.

modam protectionem suam illis promiserunt, & primum quidem per Legatos pro illis apud Regnum instantias fecerunt, declarando se amplius nequaquam passuros oppressionem Religionis Græcæ, quæ in personis Cosaccorum vim magnam patitur. Et quia hac via nihil obtinuerunt præter severam belli denuntiationem, si & in quantum rebus Cosaccorum sese immiscuerint, mox arma arripuerunt, duabus ex partibus Polonos aggressuri. Et unam quidem partem Exercitus expediverunt versus Smolonscum, (a) quod priori bello sibi a Polonis illato amiserant; alteram vero partem cum Generali (b) *Buthurlim* dicto constantem quinquaginta millibus armatorum, adjunxerunt Cosaccis, quo tutiores redderentur a Tataris illis insidiantibus. (c) Rex quoque Sue-

(a) Duce Chovanszki.
(b) Basilius Basilievits Buturlin.
(c) 1654. Præliminaria Fœderis firmata sunt, ipso die Epiph. Domini Styl. vet. *Perejaslaviæ*. His vero constabant: *Jurare Cosacci fidem æternam Russis; nunciumque mittere Protectioni Polonicæ, aut Tataricæ debebant.* Mox mense Februario elenchum misere Cosaccorum ad Zaarum per *Samuelem Bogdanov*, & *Paulum Petri*; petiereque firmari privilegia vetera. Annuit Zaarus, & sequentia confirmavit: *Libertas vetus, Magistratus domesticus, & jura antiqua salva sint; successores ordine nexus Hæredia adeant. Metropolitæ Moschi nulla sit in sacra Cosaccorum auctoritas, præ Kioviensi Præsule. Populares Ukrainenses tributa Zaaro pen-*

Suеciæ cum Exercitu non contemnendo, classe super mari Baltico adventabat versus *Stetinum* in Pomeraniam. Hæc dum animadvertunt Poloni, confestim ad Tataros confugiunt, auxilia illorum implorantes; qui promittunt quidem, sed tali conditione, ut Poloni omnes suas vires convertant contra Cosaccos; interim Fortalitiis, quæ obvia essent aliis hostibus, præsidia imponant, minus malum censentes, etiamsi unum, & alterum in potestatem hujus, vel alterius inimici venerit, cum facile recuperari possit, devictis primum Cosaccis, qui non solum ipsi crudelissime agunt, sed alios etiam ad id instigant, Suecos etiamsi militem suum exposuerint in ditiones Regni Poloniæ magnam debere subire moram in obtinendis locis munitis: etsi etiam ali-

pendenda colligant; ex his annis singulis pendantur sedecim millibus Cosaccorum Regestatorum, viritim tria Rubelorum stipendii annui; Hetmanus ex iis obtineat ooo. *nummos aureos, urbemque, qua resideat, Tschigirim cum omni agro possideat; demensum certum designetur Senioribus, Tribunis, & Sotinkiis, seu Centurionibus. Nullos Hetmanus Legatos accepet, ne e Chersoneso quidem Taurica missos; tales ad Zaarum dirigantur; neque, nisi hujus potestate Legati mittantur; colatur cum Tataris amicitia, sed sine fœdere. Hetmanorum pœnes Cosaccos libera sit electio, sed Zaarus confirmet, ritu veteri, per Vexillum, Baculum, & Decretum publicum; Legum jussio pœnes arbitrium sit Cosaccorum.* — — Hæc Moscis facta subjectio, Tataros, & Polonos ad bellum Russis, & Cosaccis inferendum excitavit.

aliquem successum rerum sint habituri, siquidem animo obtinendæ alicujus Provinciæ veniant, illos mitius rem acturos, quam solent Cosacci. Hos itaque ante omnia esse bene castigendos, quibus ad obsequia Regni reductis, non contemnendas vires ex reliquiis illorum, Regno accessuras. Sed non habuit locum apud Regem hocce consilium. Videns namque se a tribus partibus simul bello impeti, exercitum etiam tripartitus est. Ipse assumpsit in se Provinciam Regi Sueciæ in occursum eundi, cum parte militis stipendiarii, sub Regimine Vice-Generalis Regni *Landskoronscii*, & cum incolis Majoris Poloniæ, convenientissimum ratus Regiam personam suam Regi opponendam: assumpsit præterea secum *Stephanum Czarnecium* (qui siquidem priori bello Suecico tempore *Sigismundi* tertii gesto, interfuerat, credebatur ad hanc occasionem aliis esse accommodatior) & *Alexandrum Koniecpolscium*, qui propriis sumptibus egregias militum turmas ductabat: contra Moschos vero ordinavit totam Lithvaniam, adjuncto ei Palatinatu Podlachiæ & Masoviæ: contra Cosaccos tandem *Stanislaum Potozki*, Supremum Generalem Exercituum Regni, cum aliqua manu stipendiarii militis, & cum Palatinatibus minoris Poloniæ, sperans Tataros quoque sine mora illis affuturos.

Rebus in hunc modum ordinatis, ipse Rex tendit versus Majorem Poloniam; Rex vero Sue-

Sueciæ omni expectatione, & ipsa fama citius in Pomeraniam adveniens, maximum omnibus talia minime sperantibus incussit timorem; atque ad propria tutanda magis omnes intenti, minime properabant ad Castra Regis, utut sedulo ad latus suum convocantis: hoc vel maxime causando, quod contra antiquas Regni leges expeditionem Generalem in diversas diviserit partes, nunc vero nullos in succursum suum Palatinatus venientes videndo, nihil aliud sperasse, præterquam ut cum rei non possint subvenire publicæ, consulant privatæ. Multum præterea ad retardationem Palatinatuum Majoris Poloniæ momenti addebat privata intimatio *Radziejovii*, multa affinitate in illis partibus excellentis, & optima quæque de Rege Sueciæ pollicitantis. Nemine itaque ad Castra Regia accurrente, tum demum vidit Rex, magnum se commisisse errorem, quod spreto consilio Chani Tatarorum in varias partes diviserit Exercitum. Quapropter volens corrigere hunc errorem, nullibi pugnæ cum Suecis copiam fecit, sed cum his, quos secum habuit, copiis castra instituit, ut conjungi cum *Potocio* posset, sperans Suecum in Pomerania, tum Majori Polonia, & Prussia substiturum, atque in oppugnatione obviorum Fortalitiorum commoraturum. Suecus vero insistendo vestigiis Regiis, die noctеque Castra promovit, omnibus ubicunque signa sua militaria circumduxit, in partes suas

 trans-

transeuntibus. Cumque audivisset Rex, Moschos obtento *Smolensko* per deditionem, aliquot vicibus jam profligasse Exercitum Lithvanicum, & reliquam ejus partem properare versus Lublinum, moram trahere minime consultum ratus, dato mandato ad Lithvanos, ut studerent conjungi cum *Potocio*, ipse contendit versus Cracoviam, relicto Exercitu circa Civitatem *Voinicz* dictam: quo superveniens Rex Sueciæ sine ulla cunctatione commisit prælium, quod, dum vix duarum horarum spatio protractum fuisset, Poloni in diversas partes sunt dispersi. Cujus rei fama postquam delata fuisset ad Regem jam Cracoviæ commorantem; præterea, quod sibi constitisset, Suecum illuc Castra sua promovere, illinc contulit se in Silesiam, tuendæ Cracoviæ cura demandata *Czarnecio*.

Iisdem diebus Lithvanicus quoque Exercitus penes *Lublinum* partim cæsus, partim dissipatus est. Similem tertia pars Exercitus Polonici, quæ fuit sub Commenda (alias ductu vel regimine) *Stanislai Potocii* Supremi Generalis, experta est sortem. Hic enim videns Tataros, cum suis auxiliatricibus copiis retardare, Palatinatum vero ad se nullum venire (omnibus causam ejus rei rejicientibus in Regem, quod Regnum divisisset, & quod sine Rege, secundum Leges Patrias, ire ad Castra non teneantur; quodque non Generali, sed soliusmet Regis Regimini subesse debeant) hostium vero, & quidem duplicatorum potentiam cernens, Exercitum Quartanum ex Ukrajna, & Podolia lento gradu, remorando hostem in quantum fieri potuit, reduxit incolumem *Leopolim* usque, instructaque Urbe omnibus ad defensionem necessariis, non inveniens locum pro Castris metandis opportunum, processit ad *Grodek*, quatuor milliaribus a *Leopoli* ad instar antemuralis alicujus. Quod præsidiariis quoque ibidem collocatis erigebat animum, dum viderent in proximo Castra Polonorum, quæ credebant distractura esse conatus inimicorum; Civitas vero *Grodek* sufficienti peditatu munita reputabatur loco portæ eorundem Castrorum. Interim idem *Pototzki* sine intermissione litteras expediebat ad illos Palatinatus, qui ad sua Castra a Rege erant destinati, quatenus ad se quam citissime confluerent. Sed quia mala fama de successibus hinc Suecorum, inde Moscorum circumferebatur, expertes consilii, quid sit faciendum, quisque in reducendis caris pignoribus suis ad loca tutiora submontana, ut inde in extrema necessitate, facilius in Hungariam subduci queant, occupatus, ea quæ a Domino Generali proponebantur, surdis audiebat auribus. Tres tantum Palatinatus Russiæ, *Wolhiniensis*, & *Belzensis*, Terra item *Chelmensis*, & *Præmisliensis*, utpote periculo a Podolia imminenti proximiores, confluere in unum, & ad *Potocium* concurrere cœperunt. Sed dum hi duobus

bus tantum milliaribus a Castris abessent, Cosacci cum Moscis conjuncti, postquam arcta obsidione Leopolim cinxissent, illamque aliquot assultibus, in cassum tamen, tentassent, relictis circa Urbem cum sufficientibus copiis Supremis Officialibus sub Commenda *Danielis Vyhovvski*, & *Pauli Tetera* versus *Grodek* expediverunt circiter XL. M. equitum & peditum: qui nocte perlucida, proposito suo valde favente, eo pervenientes, immissis per stagnum tacite naviculis super ea parte, unde Castra erant posita, aliquot incendiariis, Civitatem succendunt, & omnibus concurrentibus ad restinguendum incendium, quod credebatur esse casuale, interim illi portam Civitatis defensoribus destitutam aggrediuntur, factoque in eam maximo impetu eandem occupant, in Civitatem irruunt, & aucto incendio per medias flammas, obvios cædendo, in Castra provolant. Orta est ingens pugna; cadunt ex utraque parte multi; protrahitur usque ad meridiem; tandem quando superare cœperunt Poloni hostem, nunciat aliquis, adventare noviter aliquam magnam Legionem a parte posteriori, (erant autem *Præmislienses* ad Castra *Potocii* properantes) quod ubi percrebuit inter Polonos, terga obvertunt, & quamvis Generalis probe sciens, succursum sibi adventare, milites a fuga prohibebat, atque ut resumerent animos, suadebat: tamen illo nihil proficiente, sed potius hostem novum ad-
esse

esse suspicantibus, ideoque diffugientibus cunctis, Castra in potestatem hostium venerunt.

Et hæc fuit tertia in una eademque septimana Exercitui Polonico, locis non amplius quam XX. milliaribus ad invicem inter se dissitis, illata clades. Postquam autem omnes palantes huc, atque illuc discurrerent, & alii quidem tum demum de subducendis imminenti periculo Conjugibus essent solliciti, alii vero antehac domo in incertum, lente versus confinia progrederentur, exorta sunt latrocinia, non tantum a rusticis, qui in submontanis partibus obsidebant vias, & spoliabant viatores, sed etiam a militibus omnia vi agentibus. Ille tunc temporis censebatur melior, qui erat fortior. Tunc omnia querelis & lamentationibus, contra Regem vero diris execrationibus implebantur. Rerum omnium inopia magna. Omnibus namque illis ex fuso fugatoque Exercitu in diversis partibus dilabentibus, locus fugæ, seu subducendi sese hostibus, undique sese subsequentibus, non alibi concedebatur, nisi in strictissimis & periculosissimis partibus circa Carpatum montem versus Hungariam. *Cracovia* a Suecis, *Leopolis* a Cosaccis strenue oppugnatur. De *Lublino* per Moschos jam exusto, & undique fama pessima, & quidem veritate pejor adfertur; omnes expertes consilii. Is maxime exosus, qui aliquid sanioris consilii suggerit, non adhuc desperandum
esse

esse, sed conjunctis viribus hostem debiliorem, nimirum Suecum aggrediendum. Officialibus bellicis observantia, obsequentia nulla; sed quisque proprium ductum, & libitum sequens, in summa rerum desperatione, ultimum exitium in horas expectat. Interim nunciatur, Cracoviam certis conditionibus jam Sueco esse deditam; Leopolim in maximas angustias redactam, jam pacem ab hostibus supplicare: Lublinum solo esse æquatum: quanquam suburbia tantum fuerint exusta; Civitas vero intra mœnia, ingenti pecuniæ summa, & multis aliis bonis, quæ ibidem ad usum necessaria sunt reperta, redempta. Templum etiam illud, quod ante XXX. circiter Annos hominibus Græcæ Religionis fuerat ademptum, & restitutum cum solenni juramento Magistri Civium, aliorumque Consulum, nec non primariorum Sacerdotum; super eo (idque ad lignum S. Crucis) præstito, quod abhinc & a modo nunquam amplius illud sint recuperaturi ad usus Ecclesiæ Romano-Catholicæ. Ad majorem autem Juramenti auctoritatem, particula ex illo S. Crucis ligno *Chmielnicio* missum, cum ea obtestatione, *ut hæc ipsa Crux percutiat variis plagis Juramenti violatores.*

Polonorum Pars se Regi Sueciæ subjicit

Exuberantibus itaque undique malis, primum *Alexander Koniecpolski*, qui sibi nescitur, qua arte accumulaverat circiter duodecim Millia militum, non adhibitis ad consilium aliis se eminentioribus, sed privata auctoritate, mittit Legatos ad Regem Sueciæ, offerendo se cum omnibus sibi adjunctis, in partes illius transiturum, dum modo gratiose recipiatur. Reliqui, præcipue vero Supremi Generales audito eo vehementissime indignantur; simulque in absentem invehuntur, temeritatis eximiæ accusant, mala quæque eidem ominantur, & minantur. Post tres vero, aut quatuor dies, ipsi quoque ex consensu totius Exercitus Legatos ad Suecum mittunt, cum sui subjectione; eo addito: se effecturos, ut, tum ii qui ad præsens secum sunt, tum alii qui per diversas Regni partes sunt dispersi, ipsum pro Rege agnoscant: quod si facere detrectaverint, se tales ad id exequendum vi etiam compulsuros: dummodo Rex Sueciæ efficiat, ut cœteri Hostes ex Patria secedant. Rex itaque Sueciæ *Carolus Gustavus* incredibili gaudio perfusus, mittit ad Exercitum Polonicum proprios Legatos, & per illos gratias agit maximas, pro illa declaratione; promittens se brevi, non solum remoturum omnes Regni Polonici hostes, sed etiam Patriam multis modis dilaceratam, sartam tectamque redditurum: dummodo ipsi saluti Patriæ suæ deesse nolint; præterea stipulata securitate, invitat ad se, ut de communi bono expeditius ad invicem arbitrari possint. Nec mora, accedunt præcipui quique ex Exercitu, excipiuntur vultu benignissimo omnes, excoluntur summis honoribus Domini

Officiales, donaria plane Regia conferuntur compluribus: denique concluditur, Regem debere confestim expedire ad Cosaccos, & ad Moscos, ut recedat quisque ad sua (quod etiam fecit & obtinuit) Exercitum interea Polonicum debere instituere generalem coram Rege lustrationem, in qua præstito fidelitatis novo Regi debitæ Juramento, stipendium ab eodem aliquot mensium accepturi. Redeuntes a Rege Suecorum, laudes ipsius ab Heroicis virtutibus, a Prudentia, ab Humanitate, a Libertate deprædicare non cessant: si quis in contrarium vel verbulum protulisset, tanquam in hostem Patriæ invehuntur; Deo ingentes gratias agunt, quod post tam atram tempestatem pessima quæque Patriæ ominantem, solem gratiæ suæ, serenitatem afflictissimis rebus, reducentem exhibeat.

Principi Rakotzi offertur Corona

His auditis ii, qui in Hungariam, & Silesiam egressi erant Proceres Regni, per Legatos suos requirunt Principem *Rakocium*, invitando illum ad Coronam Regni: dummodo labentibus rebus Polonorum succurrat. Ad quam Legationem dictus Princeps resolutionem dandam in suspenso reliquit, quod fusius exponetur infra.

Cum hæc aguntur, Rex Casimirus, jam ex Silesia mittit Legatum *Stanislaum Luborvitzki*, committens fidei ipsius, ut seu Cosaccos, seu Tataros prius accedere possit, illos in partes suas trahat. Qui quidem prædictus Legatus, quandoquidem in Litteris Credentionalibus habuit vacuum spatium, pro adsciscendo sibi altero, rebus autem sic stantibus prout expositum est, nullum ex Primoribus sibi associare valens, quod omnes Orientem potius, quam Occidentem Solem adorare maluerint, jam in itinere circa *Przeworsko* incidens in *Samuelem Grondzki*, multis & variis suasionibus, ac pollicitationibus induxit illum in id, ut se ei adjungeret; cujus etiam consilio, & ope incolumis pervenit ad Cosaccos, adhuc circa Leopolim hærentes, (Litteras vero quas habebat ad Chanum Tatarorum, quibus contra Cosaccos stimulabantur, diligenter conservavit) cumque a *Chmielnicio* humaniter exceptus fuisset, utpote Dominus Compater, (hoc vinculo conjunctus fuit *Chmielnicio*, quando cum *Ossolinscio* Cosaccos concitabat contra Tataros, prout propositum est pag. 38.) & negotium ipsiusmet Regis, non vero Regni, quibus potuit artibus recommendando urisisset, ut Cosacci succursum darent Regi: Tum respondebat *Chmielnitzki*: *Recordare Domine Compater, quid nobis promissum erat ad Zamoscie, quid ad Zborow, quid ad Biala-Cerkiew, & aliis occasionibus? & quidnam horum effectui datum? Quamprimum enim promissa nobis devenerunt sub trutinam Wyzuvitarum* (hoc nomine designando *Jesuitas*, denominationem autem derivando ab exuendo,

Grondski Socius Legationis

do, quod nimirum illi, ubicunque pedem in partibus Russiæ imposuissent, Russos Templis exuerent, nec minus incolas bonis, augendo Proventus Ecclesiasticos) *dictum est: Schismaticis non esse tenendam fidem: & minime tenuistis. Et illa promissa ubi sunt, quæ nobis Rex promittebat, dum in Electione postponi se videbat? Vix autem coronatus, mox in partes nostras expedivit Exercitum. Idem fecit etiam post Pacta posteriora; & si miles utique contentus fuisset iis, quæ ad sui sustentationem spectant, facilius id sustinuissent Cosacci. Sed abutebantur hospitalitate illorum, imo rusticos appellando, graviter eosdem verberibus contundebant. Bona omnia quæcunque apud illos reperiri poterant, eripiebant, & illa ad remotiora loca remittebant. Cumque aliqui Cosaccorum talia minime perferre valentes, ipsi quidem ad tutiora sese contulissent, uxores autem cum parvulis domi reliquissent, quod tempore rigidissimæ brumæ universam familiam secum circumducere haud potuissent; milites Polonici Uxores Cosaccorum primum stuprabant, postea recedendo, inclusas una cum pueris domibus, & stramine circumdatas, tanquam glires, exurebant. Si vero aliquem Cosaccum, qui commiserat aliquid contra Dominum, comprehendere poterant, illum altissimo palo insuebant, ut conceptum contra Russos odium omnibus quam manifestissime repræsentarent: quasi non sufficisset ad tollendum inimicum tacite sacco involutum fluvio injicere, ut nec vestigia interitus illius apparere, nec auctor perditi cognosci posset. Insuper nec Popis nostris parsum est, sed quam plurimos illorum decollarunt: & hujusmodi rebus effecerunt, ut ii etiam, qui libentes in pace sese continuissent, contra se concitarentur. Cum itaque talia experti, & multoties decepti fuissemus, jam tandem talia sublevandi statum nostrum adhibere coacti sumus remedia, a quibus nulla ratione recedere possumus. Quapropter sero nunc Rex nostra implorat auxilia; sero & frustra pertentat quispiam reconciliationem Cosaccorum cum Polonis.* Tum Legatus Regis *Casimiri Luborvitzki* ait: *Non possum quidem negare, Regem gratiam suam Cosaccis aliquoties promisisse; quod vero promissa non adimpleverit, causam ejus rei Tu ipse Domine Hetmane bene prævidisti, quando tempore Tractatuum ad Zborow initorum dixisti: Rex quidem ipse bonus, sed reguli tanquam catuli, tam diu allatrabunt, donec illum etiam, qui voluit quiescere, nempe Herum, excitent* (per catulos indigitando Nobiles, magnam libertatem prætendentes, neque eripi sibi, quæ sunt per Cosaccos occupata unquam permittentes) *& omnino ita factum est. Dum enim Rex in Comitiis promissa vobis corroborari per Status, & Ordines Regni conatus fuisset, tum vilissimi a Palatinatibus Legati, quorum alter nec sciret divinare, sub quo cœlo fasciis per matrem involutus fuit: alter vero ne tanti quidem æstimandus, ut inter*

duas assulas assumatur; tam multas contra Regem excitabant acclamationes, ut Rex miser obmutescere, & a suis promissis recedere coactus fuerit. Sed nunc ita se jam declarat Serenissimus Rex, quod posthac non eos reputaturus sit pro Nobilibus, qui longa serie Avorum suam deducunt Genealogiam; sed qui in hoc discrimine rerum sibi auxilium tulerint. Itaque præterita jam tantum oblivioni tradite; nunc autem uncto Dei succurrite; & abhinc non amplius pro Cosaccis, sed pro Amicis Regis reputabimini: Vobis Dignitates, vobis Beneficia Regni distribuentur. Non enim amplius patietur se dementari, non amplius permittet quietem suam interturbari ab istis catulis, qui nunc in latibula diffugerunt, Herum autem dum maxime tueri debuissent, deseruerunt. Cumque his, & similibus prædictus Legatus Regis *Luborvitzki* in Status Regni, præcipue vero in Ordinem Equestrem invehe-retur, (*Wyhorski* autem Cancellarius Cosaccorum interim egressus fuisset foras, *Chmielnitzki* vero cum cœteris Cosaccis colloquia misceret) Collega ipsius in aurem tantum submissa voce susurrando eidem dixisset, *sit memor Politicorum moniti: quod nimirum, non Reges constituant Regna, sed Regna Reges: Stante enim Regno facile adinveniri posse Regem; & contra, Regno subverso, non amplius ullum Regi relinqui locum: ac proinde ita velificandum esse Regi, ne pessundetur Regnum: & de Fratribus nunc quidem absentibus ita esse loquendum, ac si essent præsentes.* Tum *Luborvitzki* in maximam exardescens iram, protinus loquitur *Chmielnicio: Domine Hetmane! Ecce hic tantum duo sumus, nec tamen convenimus! En ad præsens etiam, qui mecum est, cui non omnino ab ipso Rege impositum est hoc munus, sed ego tantum mihi illum associavi, & tamen talia & talia &c. loquitur: quod si Comitiis interesset, quid non diceret?* Et his dictis præstitit, ut Collega suus *Grondzki*, cui jam secreta sua popalaverat, in carcerem deduci jussus fuerit. Verum tamen veritus *Luborvitzki*, ne ille, liberationem sibi nancisci cupiens, Cosaccis dicat, ubi sunt repositæ Litteræ ad Chanum directæ, & sic sibimet ipsi proprio (ut dicitur) jumento extremum attrahat exitium, mox rursus intercedere pro illo cœpit. *Wyhorvski* quoque regressus, atque edoctus de eo, quid evenerit *Grondzcio*, minime approbans talem contra ipsum processum, hoc argumento, quod jam per universa Castra, non Cosaccorum solum, verum etiam Moscorum percrebuerit Fama, illum similiter, atque *Luborvicium* esse Regis Legatum Jura autem Gentium nequaquam permittant, aliqua injuria affici Legatos, efficit, ut reduci a carcere juberetur; qui rediens, non amplius ullis discursibus se ingerebat: *Luborvitzki* autem cœptum negotium summa cum sedulitate continuabat. Tum respondebat *Chmielnitz-*

Gronszki incarceratur

nitzki: Egregia quidem hæc sunt Domine Legate, quæ nobis nomine Regis proponis; sed quam practicabilia, & possibilia, ipse cognosces ex hac, quam recitabo, Historia:

Antiquis temporibus fuit homo quidam agrestis, interim omnibus bonis affluens ad invidiam usque vicinorum; in cujus domo fuit etiam serpens familiaris; qui nullum unquam domesticorum pungebat, ideoque hospita aliquando studio modicum lactis in testa ei objiciebat; quo effectum est, ut ille jam passim inter familiam sæpius obreperet. Et sic, accidit tempore quodam, quod dum datum fuisset lac pueris, serpens egressus de suo antro, atque patinæ adrepens, ipse quoque sorbere lac cœpit: tum Filius Patrisfamilias cochleari caput ipsius percussit. Serpens autem ira commotus puerum momordit. Qui dum lamendabiliter exclamasset, accurrens Parens, atque interrogans, quid sibi acciderit; cognito eo, ipsum esse a serpente læsum, qui ad antrum refugiendo, jam eo caput absconderat, arrepta securi caudam ei amputavit. Puer autem ex illo morsu mortuus; serpens etiam mutilatus, non amplius in apricum prodire ausus. Posthæc intra breve tempus opes, & divitiæ illius hominis variis casibus cœperunt notabiliter dilabi: qui ad summam deveniens paupertatem, causam tanti mali cognoscere volens, confugit ad Augures, & ait: Dicite, quæso, quid rei esse possit, quod annis superioribus, dum minus sollicite rem familiarem tractarem, omnibus bonis affluebam: nullibi plures & pulchriores boves, atque apud me reperiebantur: nullius vaccæ pinguiora ubera habuerunt: nullius oves nitidiora ferebant vellera: nullibi eædem fuerunt fæcundiores: nullius equæ generosiores progenerabant pullos: nullius agri fertiliores producebant segetes: nullius horti frequentioribus perstrepebant apibus: non noverant antehac ullum morbum jumenta mea: non noveram ullos adversos casus: nunquam domus mea vacabat convivis: nullus vicinorum numerosiorem aluit familiam: nunquam de mea domo dimissus pauper sine dono, & tamen nullius rei apparuit defectus, sed omnium opum maxima fuit abundantia. Ecce autem ab aliquot annis, omnia quæ toto vitæ tractu mihi comparaveram, ita dissipata sunt, ut inter omnes vicinos nullus sit egentior me: & quamvis multo exquisitius laboro in comparandis ad sustentandam vitam necessariis, nihil tamen proficio, imo in dies pejus mecum agitur. Dicite itaque, si scitis calamitatum mearum causam, &, si potestis, medendis malis aliquod adhibete remedium. Dant illi responsum: Quousque tu præteritis annis bene conveniebas cum illo serpente familiari, ille omnium malorum tibi imminentium virus atque contagium in se excipiens, te immunem ab infortuniis reddebat; nunc vero quia inter vos intercessit inimicitia, inde veniunt tam multa te præmentia mala. Quapropter si velis antiquum in-

instaurare statum, da operam, ut serpentem reddas tibi reconciliatum. Hæc dum ille miser audivisset, domum reversus, exponit omnia Conjugi, mandat ut quærat modum, quatenus redintegrari amicitia cum serpente possit: mox illa locis opportunis lac ipsi offert. Quo semel atque iterum degustato serpens, cœpit prodire in propatulum. Quem tempore quodam conspiciens hospes, suadet, ut ad pristinam redeant amicitiam. Cui serpens: Frustra, inquit, in eo laboras, ut talis inter nos evalescat amicitia, qualis viguit hactenus. Nam quoties ego cernam me caudam amisisse occasione Filii tui, toties mea recrudescit indignatio. Vice versa, quoties tibi in mentem veniet, te per me orbatum esse Filio, toties affectu paterno tactus in id intendes, ut posthac caput possis conterrere meum, Quapropter sufficiat posthac hæc inter nos Amicitia, ut tu in tua, qualitercunque velis, domo abhinc præsis; ego vero me in mea contineam scrobe, & dedita opera invicem nobis non noceamus. Idem sentiendum est Domine Legate de Cosaccis & Polonis. Fuit enim tempus quando in hac magna Reipublicæ Polonæ domo, utrique placide convivendo, utrique etiam felicissimis gaudebant successibus; dum nimirum Cosacci pericula Regno imminentia avertebant, ipsi sustinentes impetum Barbarorum. Regnicolæ autem reservando in pristina libertate Cosaccos, non moleste ferebant, illos etiam aliquid degustare ex illo lacte, quod reperiebatur in illis angulis, ad quos non perveniebant ii, qui se solos antiquæ Patriæ filios asserebant. Tunc Regnum Poloniæ floruit nitidissime, tunc felicitate sua in conspectu omnium, ad invidiam usque vicinorum coruscabat: tunc nullus hostium de Regno Poloniæ spolia asportabat; tunc ubicunque Poloni Castra sua conjunctis suis cum Cosaccis viribus promovebant, semper remeabant victores, semper triumphos canebant. Sed postquam ii, qui se pueros Regni putant, cœperunt libertates Cosaccorum infringere, & capita illorum contundere: illi quoque cœperunt lædentes sese mordere, inde subsequutum est, ut illorum quidem magna pars sit resecta; sed & Filiorum Regni non pauciores perierunt. Ideoque quotiescunque, inter utramque gentem, in mentem venient damna invicem sibi illata, toties recrudescet indignatio; & quamvis aliqua intercesserit reconciliatio, illa tamen levissima de causa iterum rumpetur. Nec ullus unquam vel sapientissimus mortalium aliqua arte poterit hoc efficere, ut stabilis & firma Pax coalescat aliter, nisi ut Regnum Poloniæ renunciando omni, quod prætendit ad totum Ducatum Russiæ Juri suo, concedat Cosaccis dirigendam Russiam, usque ad Wlodimiriam, Leopolim, Jaroslaviam, Præmisliam, acquiescendo super eo, ut illi continentes se in Russia tanquam in scrobibus, hostes Regni Poloniæ antevertant: quod, quousque vel centum solummodo Nobiles in universo Regno permanserint, nun-

nunquam benevole concedent. Cosacci vero dum arma tenebunt, nunquam ab ista conditione recenent. Itaque laterem lavas mi Domine Compater.

Videns ergo Legatus Regis *Luborvitzki*, se nullis rationibus posse avocare Cosaccos a confœderatione inita cum Moscis, & Suecis, ac proinde nullam spem sibi affulgere aliquorum pro parte Regis auxiliorum; convertens sese ad *Chmielnicium* dicit: *Serenissima Regina, Domine Hetmane, sperans, me, Dominationem Tuam in loco residentiæ suæ inventurum, exaravit Litteras Dominæ Conjugi Tuæ Dominationis: quia vero præter opinionem adhuc hoc in loco reperi Castra, non scio, cui securius credere possim Litteras Serenissimæ Reginæ quam T. D.* & repræsertans easdem addit: *Habet facultatem hic statim illas legendi, & fortassis præstaret non diferre.* Recepit itaque *Chmielnitzki* illas Litteras, illisque apertis ac lectis, illacrymatus nonnihil, dixit: *O Deus Omnipotens, quid ego sum in conspectu tuo! Nihil aliud sane, quam vermis vilissimus: Ecce autem quantam mihi gratia tua conciliat auctoritatem, ut etiam ad Annam meam* (intelligendo uxorem, sed jam aliam, non vero illam, quam ante bellum acceperat Czaplinski; illa namque ab illo, bello ingravescente, deserta, cum incidisset in manus *Timothei* Filii *Chmielnicii*, jussu ejusdem suspensa fuit) *Serenissima Regina Poloniæ Litteras exarare, atque sollicitare, ut pro illa apud me intercedat, non dubitaverit! Tuum hoc sane est opus; non mihi, non viribus meis hoc imputo, sed divinæ gratiæ tuæ, pro qua sit nomen Tuum benedictum in sæcula!*

Tum aliquantulum conticescens *Chmielnitzki*, tandem dicit *Luborvicio*: *Hæc quæ Serenissima Majestas tum per Litteras, tum per Te postulat, præstare non possum. Nam jam firmissimis Juramentis vos Moscis, & Svecis obstrinximus super Confœderatione nequaquam violanda. Quia tamen miseret me Status Serenissimi Regis, quod potero faciam. Ex istis Provinciis, quæ vigore Confœderationis concernunt Cosaccos, nimirum Palatinatum Lublinensem, Belcensem, Wolhiniensem, & Russiæ, concedam Suæ Majestati; Jaroslaviam etiam in meam rationem reservatam intactam relinquam. Ibi enim volui hyberna agere: Sed ob respectum Serenissimi Regis, educam illinc præsidium meum. Si itaque placuerit Suæ Majestati, regrediatur ex Silesia, & hinc de pacificatione cum Suecis, & Moscis consilia ineat; plura in hac materia tractanda in aliud tempus rejiciamus: nunc autem conferte vos ad hospicium.*

Regressus ad hospitium *Luborvitzki*, confestim rediit in gratiam cum *Grondzki*.

Hac occasione industriam Cosaccorum, ne dicam astum, vel inde quisque cognoscere potest, *Astus Cosaccorum*

test quod dum uno eodemque tempore a duobus Regibus, & quidem invicem inimicis, ad se missi fuissent Legati, videlicet paulo prius a *Rege Sueciæ*, qui ad instantiam Polonorum ursit, ut Cosacci recederent in Ukrajnam, promittens se cum illis reliqua, quæ adhuc ab inchoata Confœderatione in suspenso erant, mediantibus Commissariis brevi in finem deducturum; huic nunciatum est: se ad requisitionem illius recedere.

Et aliquanto post a Rege *Casimiro*, cujus desideria superius sunt connotata; tamen huic quoque tam blandum, prout retuli, dederunt, responsum; cum in rei veritate nec in hujus, nec in alterius gratiam id fecerint; sed quia certo sciverunt Chanum Tatarorum cum toto robore militiæ suæ, contra se venire. *Chmielnitzki* autem videns tum Cosaccos, tum Moscos in dies summopere dilabi, & nulla ratione se illos retinere posse, & hos etiam qui secum perdurabant, præda nimium onustos ad præliandum esse minus idoneos; præterea quod cum Leopoliensibus jam totaliter transegerant; & denique ob defectum commeatus, quem ex locis quaqua versus nimium desolatis comparare nequiverunt, longiorem moram trahere nulla ratione potuit; sed præcavendo ne a Tataris penes Leopolim circumventus, tum a præsidiariis dictæ Urbis, tum ab aliis militibus Polonis in

in aliquas angustias redigeretur, reducere inde Castra necessario debuit.

Dum hæc ad Leopolim sunt gesta, *Czarnetzki*, postquam Cracoviæ Suecorum oppugnationem, per aliquot septimanas mascule sustinuisset, tandem ob defectum commeatus, qui in tanta, quanta ibi semper est, hominum multitudine, exhauriri facile potuit, concessit arcem certis conditionibus Suecis, inter quas hæ erant præcipuæ: ut egresso sibi Cracovia, concederetur liber passus ad submontanas partes versus *Sandeciam*, & inde quocunque volet; & ut Stativa Quartiria Militi suo libera essent: denique ne intra decursum trium mensium, ad obsequia Regi Sueciæ præstanda adigeretur. Quæ omnia Suecus lubens concedens, cum amplis muneribus *Czarnecium* dimisit. Cracoviam autem *Wittembergio*, & *Wirtzio* tuendam cum valido præsidio commisit. Ipse cum Officialibus Exercitus Regni incipiens tractatum, quamvis nec dum Juramentum sibi præstitissent Milites, nihilominus fidem simplici promisso adhibens, relicto *Sendomiriæ* ad exequenda, quæ erant cum Exercitu conclusa, superius enarrata, Generali *Duglassio*, contulit se in Prussiam, ad Principem *Brandeburgum* in partes suas trahendum, assumensque secum *Alexandrum Koniecpolscium*, & *Demetrium Visniorviecium*, cum aliquot millibus militum contendit recta Warsaviam, quam etiam facili ne-

negotio captam præsidio munivit: commissa summa rerum non Varsaviæ solum, sed per totam minorem Poloniam *Benedicto Oxenstirn* (qui etiam a Suecis Pro-Rex dicebatur) Inde procedens primo *Torunium*, postmodum autem alias Civitates Principis *Brandeburgici*, non tam armorum strepitu, quam *Radziejovii*, & aliorum Polonorum, quos secum habuit, suasu, ad deditionem sibi faciendam induxit, illasque præsidiis munivit: Principem vero *Brandeburgum*, non solum in partes suas traxit: verum etiam undecim millia militum ab illo obtinuit.

Chanus Tatarorum advenit pro Polonis

Interim, dum Legatus *Casimiri* Regis a *Chmielnicio* ulteriorem resolutionem expectat, adfertur nuncium Cosaccis, adhuc penes Leopolim milites suos ad diversas partes expeditos, expectantibus, Chanum Tatarorum jam ad *Tarnopol* appropinquare: *Chmielnitzki* itaque nec expectando, donec omnes sui milites, præsertim Mosci, concurrissent; obviam ivit Tataris, in succursum *Casimiri* tum demum venientibus; postquam Chanus ab illo jam Cracovia in Silesiam sese conferente, litteras de adversissima fortuna sua, & nuncium per postam accepisset. Tum demum Casus ille *Grondzcio*, quod nuper Legatus Luborvitzki dixisset, illum a se tantum in Collegam assumpsisse, bene cessit. Illum enim Cosacci dimiserunt; Legatum autem more Captivorum detinuerunt. Cum autem *Chmielnitzki* congressus cum Tataris, prælium cum iisdem inivisset, ipse quidem nihil damni ab illis accepit; sed tamen tanquam indagine undique clausus, atque impeditus, quominus posset conjungi cum Moscis aliquot milliaribus se subsequentibus, sat multum est passus. Nam Chanus Tatarorum impetum faciens in Moscos sejunctos a Cosaccis, multos ex iis trucidavit, multos captivos duxit, inter cœteros autem Filium *Buthurlinii* Supremi Generalis Moscorum, effecitque apud *Chmielnicium* periclitantem, ac multum sollicitum de reliquis Moscis, ut juramentum deponere necessum habuerit, se non amplius contra Regem Poloniæ *Casimirum* arma sumpturum. Chanus vero in se hanc assumpsit conditionem, quod effecturus sit apud eundem Regem, ut cum Cosaccis honestis, & bonis conditionibus, ipso mediante, transigeret. Filium etiam *Buthurlinii* non prius dimisit, donec *Chmielnitzki* Legatum Regis *Casimiri Luborvicium*, ob suspicionem falsæ legationis aresto detentum, sibi restituisset. Quo obtento, & ab illo de omnibus rebus in Polonia præteritis diebus gestis, sufficienter informatus, eundem Legatum Leopolim remisit, cum adjuncto ei proprio Legato suo ad Regem *Casimirum* expedito; dans in mandatis, ut quam citissime ea, quæ in præsentia sua inter Tataros ab una, & Cosaccos, & Moscos parte ab altera gesta sunt, referret. Litteras præterea Regi scripsit, se in Pokucia, hoc est, ultra Leopolim versus Car-

Carpatum montem cum Exercitu suo usque ad 28. Januarii expectaturum; Rex interea redeat in Patriam, cui cum universis copiis suis succursum dare paratus. Quod si ad diem præfixum non redierit, se quidem rediturum domum, sed iterum, si vocatus fuerit, primo Vere venturum. Tandem illi, qui nomine Regis *Casimiri* simul venerunt ad Cosaccos, diversis temporibus dimissi, diversis etiam modis posthac sunt progressi. *Grondzki* enim postquam rediisset ad suos, quos reliquerat in Castello, dicto *Rzemien*, ab omnibus summopere reprehensus, quod sibi præ omnibus aliis tantum arrogaverit, ut ausus fuerit sæpius dicto Legato *Casimiri*, contra voluntatem Exercitus Polonici sese associare. Itaque tum impulsu militum (jam enim bona ipsius impetrare a Rege Sueciæ aliqui voluerunt) tum suasu Amicorum, præsertim vero manu *Martini Dembitzki* Vexilliferi Sendomiriensis prehensus, *Duglassio* Generali Suecico repræsentatus, & recommendatus est, eo ipso die, quo collustrationem Exercitus Polonici penes Sendomiriam instituit. Cui Actui interfuerunt, tum *Pototzki* Supremus, tum *Landskoronski* Vice-Generalis Exercituum Regni. Qui, dum ipsis fecisset relationem *Grondzki*, quanta cum confusione Cosacci, & Mosci recedebant a Leopoli, & quanta cum multitudine obviam illis Chanus Tatarorum veniebat, simulque intimasset, nunc adesse commo-

Novum Grondskio periculum evadit

modissimam occasionem profligandi Hostem, si abjecta mora, illum subsequuti, vires suas conjunxerint cum Tataris, nec audire quidem ipsum voluerunt, imo increpabant dicentes: Quis te constituit Consiliarium bellicum? Satis pro isto incœstuoso *Casimiro* hactenus pugnatum est: qui, si voluisset, dudum huic bello finem imposuisset, deletis Cosaccis; sed parcebat illis studio, conservans eosdem super cervices nostras, intendens ad absolutum Dominium deducere liberum Regnum nostrum. Percipiat nunc fructum consiliorum suorum! quia vero Deus largitus est nobis ad præsens Regem, qui super papyro confecturus est pacem, jam super eo acquiescamus: & non amplius commovendo camerinam, post tam multos pro Rege ingrato exantlatos labores, conquiescamus. Talia videns, & audiens *Grondzki*, ipse quoque Suecis sese addixit, antecedentium sequutus vestigia.

Ad Suecos transit

Lubomirski vero regressus Leopolim, post degustatas in Castris Cosaccorum, & Tatarorum delicias, morbo correptus aliquot septimanis ibidem se continuit, eamque ob rem, tardius, quam necessitas postulabat rei, ad Regem in Silesiam reversus obicem posuit, quominus Rex *Casimirus* pro tempore a Chano Tatarorum præfixo redire potuisset. Chanus itaque videns Regem retardare, nullum autem modum habens consistendi diutius in locis desolatis, cum ingenti multitudine copias quidem suas domum re-

reduxit, nihilominus tamen audiens superesse *Czarnecium*, qui cum aliqua manu militum nondum in partes *Suecicas* transierat, ad Exercitum Polonicum per expressum ablegatum suum, in hunc modum scripsit:

Relatum est nobis: Vos Serenissimum Joannem Casimirum Poloniæ Regem, Fratrem nostrum dereliquisse, & alicui Sueco, quem nos nec novimus, nec nosse volumus, adhæsisse. Quapropter, monitos vos esse volumus, ut confestim ad fidelitatem dicti Domini Regis, Fratris nostri, redeatis. Quod si facere recusaveritis, pro certo sciatis, nos iisdem acinacibus, quibus domuimus Cosaccos, & compescuimus Moscos, atque ad obsequia Regi abhinc præstanda coegimus, vestris cervicibus admotis, effecturos, ut volentes nolentes, Fratrem nostrum Joannem Casimirum pro Rege agnoscendo, id præstetis, quod fideles subditos addecet. Valete.

Interim *Czarnetzki* ex submontanis partibus jam transierat in Palatinatum *Belzensem*, illibate permanens, cum militibus suis sibi adjunctis in fidelitate Regis *Casimiri*. Itaque acceptis præinsertis Litteris Chani Tatarorum, tanto magis confirmatus in proposito suo, confestim cum Magnates, tum Nobiles, tum Officiales Castrenses, denique omnes qui Patriam, qui Sacro-Sanctam Religionem Catholicam servatam esse vellent, per Litteras convocat, pro

Die 8. Januarii 1656. ad consultationem de bono publico in Civitate *Tyszovvce* celebrandam.

Inauditus quidem erat in Regno Polonico Actus, nimirum ut privatus aliquis, ad privatam Consultationem ausit convocare Ordines Regni, & quidem loco minime privilegiato. Nihilominus, quia in casu Reipublicæ insolito, suasit id Vir de Republica optime meritus, & expers omnis suspicionis malignæ alicujus machinationis, concurrunt ad præfixum Terminum quam plurimi, ex diversis Regni partibus, potissimum autem ex iis, quæ erant ab illo tractu, quem jam præoccupaverant Sueci, remotiores. Cum itaque ad diem, & locum designatum confluxissent in magna frequentia Viri Egregii, *Czarnetzki* prout auctor illius convocationis, exorsus Orationem, multis exemplis demonstrabat, quam variæ sint rerum humanarum vices: idque non nostra tantum ætate, sed similia contigisse aliis etiam sæculis, idque non in Patria solum nostra, sed in aliis quoque Regnis: demonstrabat Regnicolas, & Milites Regni non victos, non sublatos, sed tantum ad majora pro Patria subeunda facinora reservatos: nam inquit:

Alternat Bellona vices, miserosque reversa
Sublevat, & stimulis fibras ingentibus implet.

Et nunc dummodo resumant animos, non diu exultaturum hostem: qui nonnullos Fratres nostros non ferro devicit, sed argento;

non armis ſubegit, ſed blanditiis. Neque vero vires ſuas auxit, obtentis aliquot fortalitiis, ſed potius diſtraxit: militem veteranum pro præſidio imponendo, ſalutem vero ſuam vel Tyronibus credendo, vel Patriæ noſtræ Filiis; qui tandem pœnitentia ducti, ad ſinum ejusdem recurrent: dummodo cernant nos, prout hucusque, ita poſthac etiam fidem intemeratam Deo, Patriæ, Regi ſervare. Neque eſſe, cur deſperent de mediis hoſtem reprimendi: ſufficientes namque milites eſſe, dummodo vires ſuas circumſpiciant: Sed adſunt, inquit, & media externa. En jam Ethnici calamitatis noſtræ miſerti eos, quorum antehac ſocii erant, pro nobis caſtigarunt. Suppeditabit Deus & alia media, dummodo ipſi non deſimus rebus noſtris; & tunc produxit Litteras Chani Tatarorum.

Quibus lectis, omnes erecti animis, ex mutuo, & unanimi conſenſu concluſerunt, ut ſtatim ex hac convocatione, nomine communi ſcribantur Litteræ ad eos, qui ad præſens partes Regis Sueciæ ſectantur, ut intra decurſum unius Menſis ad fidelitatem Regis redeant, nihil de Clementia Suæ Majeſtatis ambigentes. Quod ſi facere id neglexerint, eos pro hoſtibus Patriæ pronunciandos, & bona illorum omnia eſſe diripienda. Ab Eccleſiis etiam ibidem comparentes Patres promiſerunt notabilem ad contentandum militem pecuniæ ſummam. Milites denique promiſerunt, obtento nunc aliquo ſubſidio,

ſidio,

ſidio, ad præſentiſſimas neceſſitates ſuas, durante bello Suecico, ſine ſtipendio ſe militaturos, dummodo Rex aſſecuret, felicioribus Reipublicæ temporibus illa perſolvenda eſſe. Factaque eſt maxima conjuratio contra Suecos, & omnes Suecorum aſſeclas, niſi redierint. Simulque inde expediti ſunt Legati ad revocandum Regem, cum expeditione novæ confœderationis. Mittuntur per Pruſſiam, & ubique per Regnum revocatoriæ a Suecis Litteræ. Fit commotio ingens. Aliqui hæc a Suecis præſentientibus, alii a Fratribus ob ſuſpicionem Suecicæ factionis, invaduntur, cæduntur, bonis ſpoliantur. Suecos, quos nonnulli pro Salva guardia h. e. præſidii loco, ad tuenda bona ſua aluerunt, ex inſidiis, tanquam oves mactationi deſtinatas, interficiunt, repletur iterum horrore tota Regio Viſtulæ adjacens. Nunciantur hæc omnia Sueco in Pruſſia commoranti, ubi confecto negotio, maturat Rex Suecorum reditum, & magnis itineribus contendit Cracoviam, volens exinde ad univerſum Regnum exarare Litteras, invitando ad Comitia, ut data, & accepta ab utrinque ſecuritatis fide, modo ſolito confluerent Status, & Ordines Regni de bono publico deliberaturi. Interim jam illum nunc integræ Cohortes, nunc certa pars militum Polonicorum furtim derelinquunt. Si aliqui ad Partiam expediuntur, non amplius redeunt. Quæ res etiam cœteris magnam peperit diffidentiam, ac

 diffi-

difficultatem. Etenim vel ob minimam suspicionem, mox a Suecis ad mortem trahebantur. Tandem Rex Sueciæ declaravit, quicunque nollent sub signis suis militare, se omnes dimissurum; sed nemo ausus est intentionem suam aperire. Itaque deposito iterum novo fidelitatis juramento, remanserunt penes Suecum circiter 3000. Militum.

Czarnetzki autem ex *Tyszovvce*, cum sibi adjunctis ivit trans Vistulam, omnibus, quicunque in partes Suecicas transiverant imponendo necessitatem redeundi ad *Casimirum* Regem. Interim etiam Rex *Casimirus* ex Silesia per submontanas regiones regressus, *Leopolim* se contulit. Ad quem ex omnibus partibus confluebant, cum Milites, tum Nobiles; ignoscebatur autem omnibus. Cumque Rex Sueciæ pervenisset a Prussia versus *Sendomiriam*, incidit in latam, & notabilem viam, vestigia equitum Polonorum designantem, & trans Vistulam divertentem. Quo viso, subito substitit, dato mandato, ut Exercitus pone se veniens, maturaret ad eundem locum convenire. Interim leves partias huc, atque illuc expedivit, assignando honorarium Centum Thalerorum, quicunque ex Exercitu Polonico gregarium militem adduxerit; pro Officiali autem duplum. Accensi illo promisso prœmio, velocissime excurrunt, & intra horam aliquot captivos adducunt, qui Regem de omnibus rebus edocuerunt,

vi-

videlicet fuisse *Czarnecium* cum quinque Millibus, qui passim circumibant, ubi aliquos posset adoriri Suecos; nunc autem cognito adventu Regis divertisse trans Vistulam versus *Casimiriam*. His auditis Rex, nihil cunctando subsequutus est eum, iis ipsis vestigiis, præmittens iterum aliquot Moldavorum, & simile prœmium pro Captivis assignans (prioribus autem jam persolverat) transit per glaciem jam debilitatæ Vistulæ, animadvertit dividi vestigia in varias partes, anceps quid sit faciendum, quænam esset ingredienda via, aliquantulum constitit; Ecce autem eo ferme momento, adducunt aliquot ex præcipuis, qui *Casimiriæ* compotationi dediti erant capti; Illi referunt tale esse propositum *Czarnecii*, quod nunc quidem superata Vistula certis cohortibus concesserit divertere versus dexteram partem, propter commeatum facilius comparandum, nihilominus illum demandasse severe, ut circa Vesperam omnes concurrant ad *Golomb*, quo & ipse divertit, volens silentio noctis loco opportuno, retro transire Vistulam, ut infestaret posteriora agmina Suecorum, nil adversi sibi metuentia, quod jam Rex se præcesserit; certo præterea sciens, a tergo nullum hostem reperiri usque ad ipsam *Varsaviam*. His auditis Rex Sueciæ, maximo cum tripudio dixit, se multum gaudere, quod affulserit sibi hæc occasio, qua sperat se congressurum cum *Czarnecio*, cujus fama

 val-

valde celebrabatur. Quia autem potior pars militiæ ipsius adhuc ultra Vistulam hærebat, cum non potuisset totum producere Exercitum, jam autem vix duæ ad vesperam supererant horæ, locus vero ubi dicebatur esse *Czarnetzki*, distabat duobus milliaribus; præmisit tres solum cohortes: *Finnorum*, (qui inter Suecos plurimi æstimabantur) quibus dat in mandatis, ut qua possint celeritate currant, donec in conspectum Polonorum venerint; pervenientes autem tam prope, ut conspici possint probe, subsistant; si visum fuerit velitationes quam citissime instituant. Post illos expedivit quendam Legionarium Polonum, dictum *Niemyricz*, cujus Legio constabat circiter quingentis militibus, præcipiens severe, ut quam proxime subsequeretur *Finnos*, non tamen cum illis sese conjungeret, nisi viderit illos pugnam instituere cum Polonis. In tali casu accurrat & ipse, remque ita agat, ne *Finni* dispereant: Interim ipse Rex adhibens omnia media, ut quam citissime trajiciat Exercitum, substitit; cumque trajecisset omnes Equites, cœpit præmissas Cohortes subsequi, dans ordinantiam Castrorum-metatori, ut respiciens ad omnes casus quam diligentissime, figeret Castra penes Civitatem *Pularvi* dictam. *Finni* autem interea, emenso uno milliari itineris, incidunt in mille Polonos, excubias, uno ante castra milliari agentes, sub Commenda Colonelli *Szembek*, & in illos tanquam Diaboli

li irruunt ferocissime, moxque magnam confusionem in illis efficiunt, atque antequam *Niemyricz* cum sua Legione supervenisset, terga illos obvertere cogunt; superveniente autem dicta Legione in effusam fugam convertunt (paucis ex iis cæsis, & duobus tantum captis, & Regi remissis) quantum fieri potuit, eosdem subsequendo. Sed quia Polonorum equi, & natura velociores sunt Suecicis, & non erant fessi, quam primum nacti sunt campum, ab oculis erepti. Interim Rex (ex novis indicibus edoctus, *Czarnecium* jam cognovisse Suecos, Vistulam superasse, & secum pugnare velle, ideoque præstolari penes *Golomb*, ad illumque non tantum eos, qui secum Vistula superata digressi erant ad dextram partem, sed illos etiam qui ante aliquot dies desciverant a Suecis, quam plurimos concurrere) tanto majori cum alacritate festinat cum universo Equitatu, expeditissimos quosque præmittens. Interim *Finni* illi cum Legione *Niemyriciana* pervenerunt usque in conspectum *Czarnecii*, Exercitum in aciem disponentis, atque interjecto spatio loci, tanquam ad binum jactum teli, ex arcu emissi, substiterunt. Velitationes interea ab utrinque institutæ, *Finnis* a fronte collocatis, qui animadvertentes Polonicos milites ad velitationem emissos, loco pugnæ colloquia potius instituere cum *Czarnecianis*, velitationem illam inhibuerunt. Mox exaudiuntur prægrandia Regis

Sueciæ tympana, horribiliter resonantia, adventumque Regis designantia, tum advolat *General Adjutant* Regis Sueciæ dans ordinantiam, sive mandatum *Niemyricio*, ut procedens ad sinistram alam *Finnorum* illos aliquantum præcedens ad instar cornu Lunæ, subsistat, donec supervenientes Dragonerii ex altera parte *Finnorum*, illos similiter antecedant: quibus ad latus collocabantur iterum Cataphracti, & tandem ad dextram alam, alia Legio Polonorum, nempe *Calnovii* Capitanei Bratslaviensis, similiter in formam Lunæ sese extendentium, ut Dragonerii eum maximo impetu, ad Exercitum Polonorum tam prope accurrentes, quatenus globi sclopetis emissi sine dubio ferire possent Polonos; postquam equis desilientes sclopos suos exoneraverint, & iterum Cataphracti utrumque latus illorum claudentes, quisque unum sclopetum dictum *Pistol*, exploserint, confestim ex utraque ala procederent, & irruerent Poloni Suecici in *Czarnecianos*; pro certo scientes Suecos a tergo sibi collocatos, bene observaturos, qualiter quisque sese gereret, & si aliquem dolum animadverterint, illis minime parsuros. Constituuntur post hos confertissimis agminibus Sueci: datum signum pugnæ: quisque sedulo intentus ad exequenda sibi demandata. Quamprimum autem illi Dragonerii (qui erant circiter 800) emiserunt glandem sclopetariam, in equos potius quam in ipsos Polonos, multum perturbationis in Exercitu Polonico effecerunt, aliqui namque concidentes ad terram, alii vero accepto vulnere calcitrantes, & huc atque illuc discursitantes, ordinem Polonos servare nequaquam permiserunt: interim reliquo agmine Suecorum, fulminis instar irruente, dicto citius loco cedere, tergaque cum maxima perturbatione obvertere coacti, & instante vehementissime Suecico Exercitu, in fugam conjecti, cædebantur multi. *Pardon* autem vel maxime petentibus raro concedebatur, Suecis perfidiam, & violationem Juramenti exprobrantibus. Præcipuus inter Captivos fuit *Stanislawski*, qui siquidem in Moldavos inciderat, ideo morti ereptus, & incolumis Regi est oblatus. Nec ulla ratione Poloni poterant amplius instaurare pugnam. Suecis valde acriter sese prosequentibus, usque ad seram noctem, & ad fluvium *Weper* dictum: ad quem compulsi Poloni, perfracta glacie multi aqua sorbebantur. Sueci vero pro meta commissi prælii fluvium ponentes, securi, simulque mirum in modum læti ad Castra rediere; & quia nox valde fuit atra, multi huc atque illuc aberrantes, vix sequenti die circa meridiem ad eundem locum concurrerunt. Eo prælio ex Suecis vix 40. sed ex Polonis ad minimum 3000. sunt desiderati. Ex quibus non pauciores in fluvio demersi, quam armis Suecorum oppressi.

Se-

Sequenti die Sueci post exantlatum maximum præterita die laborem, (etenim postquam cum universa Armada 6. milliaria emensi fuissent, præterea magna cum mora, ac difficultate Vistulam superassent cum equitatu uno milliari ultra Castra Polonos insequuti, confectoque prælio rursus ad Castra reducti fuissent, satis præstitisse tam gravem Exercitum quis neget?) necessario eodem in loco conquiescere sunt coacti. Interim illis ibidem moram trahentibus, glacies super Vistula ita liquefacta, ut pedestri etiam nequaquam concederet transitum, necessitatem imposuit Regi *Cracoviam* ire volenti, mutandi propositum; cumque nihil aliud factu restaret, præterquam illuc se conferre, ubi aliquem commeatum posset habere, ne otiosus deambularet, divertit *Lublinum*, cujus claves Primarii Cives, duobus adhuc milliaribus distanti ultro obtulerunt (neque enim resistendi Suecis ullum habuerunt modum, utpote superiori anno a Moscis, & Cosaccis nimium exhausti) & gratiam Regis implorarunt. Qua demissione illorum Rex devictus, *Salvam Guardiam* illis dedit, & militem ab omni injuria ipsis inferenda cohibuit, receptoque fidelitatis Symbolo exiguis muneribus declarato, & juramento comprobato, *Zamoscium* versus contendit.

Quia vero in illis locis tantam desolationem invenit, ut ubi antehac Aulæ Nobilium &

& frequentes Pagi fuerunt, non ex aliis signis id cognosci potuerit, præterquam ex tumulis cinerum; Rex Sueciæ cognita re ex iis, qui secum fuerunt, Polonis, Cosaccos, & Moscos auctores fuisse tam abominabilis desolationis; informatus præterea, hunc esse illis consuetum bellandi modum, omnia igne consumere, homines in captivitatem abducere, & dein cum Tataris pro equis concambiare; & ipse ex animo super iniquissima sorte Polonorum indolens, dixit, *se nunquam amplius illos in societatem armorum adsciturum, etiamsi aliquis argumentis infallibilibus ipsum assecuraverit, se auxilio illorum, universo Regno Poloniæ pro certo potiturum addens: quid lucri importabo, si terram hominibus, & ædificiis destitutam mihi tradiderint? nolo arboribus in sylvis, sed hominibus in ædificiis degentibus, & agros colentibus præesse.* Protinusque cœpit de mittendo aliquo idoneo, & fido Legato, consilia miscere: tum inter cæteros commendat ipsi *Kiemirycz Samuelem Grondzki* (quem ab ineunte ætate intus, & in cute noverat) quod in Ukrajna Adolescentiam suam in Exercitu Quartano transigens, omnium locorum, ac itinerum sit bene gnarus, quod multos habeat sibi ubique notos, & quod majus, Legationis munere superiori anno ad Cosaccos a *Casimiro* perfunctus, cum *Chmielnicio*, & nonnullis Officialibus notitiam contraxerit, ac proinde audentius illum iter hoc suscipere posse,

Gronszki Svecorum Legatus ad Cosaccos

se, quam aliquem alium; quod vero fidelitatem attinet, semetipsum Vadem pro illo obtulit. Quapropter etiam Rex sine cunctatione illum ad Cosaccos amandavit. Legationis autem summa fuit: 1.) *Postulabat, ne Chmielnitzki cum sua universitate, de sua erga Cosaccos propensione, aliquam inde concipiant suspicionem, quod cum illis hucusque non realem instituerit compositionem; super quibus initio confœderationis aliquid fuerat inchoatum. Omnem enim sibi ereptam fuisse aggrediendi operis, occasionem; siquidem tota hyeme negotiis in Prussia transigendis fuerit distentus: nihilominus tamen nunciandum: Se mense Januario Anni præsentis ablegasse Abbatem Atheniensem, Patrem Danielem, qui utrum eo pervenerit, nec ne, sibi minime constare.* 2.) *Siquidem desideria Cosaccorum sibi non sunt cognita, se scire non posse, quali cum Instructione Comissarios expedire debeat; sed potius Chmielnitzki per præsentem & scriptotenus, & viva voce postulata sua sibi significet, simulque locum, & tempus Commissioni peragendæ designet. Quibus cognitis Rex Seciæ ita sese est accomodaturus, ut nulla in re desit desideriis Cosaccorum.* 3.) *Significandos successus rerum Regis Seciæ tum in Prussia, tum novissime ad Golomb; quapropter sperare Regem, sibi non opus fore hac æstate succursu Cosaccorum, cum etiam affulgeant aliqua media componendæ pacis cum Polonis, sine strepitu armorum. Quod si etiam spe*

1656

sua

sua hac in parte frustratus fuerit, comparasse sibi de facto tam validum Exercitum, ut ausit cum universis copiis Polonorum conflictum inire, idque cum spe victoriæ. Interim tamen si necessitas tulerit, & fuerit ea de re a se requisitus, ne recusent Cosacci sibi in auxilium venire; non prius tamen, quam fuerint vocati: cæterum felicissima quæque apprec nda.

Ipse autem Rex Seciæ a *Lublino* Castra promovit versus *Zamoscium*, ibique subsistere in animum induxit; sed tum propter loca cœnosa, ubi vere ineunte currus ad axes usque inhærebant, tum propter defectum Commeatus, consilium mutare coactus, rursus Castra versus *Jaroslaviam*, & submontana loca, ubi erat major copia victualium, promovit. Quo cognito *Czarnetzki*, auctis notabiliter copiis suis, ex iis, qui derelicto Sueco ex Prussia regrediebantur, passum Regis impedire volens, occurrit ei circa *Tomaszovv*: sed quamprimum in conspectum illorum Sueci venerunt, statim disparuerunt, militibus illis qui noviter accesserant, pugnam detrectantibus, eo quod sibi ob oculos obversaretur Juramentum, quo se non ita pridem Regi Seciæ obstrinxerant, ac dicentibus: *Se nulla ratione arma in ipsum detorquere posse: Sufficiat Regi, ac Reipublicæ nos illum reliquisse: & siquidem præter Suecos sunt alii hostes Patriæ; contra illos nos paratos esse officium debitum præstare.*

Di-

Divertit itaque *Czarnetzki* verſus *Leopolim*, ubi fuit Rex *Caſimirus*, ibique milites, qui in partes Suecicas præterito Anno deſciverant, veniam deprecati, ab illo Juramento in ſolenni forma diſpenſationem obtinebant. Suecus interim incolumis pervenit ad *Jaroslaviam* (relictis multis in via cœnoſa curribus) ibique cum univerſo Exercitu ſuo, efficiente circiter duodecim Millia, commoratus aliquot diebus, refectisque ex parte aliqua militibus Generalem *Duglaſſium* expedivit cum certa manu militum ad oppugnandam *Præmisliam*, ipſe vero eodem loco permanſit. *Duglaſſio* autem ad *Præmisliam* aliquot diebus commorante, irrito conatu, eo quod *San* fluvium, ibi præterlabentem, ſuper quo iis ferme diebus perfracta glacies, maximis cruſtis demeare cœpit, tranſire nulla ratione potuiſſet, transfluvium autem ſubſiſtens, non multum damni potuit inferre obſeſſis; nihilominus Civitas in ſummo poſita metu indeſinenter ſollicitabat Regem Poloniæ de ſuppetiis, ſibi ferendis, ſperans futurum, quam primum Sueci ſuperaſſent dictum fluvium *San*, in manus, & poteſtatem illorum deventuram. Itaque ſubmittit Rex *Caſimirus* a Leopoli *Lubomirſcium*, Marſchalcum Regni, & *Czarnecium*, cum aliquot millibus ſelectiſſimi militis, qui loco ſibi noto infra *Præmisliam* fluvium erant ſuperaturi. De quorum intentione edoctus *Duglaſſius* ex quibusdam Captivis Polonis, aſſerentibus ipſum

ipſum Regem cum univerſa potentia ſua (quæ revera erat non contemnenda, & rei veritate magis exaggerabatur) in perſona venturum, & de ſumma rei armis decertaturum, Caſtra reducit verſus *Radymno*, Civitatem ſitam intermedio loco inter *Præmisliam*, & *Jaroslaviam* in campis patentibus: nuncians omnia Regi ſuo, eundemque monens, ut abjecta mora ibidem cum reliquo Exercitu admaturet, quo conjunctis viribus hoſtem ſuum tutius præſtolari queant. Conveniunt itaque ab utrinque ad locum deſtinatum, & cum parato ad præliandum Exercitu, adventum Polonorum expectant; cum autem nullos adventare vidiſſent, expediunt aliquam Partiam verſus *Præmisliam*, quo melius de intentionibus Polonorum informari queant. Tunc adfertur illis nuncium, Marſchalcum una cum *Czarnecio*, ſiquidem ad *Præmisliam* non inveniſſent Suecos, contendiſſe verſus *Cracoviam*, ſuperato fluvio ſupra Civitatem, ubi inter montes loco anguſto nondum dimota erat glacies; Regem vero *Caſimirum* cum utroque Generali, atque cum validis copiis ſtipendiariorum, & aliquot Palatinatuum Nobilibus, ſine mora venturum. Quod cum innotuiſſet Suecorum Regi, ille quoque ſine cunctatione contendit verſus *Sendomiriam*, ubi validum habuit præſidium, ut relictis ibi impedimentis bellicis expeditior redderetur ad eundum, quo res, & occaſio poſtulaverit; præſertim ad Cracoviam, quo ire jam

jam dudum apud se proposuerat, & quo ordinaverat, ut venirent novi delectus quatuor millia Militum ex Suecia submissorum. Totus interea tractus submontanus, incipiendo a *Sombor* usque ad *Sandecz* a Rege *Casimiro* ex Silesia illac redeunte, ad arma contra Suecos capienda concitatus, & noviter a Marschalco, & *Czarnecio*, in eodem proposito confirmatus, (præsertim quod Suecos dixerint in ejusmodi positos esse angustiis, ut a tergo habeant sibi Regem *Casimirum* relictum in dies, in horas cum potenti Exercitu affuturum, & a fronte ipsum *Lubomirscium* cum *Czarnecio* progressum illorum retardaturos; (quod tanto facilius præstari potuit, quod aliquot fluvii in illo tractu versus *Cracoviam* transmeantes, exundatione sua Suecis obicem sint posituri) jam erat in armis, intentissimus ad id, quonam se Suecus convertere velit, & cognito eo, Suecum Cracoviam versus necessario ire debere, cui passum per *Vistulam Lubomirski* cum *Czarnecio* prohibituros se promiserant, viritim insurgentes non solum Nobiles, verum etiam rustici, quasi Delphico Oraculo de victoria obtinenda certiores fuissent redditi, summa cum alacritate contendunt versus Civitatem *Tarnow* dictam, ibique edocti Suecos paulo inferius processisse, confestim illos insequuntur cum octo millibus hominum. *Lubomirski* vero cum *Czarnecio*, jam interea trajecta Vistula pervenerant ad *Sendomiriam*,

riam, id maxime in votis habentes, ut ea expugnata, tormentis, & alio bellico apparatu, nec minus Commeatu (quibus illi destituebantur, Sueci autem illuc ex omnibus adjacentibus Castellis tormenta, & omnem Commeatum ex diversis locis comportaverant) potiri possint. Cum autem Suecus ipse quoque a *Jaroslavia*, & postmodum a *Lezaysko* similiter versus *Sendomiriam* contenderet, cœpit illum illa submontana tumultuaria Polonorum manus ex sylvis infestare, volens eundem retardare: quo facilius Rex *Casimirus* cum universo robore suo supervenire posset. Sed Suecus alacriter in illos irruens cæsis circiter quatuor millibus, reliquos dissipavit, & præstita sibi ab alia parte omnimoda securitate, recta contendit *Sendomiriam* versus, quæ jam impetebatur a *Lubomirscio*, & *Czarnecio*. Perveniens Rex Sueciæ ad Vistulam, e Regione Arcis *Sendomiriensis*, non mediocriter suos, qui erant intus, adventu suo recreavit: mox pontem super scaphis (sive navibus onerariis ad instar Triremium) construere satagit; sed quia nec poterat habere sufficientes, siquidem valde late Vistula sese diffuderat, nec anchoræ jactæ in aquam fundum attingere poterant, profunditate fluvii superante remulcos, quibus alligantur anchoræ, nequaquam potuit id in effectum deducere.

Hæc Poloni prospicientes, ex altera ripa *Sendomiriam* oppugnantes, ac proinde videntes

illum jam nulla ratione posse superare Vistulam, scientes præterea trans alterum fluvium dictum *San*, a *Leopoli* Regem *Casimirum* affuturum, a *Lublino* vero adventare validum Exercitum Lithvanicum, cœperunt lentius agere in oppugnatione *Sendomiriæ*, sperantes futurum, Suecum utpote integræ hyemis continuis laboribus, & maxime Vere appetente, molestia viarum enervatum, commeatuque eo in loco destitutum, inter duos fluvios autem, *Vistulam* nimirum, & *Sanum*, tanquam inter duos muros clausum, intra paucos dies ipsa rerum penuria interiturum.

Sed invenit Rex Sueciæ ex his difficultatibus sese explicandi modum: primum enim silentio noctis, submisit aliquot naves ad Arcem *Sendomiriensem* ipsi ferme ripæ fluvii adjacentem, ideoque ex illa parte nullis Polonorum excubiis custoditam, quod ipse fluvius accessum hosti prohiberet; demandans ut summo silentio assumpto secum commeatu, quantum navibus transportari posset, egrederentur; Arci vero aliquot in locis supponerent pulverem nitratum; quod etiam factum, Polonis nihil animadvertentibus. Die redeunte, dum nullum in Arce exaudiunt strepitum accedunt Poloni propius versus Portam, quam inveniunt patentem; tum demum cognoverunt Suecos aufugisse. Itaque nil adversi metuentes, veniunt intro, diripiunt ea quæ secum asportare non po-

potuerunt Sueci, imprimis legumina, quæ eo in tempore maxime erant in precio, & omnibus anteponebantur spoliis. Dum certatim concurrunt Poloni ad arcem, incenditur pulvis, & cum maximo fragore illam diruit: quo in casu circiter 2000. Polonorum periere.

Hæc dum aguntur, alia iterum Sueco oboritur difficultas; nimirum, quod eo die aliquot millia Lithvanorum appulerint ex altera parte fluvii *San*, Castraque in conspectu Suecorum posuerint; Poloni his visis (in propinquo enim hæc erant) mœrorem, quo repleti erant ex sociis in arce amissis (quorum gemitus inter rudera, ad quartam usque diem exaudiebatur; aliorum vero corpora membris mutilata, & per campum disjecta passim inveniebantur,) jam deponunt, interim Regem Sueciæ, cum toto suo Exercitu pro certo in horas expectando. Et quia ipsi etiam videlicet *Lubomirski* cum *Czarnecio* eo loco diutius subsistere ob defectum commeatus minime potuerunt, quod etiam, & supervacaneum reputabatur, quandoquidem manifestum fuit Suecos nullo modo Vistulam superare posse, inde recesserunt. Postea *Lubomirski* cum *Czarnecio* ipsi in personis, trajiciendo Vistulam super cymbis, accesserunt Lithvanos, illosque de omnibus circumstantiis actis, & agendis informarunt, monueruntque, ut passum illum prohiberent Suecis; quod si mascule præstiterint, illos ibi pro certo se-

ſepulchrum habituros. Atque in hunc modum rebus ordinatis, regreſſi ſunt ad ſuos milites; cumque ſcirent aliquot millia Suecorum Cracoviam verſus tendere, ex hac parte Viſtulæ, ubi & illi cum Caſtris erant conſtituti, ad illos profligandos properabant. Jamque Sueci Varſavia pervenerant ad Civitatem dictam *Warka*, ubi neſcitur quibus indiciis cognoverunt, in propinquo eſſe Exercitum Polonicum, & eo intellecto ſtatim regredi cœperunt; ut autem Polonis ponerent impedimentum, quominus ſe ſubſequi celeriter poſſent, pontem ultra Civitatem ſuper fluvio *Piltza* ſtratum disjecerunt, ibique duas cohortes pro excubiis collocarunt, ipſi interim lente regrediebantur.

Non multo poſt adveniunt illuc Poloni, inventoque disjecto ponte vehementer contriſtati, de illo reparando ſubito conſilia ineunt: tam *Czarnetzki* miſſis aliquot militibus ad diverſa loca penes fluvium, ut quærerent commodiorem locum, ſi forte alicubi nudo ſuperare poſſent illum, conquieſcere ſuos aliquantulum juſſit. Nec mora, recurrentes aliqui nunciant, ſe non procul ab eo loco inveniſſe tranſitum, ubi late quidem ſeſe diffundit fluvius; ſed ab utraque ripa non ſit profundus, tantum in meditullio; ibique non late natandum eſſe; jamque unum atque alterum tranataſſe ſine periculo, & regreſſum eſſe.

His

His auditis *Czarnetzki*, *Domini Fratres*, inquit, *quid ſumus de conſtruendo ponte ſolliciti, relinquamus hoc opus molitoribus; nos autem militari modo ne difficultemur fluvium hunc ingredi, cum certa ſuperationis ejusdem, ſine periculo, ſpe: Majores ego quondam, cum tyrocinia agerem in Moſcovia, ſuperabam fluvios. Hic quoque futurus ſum vobis Dux, prout in arido ita, & in aqua; cui immortalis gloria, cui incolumitas Regis, cui ſalus Patriæ cordi eſt, me ſequatur!* His dictis atque fimbriis veſtium ſublevatis, & cingulo bene conſtrictis ingreditur aquam; ſequitur illum tota multitudo, etiam cum haſtis, tranatarûntque feliciter fluvium, unico tantum ſubmerſo milite. Quia vero ad eludendos Suecos, reliquerant pari numero, prout illi fuerunt, h. e. duas Cohortes penes pontem, tum Sueci in excubiis collocati, videntes Exercitum receſſiſſe, prout putarunt, ad Quartiria; illi contemptis iis, quos ante ſe cernebant, quod interfluente fluvio nocere ſibi non poſſint quicquam, equis deſcenderunt, aliqui eorum decubuerunt, aliqui comederunt uno, & altero ad excubias relicto.

Interim Poloni ex improviſo, a Civitate, unde nihil metuebant, irruunt in ipſos, atque tanquam indagine clauſos, cædunt omnes ad internecionem, ita, ut ne unicus quidem ſupereſſet, qui nuncium cladis ſuo Generali adferre poſſet. Aſſumptisque illorum vexillis,

 ali-

aliqui vero etiam vestibus cæsorum induti, subsequuntur eos, qui præcesserant Suecos, quos illi ex longiquo cernentes, atque suos esse rati lentius procedere cœperunt. Interim Poloni post illos propius accedentes, beneficio autem cujusdam sylvæ, penes quam Sueci procedebant, adumbrati, subito resonantibus tubis, & tymbanis, impetum in illos faciunt: primi omnium tres Cohortes hastatorum, disruptis illorum Ordinibus, cœteris viam patefaciunt; instituitur conflictus. Sed Sueci inopinato illo casu consternati, majori ex parte cæduntur, reliqui capiuntur, ita ut pauci admodum ex antecessoriis cohortibus elabi, & Varsaviam confugere potuerint. Inter Suecos inventi sunt Legati Principis Georgii *Rakocii*, nempe *Franciscus Sebesi*, *Nicolaus Jakab - Falvi*, & tertius *Kosakowski*, natione quidem Polonus, sed jam Transylvaniæ incorporatus, qui ex vestibus agniti, quod sint Hungari, capti incolumes, ob respectum autem Principis vivi conservati; ad Regem *Casimirum* una cum captivis Suecis, Leopolim remissi: qui tandem ad instantiam ejusdem Principis, libere dimissi.

Rex vero Sueciæ in illis angustiis relictus, videns Lithvanos ad hostem non esse attentos, sed erectis duabus munitionibus, illucque attractis ternis tormentis, ac impositis peditibus, atque totum robur suum in illis collocando, plus justo esse securos; atque totum ferme equi-

equitatum primo mane excurrere pabulatum, & nonnisi circa vesperam redire, putans hoc sibi salutem allaturum, si illa fortalitia, sive munitiones obtinerentur, alloquitur milites suos hoc modo:

In quanto versemur discrimine rerum, non est cur vobis, o milites stremuissimi, exponam, siquidem res est oculis exposita; commeatus defecit nos; a tergo sylvæ ad aliquot milliaria sese extendentes, in quibus præter ligna, & arenam reperitur nihil; a sinistra parte fluvius impenetrabilis, a dextra alter. Hic quidem superatu facilior, sed obicem ponunt illi aliquot pedites, pro præsidio huic munitioni impositi. Hic vero quanto longiorem egerimus moram, tanto majus nobis accelerabimus periculum; hostes namque in dies accumulantur, nostræ autem atteruntur vires, & verendum, ne quod præstare non potuit hostilis gladius, præstet hoc infestissimus omnium mortalium inimicus, Fames; & ad extremum: ne nos cunctatio deducat ad interitum. Unica, o Milites, in Dei Protectione salus, & Vestris victricibus dextris est posita. Deum nobis Propitium fore, toto credo corde: Vos etiam præstituros id, quo summopere opus est, minime despero. Ex illis Fortalitiis disjiciendi sunt defensores; fortalitiaque occupanda; sic nobis evadendum de præsenti periculo; illac aperitur via. Revocate solum vobis in memoriam, vos multo magis ardua sæpius præstitisse; sic & hoc vobis non

S 4 *erit*

erit impossibile. Qui autem hocce præstiterint, præmia a me expectent singuli singularia. Si aliqui ignobili loco nati, nobile hoc subiverint facinus, nobilitate exornabuntur. Si vero Nobiles fuerint, aliis donis cohonestabuntur. Agite! tentate! hoc si vos, prout spero, præstiteritis, ego reliquum salvandi vos in me recipio onus.

Tum aliqui militum: *Ecquid Rex Augustissime longa opus est apud nos Oratione? impera solummodo, & experieris, jussa Tua apud nos ipsa vita esse potiora.* Tum Rex: *Tale ego a vobis, o Milites! expecto semper responsum; spero autem votis meis etiam alacritatem vestram responsuram. Conscendite hasce naves, qui sunt Vestrum audacissimi; qui vero navigationis periti, remis contendite, & clavum dirigite, atque ad hæc fortalitia properate. Ego interim globos ex tormentis in turmas hostium explodi jubebo.* Et mox adhibita præparatione jussa exequentes conscendunt naves, obvertunt proram ad hostem, quæ omnes in se jactos excipit globos, dum propius accedunt, jam non amplius defensores fortalitiorum nocent; Sed potius illi qui in navibus, quoscunque conspiciunt, deturbant; explosione interim tormentorum ex Castris Suecorum, accurrentibus ad defendenda fortalitia, magnus incutitur terror. Egrediuntur de navibus in terram Sueci, pugnant fortissime, utpote ii, quibus non gloriæ solum, sed & salutis acquirendæ erat propositus scopus,

Nec

Nec mora: dissipantur ex fortalitiis Lithvani, succedunt Sueci; quibus occupatis, tormenta etiam quæ ibi reperta, contra referta Lithvanorum ad defendenda iterum fortalitia concurrentium agmina, convertuntur. Ex Castris etiam indesinenter explodendo tormenta, omnem succurrendi illis eripiunt facultatem. Naves vero regressæ plures adportant: donec Lithvani hoc insperato malo perculsi, Castra etiam reliquerunt; tum demum trajectis equitibus, curribus vero, & aliis omnibus impedimentis impositis navibus, ipse cum equitatu terra, illi vero aqua, tali procedendo passu, ut intra horam conjuugi possent, quoties necessum foret, Varsaviam usque Exercitum suum deducit incolumem. Illuc perveniens permutato milite, scilicet ægris omnibus, vulneratis, simulque fessis (nec non Matronis, quæ multæ fuerunt in castris) relictis Varsaviæ, in locum autem illorum recentibus assumptis, ulterius contendit, subsequi volens *Czarnecium*, qui in majorem Poloniam summa celeritate excurrens, atque incolas locorum illorum ad fidelitatem Regi *Casimiro* debitam revocans, simul ad latus Regium convocans, nullibi Suecos expectavit; sed modo in hanc modo in alteram partem deflectens, omnem confligendi secum evitavit occasionem. Quod videns Rex Sueciæ militi suo aliquam quietem concessit. Audiens autem Principem Brandeburgicum a Polonis sollicitari

ad

ad defectionem a Sueco, & omnino illum jam magna ex parte nutare, intermissis aliis intentionibus, in Prussiam se contulit, ad confirmandum in confœderatione nuper inita Principem; quod ipsi optime successit. Nam non tantum dictum Principem confirmavit, verum etiam undecim millia militum ab illo reipsa obtinuit.

Grondskii Legatio

Hæc dum agebantur ablegatus a Rege Sueciæ ad Cosaccos, perveniens ad *Czehryn*, ibidem commissa fidei suæ exponit: quibus exauditis Cosacci, vitio vertebant Regi, quod nimium confideret militibus Polonicis, quodque recesserit a Cracovia in Prussiam priusquam statum suum per omnia stabilivisset. Cum autem per exploratores suos intellexissent, qualiter a *Jaroslavia* retractus fuisset versus majorem Poloniam, non suaserunt ei per eandem, qua ad se venerat, redire viam, (idque tanto magis, quia eo ipso die, quo ille *Czehrynum* pervenerat, vesperi, Legatos Regis *Casimiri*, quorum unus erat *Aysza*, alter *Redgowski*, ad se missos, ut pertentarent animos Cosaccorum, si forte reconciliari Regno volent, non sine contumelia dimiserunt, nullo in scriptis dato responso, sed oretenus exprobrando fraudem Polonorum, quod eo ipso tempore, quando Legatus Regis *Luborvitzki* succursum aliquem a Cosaccis sollicitabat, Tataros contra se advocaverint. Ideoque jussi sunt confestim recedere, quod amplius nihil negotii habere velint cum Rege. Quia vero isti Legati una cum *Grondzkio* aliquot diebus itinerabantur, & de ipso omnia sciverunt, verendum erat, ne ipsi redeunti insidias struerent; itaque direxerunt illum per Moldaviam (quo aliquot tantum ante adventum ipsius ad se diebus expediverant Patrem *Danielem*, ejusdem Regis ad se Ablegatum) reçommendando eundem per Litteras Principi Regni illius *Stephano Gorgica*, ut prospiciens illi de omni commoditate, transmittat ad Principem *Rakocium*; hunc quoque per Litteras suas amicabiliter requirendo, ut, tum Patrem *Danielem*, tum *Samuelem Grondzki* curet secure deduci Cracoviam, ad *Wirtzium* Regis Sueciæ Commendantem. Adhibita itaque celeritate *Grondszki*, dictum Patrem Danielem assecutus est *Jassini* in Moldavia, & ibi conjuncti pervenerunt ad Principem *Rakocium* Albam Juliam 10. Maji. 1656. Sed quia Princeps *Rakocius* optime scivit, quibus rerum vicissitudinibus Rex Sueciæ fuerit intricatus, & quam peregre regressus: præterea quod omnes viæ ab Hungaria ita fuerint obsessæ a Polonis, ut Legatos Suecicos Cracoviam secure expedire nequaquam posset, illos apud se aliquantulum detinuit. Cum autem in dies pejor fama de successibus Regis Sueciæ adferretur, Pater *Daniel* regressus est usque in Moscoviam, & inde tandem Anno sequenti ad Regem, *Grondz-*

Anno 1656

Grondzki autem remansit cum *Rakocio*, invigilando in commodam redeundi domum occasionem.

Rege Sueciæ partim in majori Polonia, partim in Prussia commorante, Rex Poloniæ *Casimirus*, congregato ingenti Exercitu, qui efficiebat centum millia armatorum, præter Tataros, qui cum omnibus myriadibus suis in succursum Regis Poloniæ venerant, promovit Castra ad *Varsaviam*, utpote Metropolim Regni (ad quam defendendam præter alios ibi jam dudum collocatos Officiales, *Cracovia* adductus est *Wittembergius*, Vir in defensione Fortalitiorum expertissimus, & rebus heroice gestis celeberrimus) illamque arctissima obsidione cinxit.

Legatio ad Principem Rákótzi

Eodem tempore idem Rex *Casimirus* ex consensu totius Regni, ablegavit ad Principem *Rakocium* solennes Legatos, nimirum Reverendum *Prazmowski* (tunc quidem Referendarium Regni, qui successu temporis evectus est ad Archiepiscopatum Gnesnensem) & *Gabrielem Silnitzki*, qui pervenerunt ad Principem tunc Albæ Juliæ degentem die 15. Maji, per quos postulabat a Principe, ut vel ipse cum Exercitu suo in succursum Regni veniat, contra hostes, a quibus Poloni infestabantur: nimirum contra Suecos Moscos & Cosaccos; vel saltem validum aliquem Exercitum mittat; vel denique, si neutrum horum facere possit, aliquam notabilem pecuniæ summam velit mutuam dare Regno Poloniæ, in qua vectigalis loco, in instanti offerebant Principi *tredecim Civitates Scepusienses*; præterea promittebant eundem Principem, durante adhuc vita *Casimiri*, in Regem suum eligere; post Fata vero *Casimiri*, sine ulla disquisitione in Regnum assumere, atque coronare. Quod si contingeret Principem *Georgium Rakocium* e vivis excedere prius, quam *Casimirum*, id totum Filio etiam suo *Francisco* offerebatur: Eo tamen addito, ut amplecteretur Religionem Romano-Catholicam. Atque quo securiorem reddere possent in suis promissis Poloni Principem *Rakocium*, Filium ipsius Rex cum Regina in proprium Filium ex annuentia universi Regni adoptare voluerunt. Cumque in hocce tractatu aliqua præliminaria ex utraque parte instituta fuissent, alter Legatorum nempe *Gabriel Silnitzki*, regressus est ad Regem, quid constitutum fuerit, relaturus: Primarius autem Legatus *R. Prazmowski* remansit apud Principem, expectans responsum.

Tredecim Civitates Scepusienses pignori offeruntur Rakótzio

Varsavia a Casimiro

Interim Varsavia a Rege *Casimiro* acri oppugnatione fatigabatur. Sed quia non sola tantum intra mœnia Civitas præsidio Suecico erat munita, verum etiam aliquot Curiæ Magnatum, quæ ad instar Castellorum in suburbiis antiquitus fuerant constructæ, in quibus singulis expugnandis multum difficultatis subeundum erat, ideo oppugnatio illius protracta est

est per 20. septimanas, cum tamen tam valido Rex *Casimirus* instructus fuisset Exercitu, militibus suis oppugnationem valde strenue subeuntibus; jam omnia illa Castella, (Suecis defendere illa amplius non valentibus, ideoque ex uno ad aliud, & tandem in Civitatem sese recipientibus) obtinuerat; sola tantum Civitas expugnanda restabat: cujus etiam ultima mœnia jam a Polonis partim malleis quatiebantur, partim suffodiebantur. Quibus rebus nihilominus *Vittembergius* minime animo fractus, pertinacissime strenuam valde, & continuam oppugnationem sustinebat. Nec ullos tractatus, ad quos nomine Regis Poloniæ invitabatur, acceptare voluit; pro ultimo reclinatorio adhuc sibi reservans, (in quantum totam Civitatem tueri non posset) *Arcem* & *Templum*, optime variis modis utrinque munitum; quorum defensionem tanto expeditiorem sibi pollicebatur, quod jam omnes præsidiarios, hactenus ad diversa loca divisos, ad hæc duo propugnacula contrahere ipsi restabat. Cæteri tamen Officiales Suecici, res plane desperatas cernentes, & de Rege suo quid secum agatur, nihil scientes, non alieni fuerunt ab honestis Tractatibus. Sed *Vittembergius* nec mentionem quidem eorum coram se fieri voluit. Tandem præcipuæ Matronæ, quæ ibi remanserant, imprimis vero Conjux Generalis *Duglassii* accedentes Principem *Benedictum Oxenstirn* inscio *Vittembergio*, cum maximo ejulatu ro-

rogarunt, ut non gerendo morem proposito *Vittembergii*, qui cum & senex sit, nec Uxorem, nec liberos ullos habeat, nihil curet, etiam si illi Varsaviæ occumbendum foret, dummodo, utut extremo omnium discrimine, gloriam nomino suo quærere possit; tangatur compassione illarum, atque dum adhuc Poloni offerunt Tractatum, illum non respuat; cum certissimum sit, si, contingeret Polonos vi irrumpere Civitatem, illos nec ætati, nec sexui parsuros; sed sanguinem suorum sociorum in oppugnatione peremptorum, sine ulla misericordia vindicaturos. Quapropter *Oxenstirnius* cum aliis minoribus Officialibus communicat consilia, quid sit faciendum? Placuit omnibus, tutiora potius consilia esse sequenda, ac proinde non rejiciendos tractatus. Cum tamen persuasum haberent *Vittembergium* super eo Consilio nequaquam consensurum, constitutum est, ut invitaretur ad *Oxenstirnium* (ille enim erat dignitate prior) quo postquam venit, conclusionem suam declararunt illi. Qui dum cum maxima indignatione contradicere vellet, responsum est illi: Ipsum hactenus egregie perfunctum Officio suo, nunc tandem *Oxenstirnium* auctoritatem suam velle usurpare, nec permissurum Commendæ ipsius militem; sed quod visum est omnibus, excepto solo *Vittembergio*, id exequuturum; & sic illo quasi arresto constricto, Polonis singulis ferme horis, præcipue post singulos assultus,

tus, Tractatus offerentibus, cum maxima omnium malorum comminatione, si Civitas vi capta fuerit, nunciarunt, se non alienos ab honestis Tractatibus; de quibus postquam nonnihil parte ab utraque disputatum est, tandem compactum his conditionibus fuit:

Paciscuntur Sueci cum Polonis Varsaviæ

Sueci omnes captivos quos haberent, quacunque occasione acquisitos, relinquerent incolumes (inter quos præcipuus fuit *Stanislavvski* ad *Golomb* captus) *commeatum nulla ratione dissiparent; quin imo, & prædam omnem in Regno Poloniæ comparatam restituerent. Exeundo autem nullum malum dolum adhiberent; præcipue vero pulveres ne alicubi recondere ad excitandum incendium præsumerent. Qui autem nunc dimittuntur, eorum nullus intra decursum trium Mensium contra Regem Poloniæ arma sumat.*

Pro parte vero Suecorum: *Omnes Sueci tum Officiales, tum gregarii milites, cujuscunque Ordinis, nec minus omnes matronæ, cum omnibus bonis suis ex Suecia allatis libere dimittantur, & milites quidem cum expansis vexillis, tympanis resonantibus, tubis clangentibus, & funiculis sclopetorum ardentibus. Matronæ autem, tum & Officiales, quibus non essent equi, milites item saucii, aut ægroti cum suis sarcinis & bonis, navibus Torunium usque deducantur: & his omnibus victualia super iisdem navibus sufficienter subministrentur.* Et hæc quidem omnia, a parte Polonorum, Juramento

to Regis, Senatorum, qui ibi aderant, & ex Palatinatibus aliquorum Officialium; a parte vero Suecorum, *Oxenstiernii*, *Vittembergii*, item Consiliarii Bellici, cujus nomen memoria excidit, *Petri Hamerschild* Generalis Equitum, & aliorum Capitaneorum & *Roth-magistrorum*, confirmata sunt. Sed postmodum cum ad salutandum Regem, & Senatores Regni, jam tradita in potestatem Polonorum Civitate, dicti Officiales accesserunt, in parte sunt violata. Quatuor namque primarii superius recensiti sunt detenti, rejecta causa ejus rei in milites, omnes in acie paratos irruere vi in Suecos, nisi detinerentur prædicti Officiales; cœteri nihilominus sunt dimissi.

Casimirus iterum detrectat auxilia Rakótzii

Obtenta hoc modo Rex Poloniæ de manibus Suecorum *Varsavia*, superflua auxilia Principis *Rakocii* censendo, spe enim magna lactabatur, se bello Suecico ope Tatarorum posse finem imponere, Legato suo apud Principem commoranti Reverendo *Prazmovio*, per Collegam ejus *Gabrielem Sibnitzki* nunciavit, ut rediret, quandoquidem in submittendis sibi auxiliis tergiversaretur *Rakocius*.

Cosacci Rakotzium interpellant

Ex altera vero parte Cosacci per Legatos suos sine intermissione sollicitant Principem *Rakocium*, ut secum potius contra Polonos pro Suecis conjungeret arma.

Eodem tempore a Suecis etiam supervenientes Legati *Henricus Cœlestinus de Strenbach*, &

& *Gotthardus Vellinus* similiter omni conatu sollicitabant eundem Principem ad societatem armorum. Sed Princeps *Rakocius* dubius animo quid facto opus sit, de die in diem differebat expeditionem Legatis utriusque gentis, dandam; donec vidisset qualiter sibi inchoati cum Polonis successissent Tractatus. Sed accepto illo nuncio a Rege per *Silnicium* declarato, nimium illo offensus, cœpit alacrius cum Suecis & Cosaccis tractare. Regresso itaque ad Regem Reverendo *Prazmovio*, rursus remansit apud Principem *Silnitzki*, quasi ex longo itinere aliquantulum conquieturus; re autem vera observaturus, qualiter cum Suecis & Cosaccis procedere vellet *Rakocius*.

cum Suecis, & Cosaccis tractat

Postquam Poloni, prout expositum est, recepissent *Varsaviam*, magna Pars Palatinatuum, tædio longæ moræ ibidem insumptæ, non sperantes hoc Anno aliquid magni gerendum fore; sed potius cœteras quoque Civitates, ac Fortalitia, quæ præsidiis Suecicis tenebantur, simili interveniente concordia, in manus Regis deventuras, domum redierunt. De Rege enim Sueciæ, quod tam longo temporis spatio nihil auxilii dederit obsessis, variæ inter Polonos erant Sententiæ, & varii adferebantur rumores. Alii dicebant illum ex desperatione in morbum incidisse, & eodem extinctum esse: alii illum cum paucis incognite comparandorum auxiliorum gratia, in Sueciam regressum esse: alii a Principe

cipe *Brandeburgico* in aliqua Civitate Prussiæ arresto constrictum.

Sed hæc omnia longe aliter se habuisse brevis docuit dies. Interim Rex Castra sua relinquentibus quam plurimis, ex illis Officialibus Suecicis tres remisit *Zamoscium*; *Oxensternium* tantum, quasi esset nimium æger, penes se detinuit.

Interjectis paucis post captam *Varsaviam* diebus advolat fama, Regem Sueciæ cum valido Exercitu adventare: ac proinde illi etiam, qui ex Castris dimissi erant Nobiles, revocantur, & aliqui illorum regressi. Rex vero Sueciæ confirmatis noviter cum Principe *Brandeburgico* pactis, ac proinde vigore eorundem obtentis ab illo duodecim millibus armatorum, inscius adhuc quid actum sit *Varsaviæ*, ad suppetias ipsi dandas, quantum fieri potuit, properat; cumque appulisset prope *Nowodwor*, aliqui ex Castris ipsius pabulatores vident trans-Vistulam aliquas Cohortes Suecicis simillimas, in campo dispositas, nunciant id subito Regi suo, qui confestim jubet aliquos quærere modum tranatandi *Vistulam*, promittens notabile prœmium ei qui rite cognoverit, quid rei sit? itaque duo arrepto aliquo lintre, sub Vesperam trajiciunt *Vistulam*, & silentio noctis furtim ad illum locum ubi viderant substitisse Cohortes, deveniunt, ingressique inter equos ad pascua dimissos, ibidemque auscultando, audiunt sua lin-

Rex Carolus majori cum apparatu venit

 gua

gua loquentes, accedendo propius interrogant cujusnam cohortis fuerint, & ex responso cognoscentes illas esse, quæ fuerant *Varsaviæ* relictæ; properant ad Officiales, illisque dicunt, se missos esse a Rege cognitum, qualesnam essent Cohortes istæ, simulque monent, ut secum mittant idoneum aliquem, qui de omnibus rebus sciret relationem facere Regi. Mox conscensa navicula redeunt ad Castra, atque de omnibus rebus Regem edocent: qui indoluit quidem rem ita evenisse, nihilominus tamen iter, ac propositum suum continuare decrevit. Cognito vero inter cœtera eo, quod juramento sint obstricti, non debere se bellare contra Regem Poloniæ per tres menses, jussit illos quam citissime ire *Torunium*, ibique manere, alios vero quos ibi reliquerat, ad se accersivit.

Dum in Castris Polonicis confirmatur fama de adventu Suecorum, mittit *Casimirus* Legatum Regis Galliæ, dictum *Devancour*, ut Regem Suecorum ad pacificationem induceret, qui postquam ad illum pervenisset, exceptus quidem est humanissime; nihilominus tamen ægre id ferebat Rex Suecorum, quod cum ad Regem Poloniæ primo statim vere venisset, ad se tamen venire neglexisset: sed multo magis illum urebat, quod contra fidem datam Officiales illius detinuissent Poloni. Omnia tamen dissimulans dixit: se deliberaturum, quid sit faciendum, interim summo cum honore illum detinuit, donec milites illi, quos expectabat *Thorunio* ad se venissent. Postea cœpit Castra promovere. Demum urgente Legato Gallico resolutionem, responsum dedit: *Equidem se ex animo velle, ut secum quoque tam diu commoretur, prout commoratus est cum Rege Casimiro, & se diligenter prospecturum, ne ullius rei defectum patiatur; interim si magis ipsi placet cum Casimiro manere, se reluctantem minime detinere velle.* Quod vero Tractatus aliquos attinet, *quomodo*, inquit, *cum tam perfida gente, quæ jam aliquoties datam fidem violavit, prout nunc etiam ipse Rex fecit, detentis hominibus meis? & qua securitate aliquos inirem Tractatus? Vindicandum mihi prius est perjurium contra Deum, & contra me commissum; ita postea fieri potest me ad Tractatum accessurum.* Cum his dimissus Legatus Gallicus abiit ad Polonos, & exposuit coram iis omnia, prout erant in re.

Rex autem Sueciæ quantum fieri potuit, maturabat adventum. Poloni quoque audita relatione Legati Gal. statim cœperunt Exercitum suum trajicere ultra Vistulam, ituri in occursum Suecis; sed necdum pontem transiverant omnes, Rex Sueciæ Castra admovens, fixit eadem ex opposito armamentarii *Varsaviensis*, (quod ipsi magno damno cessit) & mox abjecta cunctatione pugnatur de loco Castrorum. Sed primas velitationes nocte dirimente, reducunt utrique copias suas in Castra.

Interim Tatari more suo solito turmas suas circumducunt. Sequenti die renovatur pugna primo mane aperto Marte, Tatari autem a parte posteriori invadunt Suecos; sed invenerunt illos ibi quoque paratos, qui proxime admissi, primum quidem tormentorum minornm globis creberrime emissis dissipati, postea ab insequentibus se Suecis, & viam per quam venerant, præoccupantibus, in paludes uliginosas conjecti; ubi cum equis non aliter, ac si aviculæ super visco hærentes, plurimi interimebantur, & paucissimi, atque illi etiam non sine vulnere inde evaserunt: maximamque vel illis ipsis fatentibus ibi passi sunt stragem. Sed ex altera parte Sueci quoque non minus senserunt damnum. Regina namque Poloniæ ex Arce egressa versus Armamentarium, ut inde pugnantem utrumque Exercitum trans Vistulam contemplaretur: viso eo, quod ex quodam loco Armamentario proxime adjacente, possint optime ex tormentis peti agmina Suecorum Vistulæ proximiora: mox propriis ex carpento suo solutis equis, jubet illuc adtrahi unum, & alterum tormentorum, ac dirigi contra Suecos, atque experimento capto hac ratione multum damni illis inferri, plura adhuc curat admoveri, ex quibus continuo illos infestando, sola plus damni intulit Suecis, quam universus Exercitus Polonorum. Quod malum subito avertere a se nequiverunt Sueci; quia ex

ex omnibus partibus acerrime impetebantur, neque locus illis, quo se subducere possent, concedebatur. Interim pugnam nocte interrumpente, aggere ab illo loco sese muniverunt, & securos se ab illo impetu reddiderunt. Sequenti die iterum instauratur prælium, pugnatur ex utraque parte strenue, multis utrinque cadentibus, loco tamen minime cedentibus: ita ut difficile fuerit judicare, utri partium Mars faverit magis: tandem nox dirimit huncce Martialem ludum, redeunt utrique ad Castra.

Suecus vero noctu ad sylvam quandam sibi ad sinistram partem adjacentem, partem peditatus introduxit. Rursus die adveniente, primo statim mane utraque pars parat se ad pugnam; Exercitus educuntur in campum: instituuntur velitationes. Interim Rex Poloniæ cum suis Consiliariis bellicis consultat, quanam nova arte sibi sit cum Suecis utendum? Siquidem jam biduo in cassum sit laboratum. Quem Actum Rex Sueciæ intentissime per tubum Opticum observabat. Ecce autem non multo post, adducitur ei captivus, quem cernens Rex nimium conturbatum, erigit dictis suis, non esse sibi metuendum, cum non in manus ethnici alicujus inciderit: ideoque debere se simile tractamentum expectare, quale antehac experti sunt captivi alii, dummodo dicat sibi ingenue, quid fuerit conclusum in illa consultatione; quod si detrectaverit, jam durius cum illo agendum

 dum

dum esse: quod tamen non Regi, sed temporis occasioni, quæ requirit, ut Hostium cognoscantur intentiones, & suæ imputet contumaciæ. Tum ille non multum cunctatus, retulit: Conclusum esse, ut totis viribus impetum faciant in dextram alam Suecorum. Dicit Rex: Sufficit mihi hoc scire. Quia vero in illa ala collocati erant soli *Brandeburgici* milites, statim cœpit suspicari, alterutrum horum duorum subesse: vel Polonos habere aliquam tacitam cum Prussis correspondentiam: vel saltem persuasos esse, eos, utpote noviter factos socios, non ita fortiter resistere paratos; quibus perfractis facilius & ipsos Suecos dissipare possint. Præcavendo itaque utrique malo, subito permutat phalangem: deducit ex eo loco Prussos, & substituit suos; in altera ala vice versa faciens. Ne vero illud a Polonis animadverteretur, educit ad velitationem plures. Dumque opus illud finivisset, ipse propter animandum militem suum ibidem remansit. Interim Poloni præcipue hastatorum Cohortes, tum Polonorum, tum Lithvanorum circiter mille cum ducentis, faciunt vehementissimum impetum in illam alam, ubi sperabant fore Prussos, invenerunt autem Suecos, sed & in illis magnam ediderunt cladem, & prostratis multis in prima & altera linea collocatis, provolant usque ad tertium Suecorum ordinem: ubi ipse quoque Rex hasta in manum tactus, & nisi Heros aliquis

Acre Prœlium fit inter Polonos, & Suecos

quis Regi proxime astans, Polonum illum recta in Regem ruentem globo trajecisset, equo etiam deturbatus fuisset, fit perturbatio inter Suecos magna; nihilominus quia in locum cæsorum, & dissipatorum, subito substituti sunt alii, & quod ab illis Suecicis peditibus in sylva collocatis valde impetebantur Poloni, (exturbare autem illos non facile poterant, quia equites explicato cursu invadere nequiverunt, pedites autem Polonici in patenti constituti, facillime ab illis, qui arboribus appliciti suos explodebant sclopos, rejiciebantur) iterum retrocedere coacti, & quidem non sine notabili damno. Suecis sumpto animo acerrime instantibus, præterea peditibus illis, & continua ex acie Suecorum explosione, omnia agmina Polonorum summopere perturbantibus. Si tamen (fatente ipso Rege Sueciæ) reliquæ cohortes, & Legiones cum tanta resolutione, prout irruebant Hastati, subsequutæ fuissent, & aliqua Polonorum pars ad sinistram quoque alam directa fuisset, non multum ambigere de victoria potuissent. Sed hoc primo impetu frustrati, & quod plures non haberent hastatos, reliqui remissius cœperunt agere; nihilominus quia multitudine prævalebant Poloni cum Tataris, protracta est pugna æquo Marte usque ultra Meridiem: Tum primum Tatari detestantes valde illam crebram tormentorum explosionem, cœperunt recedere, dicentes: *Licha stara puszka*, hoc

hoc est, mala sunt senilia, sive antiqua sclopeta; & tantum prospiciendo eminus, totum illud periculum voluerunt detrudere in solos Polonos. Et quamvis sollicitarentur a Polonis, ut adhuc impetum facerent in Suecos, subire id minime voluerunt, respondentes, sibi jam defecisse sagittas, cum frameis autem propter illum boatum nil posse nocere Suecis. Quo viso, & audito nonnulli Polonorum, Tataris sese adjungunt, & jam remotiori ab ictu loco prospiciunt, quid alii agant: aliqui vero cernentes, quo res inclinaret, dum Tatari totaliter pugnæ se subducunt, monent Regem tacite, ut quasi aliud agendo saluti suæ tempestive consulat. Cumque Rex & ipse expavefactus cum paucissimis sibi adjunctis, demisso signo prætoriano, ne id animadverterent alii, sese convertisset versus Pontem, mox unus & alter, quamvis non jussi cœperunt subsequi Regem, & consequenter plures, ut jam speciem fugæ repræsentarent. His visis alii, atque alii similiter faciunt, & postmodum cœteri in fugam convertuntur, quos Sueci insequi minime tardarunt: & derelictis quidem illis qui cis Vistulam cum Tataris fugam arripuerunt, atque valida legione circa pontem in omnem casum collocata, expeditiores Sueci, eos qui trans pontem versus Varsaviam contendebant, prosequuti sunt: tamque acriter instabant, ut intrandi in Civitatem, & Arcem, aut ibi commo-

Poloni fugæ se committunt

morandi Polonis non fuerit concessa facultas. Sed qui celeriori insidebat equo, prior esse cupiebat, paucis Regi assistentiam præbentibus. Ultimum agmen fugientium claudebat Senex *Stanislaus Pototzki* Generalis Exercitus Regni; qui & sustinendo nonnihil insequentium Suecorum impetum, Regem ad tutiora deduxit loca. Sueci vero hostibus suis dispulsis, & capta iterum eodem momento Varsavia, in illaque recepto *Benedicto Oxenstiern*; eo, quod sunt consequuti, contenti, non longe ultra suburbia, fugientes sunt subsequuti: cum etiam impossibile sit, ut prægrandes illorum equi Polonorum pernicissimos assequi queant.

Progressus a Varsavia Rex *Casimirus* ad Civitatem *Casimiriam*, desperans de subsidiis a Principe *Rakocio* per Legatos petitis, mittit ad Ducem Moschorum Legatum cum hocce postulato, ut superséderet a bello sibi inferendo, promittens cum Cosaccis ipso mediante honestis conditionibus reconciliationem inire, præterea Filium ipsius post fata sua in Regem electum iri.

Casimirus Moschorum amicitiam quærit

Hæc dum ad Varsaviam sunt acta, quidam eorum, qui ante annum invitabant Principem *Rakocium* ad Coronam Regni, actum hunc nunciando dicto Principi exaravit Litteras de data in *Warka*, quæ inde Claudiopolim usque sexta a data allatæ sunt die: quarum tenor fuit ejusmodi:

Litteræ ad Rakotzium missæ

Celsissime Princeps! Quam sit inconstans fortuna, simul & alea Martis, & quam subito felices mortalium successus adversissimis misceantur rebus, si cui hactenus non est cognovisse datum, nunc hoc reipsa afflictissima nostra experitur Patria. Ecce enim Varsaviam, quam multo cum temporis, & cruoris dispendio ante paucos dies de manibus Suecorum recuperaveramus, nunc iterum post triduanam illamque attrocissimam Marte nobis adverso pugnam, illis eandem jam dereliquimus. Adest itaque tempus ut Illustrissima Celsitudo Vestra more generosæ Feræ, de antiquis egrediens tesquis, atque vires, quas universus Christianorum admiratur Orbis, circumspiciens suas, id quod jam dudum in animo concepit, edere in lucem feliciter, non intermittat. Neque vero differat, nullius namque rei, quam temporis jactura est major. Cæterum, felicissime valeat.

Et hæc quidem Epistola adhuc alterum Regis *Casimiri* Legatum, nempe *Gabrielem Silnitzki* in Aula Principis commorantem, & Actiones Legatorum Regis Sueciæ, & Cosaccorum observantem, reperit: cui tamen Princeps, dissimulans se aliquid novi ex Polonia accepisse, nequaquam id aperuit, expectans quid sit ipse facturus. Interjectis aliquot post allatas illas Litteras diebus, adferunt etiam *Silnicio* Epistolas, unam a Reverendo *Prazmovio*, qua illum simpliciter ab Aula Principis revocat, addens, Regem vitio vertere, quod ibi remanserit, alteram ab Uxore, quam Princeps (per illius enim veredarium allatæ fuerant) retinuit, & sibi perlegi curavit: quæ historice descripsit, quid actum sit Varsaviæ, & quantopere Tatari, non jam prout antehac Amici, sed quasi hostes obvia quæque depopulentur; & qualis desperatio animos omnium incesserit, simulque rogavit summopere, quatenus sepositis publicis, ad procuranda privata quam citissime recurreret.

Quibus *Silnitzki* acceptis, veniens ad Principem, dicit, se diutius morari non posse, siquidem a Collega suo revocetur, simulque valedicit, recommendans semetipsum in Patrocinium Principis quam officiosissime; promittens præterea se rebus Principis in omnibus licitis pro viribus velificaturum.

Rakotzi partibus Suecorum & Cosaccorum accedit

Tum demum Princeps *Rakocius* abrupta mora, utpote in magnis rebus sæpe nociva, alacrius cum Suecis, & Cosaccis in tractatibus dudum inchoatis procedit.

Regressus in Patriam *Silnitzki* omnibus dicit, in auxiliis Principis *Rakocii* nullam esse spem ponendam, potius verendum esse, ne in partes Cosaccorum (a quibus jam dudum sollicitatur) & Suecorum (quorum Legati se adhuc præsente ad Principem appulerant, & prout intelligere potuit, valde hilari vultu sunt excepti) transeat.

Ex

Ex his quidem superius enarratis rebus effectum est, ut Poloni de auxiliis Tatarorum minus, quam hactenus præsumentes, (quanquam aliquoties ex improviso in Partias Suecorum cum *Czarnecio* irruentes, aliquos profligaverint, & captivos non paucos abduxerint) propriis autem viribus diffidentes, idque tanto magis, quod nervo rerum gerendarum destituerentur; ab Imperatore Romanorum, a quo antehac implorare auxilia non neglexerunt, parum subsidii sperantes: Moscorum amicitiæ noviter initæ, & necdum validioribus vinculis confirmatæ, non per omnia fidentes, utpote ex infensissimis inimicis, superficialiter tantum reconciliatis amicis; Cosaccorum autem submissioni (quam fecerunt armis Tatarorum adacti, quod videlicet non audeant posthac contra Regem arma sumere) fidere minime consultum rati: siquidem antehac etiam inconstantiam illorum multoties fuerint experti; & quia novissime ante medium Annum Legati Regis reconciliationem pertentantes, contemptim & plane sine responso a *Chmielnicio* fuerint rejecti, qua de re superius pag. 239. A *Rakocio* vero, ne interruptis Tractatibus ex amico reddatur inimicus, multum sibi metuentes, postquam vidissent res suas non posse feliciter proferri Marte, alia in tuenda Patria utendum rati arte, mittunt Legatum ad Imperatorem Moscorum, confirmando per eundem anteriorem promissionem, nimirum: dummodo abstineat ab hostilitate contra Regnum Poloniæ, Polonos Filium suum post mortem *Casimiri* ad Coronam Regni promoturos, simulque nunciando, se certis, ac indubitatis indiciis intellexisse Principem Transylvaniæ bellum contra Regnum Poloniæ moliri, & omnino in procinctu esse; ideoque instabant, quatenus Imperator Moscorum, ceu jam ad Regnum Poloniæ interveniente memorata oblatione, interessatus, amice requirat prædictum Principem, ut abstineat a suo proposito, Poloniam bello lacessendi.

Poloni solliciti ad Moschos

Alios Legatos mittunt ad Imperatorem Romanorum, rogando, ut ceu Christianitatis Pater, interponat auctoritatem suam apud Principem *Rakocium*, quatenus ille si nullo modo succurrere vicinis suis Polonis velit, saltem addere afflictis afflictionem nolit. Alios mittunt ad Imperatorem Turcarum, per quos intentiones Principis *Rakocii* detegentes (quod videlicet Patriam suam sine ulla justa causa hostiliter invadere velit) instant, quatenus illum, ceu Clientem suum prohibeat ab isto proposito, atque intra domestica pomeria ipsum continere sese efficiat; idque vi Pactorum, quæ tunc inter Polonos, & Turcas intercedebant. Alios Legatos mittunt ad Chanum Tatarorum, ipsumque tanquam confidentissimum Amicum requirunt, ut molimina *Rakocii* omnibus modis dissuadeat, & in quantum cedere rationibus nolit,

Dein Imperatorem Romanum recurrunt

Tandem ad Turcas

Denique ad Tataros, ut Rakotzium impediant

lit, in omnes actiones illius intentus, ea quæ regno Poloniæ viderit nociva, totis conatibus dissipet, atque pro sua amicitia cum omnibus copiis suis contra quosvis hostes Regni Poloniæ venire maturet. Denique dubii qualem ejusmodi remedia sortita sint effectum, mittunt ad Regem Daniæ, concitando illum omnibus modis, ut ille, Rege Sueciæ in Polonia commorante, vindicandi injurias, quas se contra eum habere prætendit, commodam non intermittens occasionem; Regnum ejus infestis armis aggrediatur; promittentes pro certo, si ad tuendam Patriam Suecus recurrens Regno Poloniæ excesserit, se subito illum subecuturos, atque auxilium Regno Daniæ daturos: si vero ita obstinato foret animo, ut nec hac ratione retrahi se patiatur a bello Polonico, Incolas Regni Sueciæ, absente Rege suo, qui secum totum militiæ robur Patria eduxit, nequaquam sufficientes fore ad resistendum Danis, intentiones suas totis viribus promoventibus.

Danos in Suecos concitant

Et hoc quidem contra gravissima Regni Poloniæ mala, felicissime Polonis cessit antidotum, prout patebit inferius. Sed antequam id expositum fuerit, digrediar ad exponendam expeditionem Principis *Rakocii*, contra Poloniæ Regnum susceptum: relinquens de ea censuram æquo Lectori, ut ad Justitiæ libram omnia appendendo, ipse judicet, utrum toties dictus Princeps habuerit justos ac legitimas, ejusmodi contra Polonos processus causas, nec ne?

HISTORIÆ BELLI COSACCO-POLONICI PARS TERTIA.

Non deerunt fortassis, qui me extra circulum proposiri mei divagatum esse sine judicaturi, postquam viderint me narrationi Belli Cosacco - Polonici subnectere expeditionem Magni inter Christianos Principes, Principis *Georgii Rákóczii* Junioris, susceptam contra gentem Polonam Domui suæ semper amicissimam. Verum enim vero, siquidem cum præinsertis, tum paulo post subsequentibus, luce meridiana clarius demonstretur, Principem *Rákócium* nequaquam talia tentaturum, aut aggressurum fuisse, nisi in id a Cosaccis (juratis Polonorum hostibus, integro ferme ante biennio ad hæc Principem stimulantibus) & Suecis (bellum Polonicum jam ferme fastidientibus, atque ea, quæ initio, fortuna sibi nimium favente, obtinuerant, retinere propriis viribus minime valentibus) inductus fuisset; persuasum habeo, me apud æquum Lectorem hucusque facti mei veniam consequuturum, idque tanto facilius, postquam intellexerit, alia etiam motiva, quæ mihi ad id faciendum stimulum addebant. Movebant me frequentes criminatio-

nes complurium, qui ignari, qualiter gestæ fuerint res superioribus annis, in Aulis Senioris, & Junioris Principum *Rákociorum* (mihi autem apprime hæc sunt cognita ex manuscriptis cujusdam boni Viri, qui exactis XVI. Annis in Aulis *Rákociorum*, ante dictam expeditionem, acta suo tempore eorum, præcipue cum Polonis tractata, fideliter connotavit) sed id solum scientes, quod aliquot vicibus missi fuerint Legati ex Polonia modo ad hunc, modo ad alterum *Rákociorum*, & quod unum atque alterum Polonum in aula illorum viderint; quid autem egerint penitus inscii, non dubitant Polonos criminis commissi contra Principem *Rákocium* doli insimulare, quasi illi oblata Principi *Rákocio* ultronea ad Regnum Poloniæ invitatione, eundem sponte, ac deliberato animo in funestum præcipitaverint exitium, & quidem (quod magis mirandum) conjiciendo facinoris illius culpam in homunciones innocuos, & in hisce negotiis nunquam versatos, qui propter aliquas in articulis Fidei Christianæ ab Ecclesia Romana differentias, solum vertere coacti reclinatorium in *Transylvania* sunt nacti; quod tam procul esse a vero, quam terram a cælo comperiet quisque, postquam genuinam negotiorum istorum expositionem legerit; neque vero est, cur me multum in expurganda innocentia horum defatigem; siquidem id egregie peregit Vir magnus in Regno Transylvaniæ *Joan-*

Joannes Bethlen, ejusdem Regni Supremus Cancellarius, aliis etiam dignitatibus Illustris, qui in Historia rerum in Transylvania gestarum fideliter conscripta, Libro Primo, Sectione quinta, in hunc modum refert: „*Princeps* „ *Rákocius* (intelligendus Senior) *de Ottomannica diffidens clementia, Suecorum, aliorumque Principum Christianorum fulcire se nititur confœderatione, expeditusque ad eam tractandam ab eo Michael Mikes, dum Poloniam transire festinat, Uladislai Poloniæ Regis decessu audito, sive (ut asserebat) a plerisque nec infimæ sortis Polonis persuasus, sive neminem qui defuncto Regi succederet Principe Rákocio digniorem sibimet imaginatus, commisso sibi negotio interrupto, ad eum, per quem missus erat, redit. A Joanne Casimiro defuncti Regis Fratre, munerisque ejus competitore, universos Regni status alienos, ipsi vero adeo faventes, ut exoratus verius, quam admissus dici foret, refert: ne itaque Fortunæ amplexus offerenti desit, hortatur. Exhilaratus ille de Principatu, ob furorem Turcarum nonnihil anxius, sublimius honoris fastigium, divinitus sibi destinatum credens, nec in re tanti momenti operæ, aut sumptibus parcendum censet. Franciscus itaque Bethlenius Comes Comitatus Albensis, Supremus Regni Marschalcus, ac Regni Consiliarius cum grandi ad redimenda Magnatum suffragia argenti sum-*

„ *summa Varsaviam ab eo mittitur, qui potiori* „ *pecuniæ parte in cassum profusa, dum exaudi-* „ *ri laborat, lethali Principem Rákócium mor-* „ *bo correptum audit; interrupto itaque labore re-* „ *greditur &c.*" Huc usque sunt verba allegati authoris Historici, ex quibus luce meridiana clarius patet, multis ante temporibus Principes *Rákócios* ad Coronam Regni Poloniæ aspirasse, & quidem accedente favore omnium statuum Regni, quem non tunc temporis tantum sibi coemerant, sed (prout patebit ex relatis inferius) variis cum prædicto Regno tractatuum commerciis, multo ante tempore institutis, comparaverant. Multum itaque injurii sunt vel in ipsum Principem *Rákócium*, qui asserere non erubescunt, illum, ad vocationem eorum, quorum minima in Regno Poloniæ pars, simul, & minima fuit auctoritas, rem tanti momenti aggressum fuisse: quasi Princeps prudentissimus, cui omnis Reipublicæ Polonæ status erat perspectissimus, usque adeo rationis expers fuisset, ut fulcire sese arundine, subsidio scilicet eorum, qui & ipsi maxime fluctuabant, niti voluisset. His itaque omissis manum meam admoveo ad diluendam potius labem intentatam Genti Polonæ, quæ ab omni fraude, & malo dolo semper alienissimo fuit animo: quanto vero erga Principem *Rákócium* ducere-tur affectu, declaravit luculentissime vel eo ipso temporis articulo, quando non solum a so-

ciis, verum ab ipsa insuper fortuna derelictus fuit. Poloni vero rursus ex inimicis facti subito amici, plane propriis manibus illum ex præsentissimo eripuerunt periculo, (qua de re infra) Quod ad veritatis indagationem, & majorem ejus comprobationem, altius repetendam, & eo quo in hocce negotio processum est ordine, exponendam attinet, confido plenissime cognitum iri; nec moleste laturum benevolum Lectorem, si antiquæ fuerit memor gnomæ: *Felix qui potuit rerum cognoscere causas!*

Teste quotidiana rerum experientia, *sæpe casus venit in consilium.* Simile quid evenit Duci *Joanni Radzivilio*, in Magno Ducatu Lithvaniæ primatum tenenti; qui interveniente fatali casu prioris conjugis suæ, ex Illustri Porociorum familia, de alia in locum demortuæ sibi conquirenda sollicitus, ex consilio quorundam amicorum circa Annum 1646. exiverat in Valachiam Cis-Alpinam, ad videndam Dynastæ Regni illius *Lupuli Filiam*, quæ sibi multis nominibus commendabatur: ibique rebus ex animi sententia peractis, regressum in Patriam parans, admonitus a prædicto *Lupulo*, ne dedignaretur hac occasione accedere Principem *Georgium Rakocium* Seniorem, non multum cunctatus, præsertim sciens multas ei jam ante cum Regno Poloniæ intercessisse necessitudines, ne forte inhumanitatis argueretur, si tanti nominis Principem ex loco tam propinquo silen-

Princeps Radzivilius ad Rakotzium I. venit

tio præteriret, iter suum versus Transylvaniam convertit. Cujus limina postquam attigisset, atque permissu Principis *Rákócii*, obvias Regni illius Urbes, Arces, Civitates, Oppida, Fortalitia perlustrasset, nec non cum Magnatibus, & Nobilibus multis sibi honoris gratia jussu Principis in occursum venientibus notitiam contraxisset, simulque tam ex re oculis subjecta, quam ex relatione eorum, quibuscum miscere colloquia sibi contigerat, optimi regiminis indubitata argumenta perspexisset, tanto majori desiderio cognoscendi, tam pii simul, & prudentis Principis ferebatur. Ad quem perveniens, ab eoque summis excultus honoribus, dum inter alia colloquia ultro, citroque habita interrogatus fuisset a Principe *Rákócio*, quonam in cardine versetur res, & Status *Ecclesiæ Reformatæ* in Polonia? quidnam illud fuerit, quod contigisse ante aliquot Annos *Vilnæ* occasione alicujus funeris, & trajectæ alicujus imaginis audiverat? Tum *Radzivilius* retulit; qualiter dum in Aula pie defuncti Parentis sui *Christophori Radzivilii* mortuus fuisset Anno 1640. quidam optime de ipso meritus non postremi Stemmatis Nobilis *Alexander Przypkowski*, illique Dominus Parens suus pro more in Patria recepto exequias modis omnibus adornasset, sepelireque in Templo *Reformatorum* Civitatis dictæ *Vilna*, in Lithvania sitæ, voluisset, dumque corpus feretro deduceretur, subsequente longa serie Pastorum, & Cantorum, nec non magna caterva Aulicorum, & ipso insuper Parente suo, tibicinibus nænias lugubres præcinentibus &c. atque prætereundum fuisset Templum Romano-Catholicum; qualiter inde sese effuderit ingens multitudo hominum ad id præparatorum: irruendoque primum in eos, qui corpus ferebant, illisque dispulsis lapidibus, & fustibus corpus urna ejectum misere tractaverint, postmodum Pastores, & Cantores lapidibus vexaverint: & hic quidem tumultus ægerrime confluente universa aula D. Parentis sui sedatus, corpus autem utcunque tantum terræ mandatum fuerit. Retulit idem, qualiter rursus, quidam Aulicorum suorum, volens sagitta trajicere passerem insistentem super effigie S. Michaelis Archangeli in summitate Templi erecta, trajecerit ipsum (prout exponebatur) Archangelum, Exercituum Regni Cœlorum Generalem; & qualiter hac occasione & notabili pecuniæ summa mulctatus fuerit, & Templum illud Reformatorum, ex Decreto Comitiorum Regni Generalium, (ad præcavendum scilicet, ne similes tumultus posthac evenirent) occlusum fuerit, cum assignatione gravissimæ pœnæ, si quis illud recludere præsumpserit: omni Religionis exercitio severe interdicto.

His exauditis Princeps *Rákócius* quærit: Nonne *Religio Reformata* ita firmo jure est recepta in Regno Poloniæ atque hic apud nos in

in Transylvania quatuor Religiones, nimirum, *Nostra, Catholica, Unitaria,* & *Lutherana?*

Status Religionis in Polonia recensetur

Tum *Radzivilius* respondens ait: *Equidem Pii Prædecessores nostri in Regno Poloniæ veritatem illius sententiæ; Ubi incipit persecutio Religionis, ibi sequitur desolatio Regionis, reipsa tempore Cruciferorum mutuis, illisque infestissimis bellis, ac violentiis sese occasione diversæ sententiæ deglubentium (quod prolixe exponit inter cæteros Historicos Salamon Neugebauerus) cum nullam explicandi se ex mutuis lanienis communem Patriam misere prementibus adinvenirent viam, sanxerunt sub Sigismundo Augusto Anno* 1553. *Constitutionem: quod nullo modo in Electionem alicujus Domini consentire debeant, nisi hac conditione: ut prius omnia Jura, Privilegia, & Immunitates Regni Juramento confirmet; præcipue autem pacem, & tranquillitatem inter Dissidentes in Religione Christiana; præterea, omnes Status & Ordines Regni, præscripta hacce obligatione Regi imponenda, semet quoque ipsos in hunc modum obstrinxerunt. Et quoniam in hac Republica nostra reperiuntur non pauci Dissidentes in Causa Religionis Christianæ, præcavendo, ne hac occasione aliqua nociva seditio exoriatur (qualem in aliis Regnis evidenter videmus) promittimus id nobis mutuo, ac invicem pro nobis, & successoribus nostris in perpetuum, sub vinculo Juramenti Fidei, Honoris & Conscientiæ nostræ, qui sumus Dissidentes in Religione, Pacem inter nos mutuam conservaturos, nec propter diversam Religionem, & varietatem Templorum, sanguinem inter nos effusuros, neque alius alium ullis pœnis, confiscatione bonorum, privatione Honoris, carceribus, aut Exilio mulctaturos, nec ulli Magistratui, ac Officialibus ad talem processum suffragaturos: Quin imo si quis ex ista causa opprimere quoquo modo alterum velit, resistere ei omnes tenebimur, etiamsi id sub prætextu Decreti, aut aliquo processu Judiciario facere aliquis præsumat. Denique quo firmiori confœderatio ista fulciretur robore, primus post illam confectam creatus Rex, Henricus Gallus, & omnes qui eum subsequuti sunt Reges, usque ad nostra tempora, prius quam Corona redimiti sunt, confirmando solenni Juramento, Jura, Privilegia, & immunitates Polonorum, inter cætera super id, quod concernit statum Dissidentium, his expressissimis, & sine ulla limitatione verbis præstiterunt:* Pacemque & tranquillitatem inter dissidentes in Religione Christiana tuebor, manu tenebo, nec ullo modo vel Jurisdictione nostra, vel Officiorum nostrorum, & Statuum quorumvis auctoritate, quemquam Religionis causa opprimam, opprimive patiar. *Quod quidem manifeste constat ex Codice Legum. Et id quidem, quod verbis complectebantur, reipsa etiam adimplebant & exequebantur ad tempus usque Sigismundi III. sub quo (intervenientibus novis dogmatibus,* *in*

in quibus asserere non dubitabant, Hæreticis non esse servandam fidem. *Quotquot autem sunt extra Ecclesiam Romano-Catholicam, omnes eos Hæreticos reputant*) *oboriri cœpit persecutio Dissidentium; sub nostro vero Uladislao invaluit. Et hoc quidem malum prius grassabatur in Socinianos: nunc autem jam pervenit etiam ad nos. Illis prius non tantum in Regiis Urbibus, utpote Cracoviæ, Lublini &c. per tumultum studiosorum Romanensium; sed etiam in propriis, ac hæreditariis bonis, sub prætextu alicujus Juris, Templa adimebantur, Gymnasia disjiciebantur, Pastores Ecclesiarum simul, & Professores Scholarum proscribebantur, Typographiæ, & Bibliothecæ refertissimæ confiscabantur. Nunc vero neque nos sumus ab illis securi, & similium expertes malorum.*

Tum Princeps Rákócius: *Nonne vigore Jurium allegatorum posset coerceri hæc insolentia?* Respondebat Radzivilius: *Equidem in Comitiis Regni Generalibus ad querimonias damna passorum aliquoties scripti sunt articuli, ut fieret animadversio in violatores Juris publici, ut in posterum præcaveret Magistratus, ne talia evenirent. Sed nihil unquam in executionem est deductum.*

Rursus Rákócius: *Adhuc communicatis cum omnibus Dissidentibus consiliis, tentanda sunt media, ut exorbitantiæ istæ corrigantur.* Tum Radzivilius: *Sero jam paratur Medicina, postquam*

quam jam post multas moras tantopere invaluit Catholicorum potentia. Unicum tantum restat remedium, nimirum, ut sub Interregno, tempore Electionis novi Regis, quando latissimus patet unicuique nostrum campus reducendi ad rectum tramitem ea, quæ exorbitarunt: si videlicet nova aliqua condatur constitutio de non violanda ullo modo antiqua Confœderatione, cum præfixione gravis alicujus pœnæ de violatoribus Pacis publicæ sumendæ. Sed etiamsi quam severrimæ sanciantur leges, nihil proficient, nisi ex Dei beneficio talem nanciscantur Regem, qualis fuit Stephanus Bathoreus, qui dum multis rationibus stimularetur a Jesuitis ad exterminandos Hæreticos, post varias in contrarium allatas rationes, (*primum enim dicebat, quod nemo sit ad Religionem vi cogendus, cum id nec ipse Rex Regum Christus fecerit, quamvis præstare id facile potuerit, prout ea declaravit dicens Petro: Converte gladium tuum in vaginam, &c. an putas quod non possim petere Patrem meum, qui exhibebit mihi plus quam XII. Legiones Angelorum. Tantis suffultus copiis quid non præstitisset? Sed studio noluit, ut virtuti relinqueret locum: quod Religio verbo Divino sit intimanda, & ad illam alliciendi homines promissis præmiorum futuræ beatitudinis: prout hoc fecit ipse summus Sacerdos, qui in prædicatione sua, quæ describitur in Historia Evangelica, dum dicit: Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum.*

Stephani Bathorei Ratiocinium pro tolerantia

rum. Beati qui lugent, quoniam ipsi solamen accipient &c. ubi nulla sit mentio Dignitatis hujus seculi. Et rursus dum dicit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos &c. quod ad Religionem homines invitandi sint exemplo veræ pietatis, ac humilitatis, prout fecit Christus dicens: Discite a me quod ego sim mitis & humilis corde. Etenim stat illud immotum: Ut decuit, docuit, qui re sua dicta probavit: Plus malefacta nocent, quam benedicta docent, quod Jusjurandum vel Ethnicis dictum violare nefas sit: prævaricationem enim ejus Deum ne Regi quidem impune dimissurum, sibi persuasissimum esse: ac proinde cum in Coronatione non tantum aliis Regni incolis, sed Dissidentibus quoque obstrinxerit sese solenni Juramento, illud se salva conscientia violare nequaquam posse; sed potius constanter servaturum) & ad hæc Jesuitis variis modis reponentibus, tandem respondebat: Scire se pro certo, tria sibimetipsi Deum reliquisse, primum ex nihilo aliquid creare: deinde, futura præscire: postremo, conscientiis imperare. Quapropter nolle se in Dei messem falcem immittere, & quandoquidem a Polonis constitutus sit, ut corporibus illorum, idque secundum Leges dominetur, se esse illa dignitate contentum; super conscientias autem se nequaquam imperium usurpaturum. Ast ubi quærenda est illa tellus, quæ talem producat Principem, atque fuit ille, præter Vestram Celsitudinem; sub quo omnes eæ Religiones, quæ generali Confœderatione Polonica comprehenduntur, semel receptæ illibatæ suo in statu, sine præjudicio alterius permaneant? Inter omnes Principes Christianos non novi alterum. Quapropter multum felicitati Reipublicæ nostræ accessurum putarem, si post sera fata moderni nostri Regis, Celsitudinem Vestram nobis donarent cœli. Simulque monuit Principem Rákócium, *ne deesset fortunæ suæ, qua illum complures Proceres Regni Poloniæ dignum judicent, sed tempestive sibi ad eam, in casu mortis Regiæ consequendam, pararet aditum, præparando sibi ad id animos Polonorum, tum Legationibus ad Regnum publicis, tum aliis honestis, ac congruis modis, ac rationibus, nec minus (suasore Salomone, qui dicit Donum hominis dilatat viam ejus, & ante Principes locum ei facit) muneribus, quibusdam in majori eminentia constitutis Primatibus offerendis: imprimis autem si aliquando Polonis contra Turcas tentandi aliquid armis esset animus, opem, & societatem promittendo.*

Ab eo tempore cœpit sæpius dictus Princeps *Rákócius* amicitiam suam cum Polonis firmius stabilire, tum Legationibus frequentissimis, tum & aliis modis; dum & ipsi Poloni amicitiæ ejus avidi, mutuas redderent vices. Quod studium in Polonis nec morte Principis *Rákócii* Senioris extinctum est: prout patet, ut aliun-

aliunde, ita vel ex illustri illa, mediante *Joanne Vielopolscio*, tunc Castellano *Vojnicensi*, post vero Palatino Cracoviensi (quæ in hunc usque diem in Transylvania deprædicatur) legatione; nec minus illa, quæ mediante *Morstinio* instituta est; tum & aliis, quas enumerare singulas esset infiniti operis: quæ res postmodum Turcis illum suspectum reddiderat.

Joannis Principis Radzivilii lites Religionariæ, & tandem victoria

Accidit non multo post, Anno videlicet 1647. ut in possessione *Joannis Radzivilii* dicta *Srviadose*, provisor bonorum illius, absente Domino suo ad instantiam Parochi Catholici (ipse quoque Catholicus existens) e regione Aulæ Domini sui, erexerit Crucem, & super illa effigiem sculptam Christi Crucifixi. Quo postquam Dux *Radzivilius*, præter opinionem Provisoris sui advenisset, visa novitate illa, vehementer admiratus, quisnam in bonis suis tantum Juris sibi præsumeret, ut id ante portam suam erigere non dubitaret, simulque indignatus curat advocari Provisorem, interrogat, quis erexerit illud sculptile? qua auctoritate hic erectum sit? Respondet ille: *Incolæ loci istius multis precibus efflagitarunt hoc a me, ut in isto loco, ubi plurimi transeunt viatores ad gloriam Divinam erigerem hunc Crucifixum.* Tum *Radzivilius*: *Nequissime mortalium, in tuis bonis habes facultatem, sive velis sacella, sive lupanaria erigendi, sed non in meis. Nonne mihi*

hi sat notæ sunt artes vestrorum Sacerdotum? nunc curavit me inscio erigi crucem, interjecto aliquo temporis spatio, subornabit aliquos, qui asserant, se hoc loco vidisse aliquam visionem; post ea construent Sacellum, & successu temporis intendent in id, ut Sacello cum tota possessione Aula adjungatur. Quapropter quemadmodum me inscio adduxisti huc istam statuam, ita me inscio transferas aliorsum. Audita ejusmodi, Domini sui denunciatione Provisor, recurrit ad Populum; refert omnia; instat vehementissime, agant quod esset optimum, modo ab ipso indignationem Domini avertant. Itur in varias sententias. Parochus suadet: *incolas loci hæc nihil debere curare, relinquendum id esse, quod Dominus demandat, ipsiusmet executioni; sibi contra conscientiam non pluribus configendum esse vulneribus Christum: si ipsi denegat Dominus hunc locum, videat ipse quid facere velit; Catholicis autem esse abstinendum.* Populus fatetur *se multum errasse, quod Domino irrequisito talia fecerint, ac proinde adhibendum esse aliquod in demulcendo animo Domini sui remedium.* Tandem instante Provisore, post multas consultationes conclusum est, ut egressi cum Processione, facta solenni coram illo Crucifixo deprecatione, *quod non suapte voluntate, sed a Domino coacti, transferre statuam illam aliorsum debeant, inde effodiant, & translatam penes*

nes Cœmeterium Templi collocent. Et facta sunt omnia hoc ordine.

Quod quamprimum ad notitiam Episcopi loci illius delatum est, ipse forte ægrotus domi se continens, in locum suum Parochum Templi illius ad Comitia Regni Generalia *Varsaviam* expedivit: cui dedit in mandatis, ut Protestationem variis scommatibus, & sarcasmis, contra Ducem *Radzivilium*, nec minus contra omnes in genere Dissidentes, plurimis aculeis acerrime pungentibus, refertissimam, ad *Acta Capitanealia Castrensia Varsaviensia* porrigat, simulque in Comitiis Regni, quæ immediate instabant, litteras suas exhibeat in facie Reipublicæ, & penes litteras viva voce urgeat quam maxime, quatenus, si Deum Omnipotentem adesse Consiliis suis velint, huc omnia sua conferant studia, ne injuria Ecclesiæ illata, & Crimen læsæ Divinæ Majestatis maneat inultum.

In Comitiis itaque advenientibus (ad quæ ipse etiam Dux *Radzivilius* fuit a Palatinatu electus internuncius terrestris; sed tamen ad exordium statim non comparuit, dedita opera, ut experimentum caperet, qualiter se absente in hoc negotio procedere velint, ut ex ejusmodi præludio informatus, tanto paratior ipse accederet; nihilominus multos subordinavit, qui rebus suis non deessent donec superveniret) comparens ille Delator, inducit illam Protestationem in Acta, ex iisque authentice extra-

ctam simul & Epistolam manutenens, accedit Senaculum, ubi Legati terrestres Consilia tractare soliti, quam primum a salutato Rege, cum suo Marschalco, (qui tunc fuit *Stanislaus Sarbijewski Capitaneus Grabovecensis*, zelosissimus Catholicus) regressi sunt, petit, ut legatur Epistola Episcopi: quod postquam concessum fuit, accipit ipse Marschalcus ad manus, legit clara, distincta, articulata voce, nonnunquam quasi attonitus subsistendo, & iterum pergendo usque ad finem. Post lectam Epistolam producit Protestationem, hac etiam simili modo lecta, rogat tandem audientiam: quorum omnium summa fuit:

Argutæ criminationes Episcopi Volnensis

Præmissa absentiæ suæ decentissima excusatione, nec minus salutatione, & felicis Consiliorum successus apprecatione demum subnectens *Deum Omnipotentem illis*, ait, *adesse sua cum benedictione esse solitum, quibus cultum Divini sui Nominis cordi esse ipsi est cognitum; ac proinde, cum ne in minimis quidem rebus felicem eventum sortiri quisquam possit, nisi Deus benedictione sua adsit, contestante id illo quondam Deo dilecto Rege Izraelitarum David: Nisi Dominus domum ædificaverit, &c. monuit, ut, siquidem in præsentia talia tractari debeant, quæ concernunt non ædificationem privati alicujus tugurioli, sed universæ Patriæ, pietate hactenus Antecessorum suorum conservatæ; non securitatem alicujus Propugnaculi tantum, sed universi Regni,*

hactenus non humanis artibus (credere namque Regna humanis consiliis regi, subtilis quidam Atheismus est) sed vigiliis piarum per Antistites ad cœlum missarum precum (non secus ac Mosis quondam elevatis pro pugnante populo manibus) conservati, firmissimis S. S. Religionis Catholicæ basibus corroborati, & ita propagatione ejusdem Religionis dilatati, ita pace ab omnibus gentibus vicinis a Deo circumscripti, ut cæteræ nationes, infestis armis ad invicem sese dilacerantes, hanc felicitatem, nec immerito, nobis invideant. Sed proh dolor! (scribit) Pace rerum optima a Deo donati, bellum cum Deo Creatore nostro quærimus: quo nobis offenso, quam rerum prosperitatem, quam Patriæ salutem, quam Uncti Dei incolumitatem polliceri nobis possumus? Totus horreo; ex vi tamen officii mei in medium publicarum consultationum proferre cogor, qualiter tempore non ita præterito pridem, in Protestatione super hoc negotio confecta expresso, Dux Radzivilius, gratia tum moderni Serenissimi Regis, tum Antecessorum Suæ Majestatis, ad tam amplas opes, ad tam eximios evectus honores, ut vix altius prosiliendi ipsi aliquis sit relictus gradus, ingentes animo concipiens spiritus, non contentus dominium suum in corpora miserorum subditorum suorum extendere, sed in animas ac conscientias eorum jurisdictionem sibi usurpans, imposuit necessitatem incolis Srviadosensibus, ut imaginem Dei Creatoris nostri

stri (qui pro peccatis nostris mortuus est, ut nos vicibus illius sanati a morte æterna liberaremur) collocatum tali loco, ubi quamplurimi transeuntes, cultum ipsi pro tam magna dilectione debitum exhibere possent (clarissima simul & impia mente præditus, prætendendo jus suum, quod extincto halitu ipsius transferetur in alium) eradicatam aliorsum transferrent; noluit Deo nostro tantum favoris indulgere, ut exiguum hospitiolum ei concederet; sed vi coegit Christianum populum, ut ea sede, quæ semel cultui ipsius destinata fuit, illum dimovere necesse habuerit. Descendant cum piis cogitationibus suis in devota præcordia sua, & comperient, quantopere contristari anima, quantopere compungi conscientia illorum debuit, quando loco honoris Creatori suo deferendi, coacti sunt contra conscientiam, non secus, ac impii quondam Judæi fecerunt, ab Anna ad Caipham Deum suum circumducere. Conquestus aliquando fuit super impietate Judaica, quod non habuerit locum, ubi caput suum reclinaret; sed illud adhuc tolerabilius fuit, quia inpinquatum cor illorum erat, ut non cognoscerent Creatorem suum; sed nos & agnoscimus & colimus illum, & tamen locum illi denegabimus? O impietatem, qualem oculus Solis non vidit! Obscuratus est aliquando Sol, quando iniquitatem Judæi super Creatore nostro exercebant, sed tamen rursus illis rediit, ut illos illustrans ad pœnitentiam impii facti reduceret. Sed quia non

non resipuerunt, manifestum est omnibus, quantopere pro eo sunt castigati: locus ille sanctus diruto Tabernaculo Dei, a Paganis conculcatus; Populus quondam unice dilectus, a facie Dei disjectus. Verendum profecto est & nobis, si obumbratis oculis, tantam impietatem respexerimus, qua Divina Majestas læditur, ne Sol Evangelii S. quo sumus illuminati ita nobis obscuretur, ut relinquens nos in tenebris eripiat omnem ad illustrandam Patriam facultatem, & habitaculum inter nos, Sanctum conculcandum tradat Gentibus. Sed ubi hoc scelus perpetratum est? In eo populo, qui criminis læsæ Regiæ Majestatis acerrimus vindex, quando olim quidam mente captus manum injecerat Uncto Dei, quamvis is qui læsus erat, condonaret, Populus tamen ut declararet, quantopere illum injuria Regis tereni ureret, crudeli morte eum sustulit. Hic idem pôpulus, si vere Christianum declarare se vult, demonstret se non minus Læsæ Divinæ adpræsens, quam olim regiæ Majestatis tangi; demonstret se in hac domo Patriæ nostræ Religio Christiana Catholica Heram, Dissidentium Religionem autem esse inquilinam, neque permittat, ut inquilina ejiciat Heram. Quia vero nullum usque adeo flagitiosum scelus est, quod longinquitate temporis non extenuetur, quod non varios inveniat Patronos, ac denique tollatur: ideo ego obtestor Magnificentias Vestras per Sanctam Dei Genitricem, cujus animam non minus nunc, dum Filium suum dimoveri, quam quondam, dum crucifigi vidit, perstrinxit gladius, ut si Deum vobis in hoc confessu, & in aliis occasionibus propitium esse velitis, ante omnia instetis apud Serenissimum Regem, quatenus declarans se non esse reum istius sanguinis, Crimen hoc, summario Juris processu prosequi jubeat. Neque est, cur aliquis dubitet hoc fieri posse obstantibus Legibus: Vos enim Conditores, vos & interpretes Legum estis. Neque obtrudat hoc esse contra Libertates: Servire namque Deo, Libertas summa est: nulla major Libertas, quam quæ sita est in promotione gloriæ Divinæ: & contra, nulla servitus major, quam in oppressionem Divinæ Majestatis consentire, facientes autem, & consentientes pari pœna puniuntur. Ne itaque tacendo consentire videamini, ad propulsandam Dei injuriam animos advertite Vestros, memores illius, quod, qui communi injuriæ non resistit, tam est in vitio, quam qui Patriam, & Parentes deserit. Ecce autem hic plus quam omnes tereni Parentes! Evigilate itaque, & quod veros Christianos addecet, agite. Valete.

Hæc omnia multo majori cum energia ita erant comparata, ut si quid defuit in Epistola, id compleretur in Protestatione; & si quid defuit in utraque harum, id suppleret Orator, cum maxima exaggeratione.

Posthæc conticuere omnes intentique ora tenebant, & ferme per quadrantem horæ, nec

os, nec gestum quopiam movente, sed omnibus attonitis & ad invicem sese intuentibus, tandem Marschalcus: *Video*, inquit, *omnes rei novitate illiusque enormitate concitos, nec miror. Nunquam enim quid simile accidit in Israel! Sed non sufficit tacere, necesse est etiam aliquid agere.* Tacentibus autem adhuc diu omnibus, rursus ille Orator: *Credo intellexisse omnes negotium in præsentia expositum, nec minus & instantiam, quam penes illud facit Illustrissimus, ac Reverendissimus Episcopus, cui taciturnitate sua D. D. V. V. consentire videntur: nihil itaque restat, præterquam ut surgant, & juxta instantiam hanc Serenissimum Regem, ut Summario Processu negotium hoc prosequi jubeat, rogent.* Tum conclamatum est undique, surgendum esse; multique assurexerunt, & Marschalcum secum trahentes, jam plane de Senaculo egrediebantur. Interim tamen & Catholici aliqui bonarum partium, apud quos potior erat Ordo antiquus, & avita libertas, quam zelus inordinatus, & Dissidentes in Religione omnes loco non dimoti, illos Protestatione sua mediante revocarunt.

Catholicorum quidam indignitatem facti vident

Demum exorsus Legatus Palatinatus Volhiniæ *Alexander Czaplic de Halitzany*, modestissima & argutissima Oratione, rogavit, *ne tantopere ad delationem, & expositionem unius partis commoverentur, neque hoc quod vergit in convulsionem Legum, ac Libertatum a sua Sere-*

Serenissima Majestate Regia tantopere rogent: dandam prius parti alteri alteram aurem. Si enim accusare sufficeret, quis unquam insons esset? Lege per expressum cautum est: Neminem respondere teneri, nisi viso Ministeriali; quod factum fuisse hic, non comprobatur. Quod si etiam hoc comprobaretur, Actum hunc non esse ferendis Decretis, sed Consultationibus de negotiis Regni, partim a Serenissimo Rege, partim a Palatinatibus, per publicos, & Ordinarios Legatos propositis, destinatum; præterea Judicium legitimum constare tribus partibus, videlicet Actore, Reo, sive in Jus attracto, & Judice competente; hic solum adesse Delatorem, Citatum autem non comparere: qui etiamsi comparuerit, non esse Forum competens: omnibus Actionibus præscriptam esse a Regno ordinariam viam, quam se non debere transgredi, cum hic non sint Legum eversores, sed Custodes: ideoque se debere esse intentos ad sapientissimum simul, & justissimum Jurisconsultorum Axioma, quo conclusum est: qui statuit aliquid parte altera inaudita, æquum licet statuerit, haud tamen æquus Judex est censendus; se ad factum quidem præsens nihil loqui: qui deliquisse accusatur, si omnino deliquit, ille se excuset, atque depurget; sed solummodo præcavere velle, ne in persona unius violetur universalis Libertas, cui prospiciendo Respublica tot beneficia Juris indulsit: se itaque debere stare anti-

tiquis moribus, ac proinde in id totis incumbere viribus, ut sanguine Majorum Libertatem partam, & proprio hucusque defensam ad seram etiam posteritatem transmittant intactam, ac nulla in parte violatam.

Et illo quidem finem Orationi imponente, incepit *Kezervski* ex Majori Polonia Legatus, tum & alii Dissidentes in Religione alternatim, novis rationibus confirmando per *Czaplicium* in medium prolata; denique etiam Catholici, qui similibus rationibus ne præcipitanter ageretur, urgendo; alii autem multi illis obloquendo protraxerunt negotium, a die Mercurii usque ad diem Veneris: sed ea quoque die magna cum solertia decertando rationibus pro, & contra, nihil effectum est. Tandem dixit Marschalcus, differendum esse hoc negotium adhuc in diem crastinum, Sanctæ Dei Genitrici dicatum, in cujus honorem, inquit, mane exaudiamus Missam S. implorando Beatissimam Virginem Mariam, ut det inter nos spiritum Unionis, & excitet in nobis amorem Filii sui.

Sabbato interveniente iterum summopere contenditur pro & contra; quæ singula enumerare fateor non esse mei ingenii, & omnino magnum de eo Volumen Orationum esset conscribendum. Quæ tamen præteriri non possunt, leviter attingam, tempestive præmonens, ubi nullus reperietur Orationis lepos, meæ id imputandum esse rudi Minervæ. Illi enim, quorum Orationes referre volo, Oratores fuere disertissimi, & eximia eloquentia, atque linguæ facundia præditi, *Cicerones Polonici* olim dicti.

Post multas ratiocinationes *Nicolaus Ostrorog* Pocillator Regni, Legatus autem Palatinatus Russiæ, in hunc modum est locutus: *Ad omnes, omnium hactenus in medium allatas disceptationes optime attentus neminem observavi factum hoc, de quo nunc agitur, excusantem, tanto minus approbantem: neque enim credo in toto hoc consessu reperiri quendam, qui dicat, factum esse bene. Dum ergo nullos factum hoc habet Patronos, manifestum est consentire super eo omnes, ut non dimittatur impunitum. In eo maxima inest difficultas, quod nonnulli in ea sint opinione, sive sententia, debere illud, prout extraordinarium delictum, extraordinario subesse Processui, atque Judicio: alii autem non utendum esse Summario Processu asserunt, rationem assignando, quod id vergat in eversionem libertatis. Equidem quod libertatem attinet, si cui mortalium auro omni, & gemmis pretiosius hoc Patriæ nostræ Clenodium gratum est, & amabile, certe non minus mihi etiam: qui in libertate hac, (quam exteri quoque nobis invidentes, & splendore illius ad æmulandum excitati Indigenatum a nobis petere non erubescunt) natus, in eaque jam majori ætatis parte transacta, nequaquam cervicem meam libertati assuetam, gravi jugo servitutis vel oppressionis subjicere velim; sed potius quæ-*

quæsitam virtute Antecessorum, & meritis nostris auctam, ego quoque non minus, ac alius quispiam, ad seram posteritatem intemeratam transmittere, & relinquere volo. Sed ex altera parte dum perpendo qua de re agitur, nimirum de gloria Dei, non possum mihi temperare, quin cum Davide exclamem: Zelus Domus Tuæ comedit me, Domine! hoc addito, quod si Filius meus hoc faceret, non solum Summario Processu judicandum permitterem, sed sine ullo Processu male illum perderem. Absit tamen me id dixisse in præjudicium Illustrissimi Principis Radzivilii, (& hic cœpit summis laudibus extollere merita illius antiquiora, & recentiora) neque mihi tantum præsumo, ut in tam Eximium Virum statuere Decretum velim. Liberius namque, & rigidius cum domesticis, quam cum extraneis, & quidem in tanta dignitate constitutis, sine reprehensione ulla, agere ausim. Multum tamen mecum cogitanti qualiter hoc negotium, quod nobis jam aliquot dies surripuit, sine præjudicio tanti in Republica Viri, & salva libertate manente expediendum esset, ita tamen ne impune dimissum esse videatur, venit mihi in mentem locus quidam Ciceronis, qui apud Auctorem sic habet: „Cum multis ex rebus intelligi potest, „ majores nostros non modo armis plus, quam cæ- „ teras nationes, verum etiam consilio sapien- „ tiaque potuisse: tam ex hac re vel maxime, „ quod in impios singulare supplicium invenerunt. „ Qua in re quantum prudentia præstiterint iis,

„ qui apud cæteros sapientissimi fuisse dicuntur, „ considerate. Prudentissima Civitas Atheniensium, dum ea rerum potita est, fuisse traditur, „ ejus porro Civitatis sapientissimum Solonem „ dicunt fuisse, eum qui Leges, quibus hodie „ quoque utuntur, scripserit. Is cum interro- „ garetur, cur nullum supplicium constituisset in „ eum, qui parentem necasset, respondit, se id „ neminem facturum putasse. Sapienter fecisse „ dicitur, cum de eo nihil sanxerit, quod antea „ commissum non erat, ne non tam prohibere „ quam admonere videretur. Quanto majores no- „ stri sapientius? qui cum intelligerent nihil „ esse tam sanctum, quod non aliquando viola- „ ret audacia, supplicium in parricidas singula- „ re excogitaverunt: ut quos natura ipsa retine- „ re in officio non potuisset, ii magnitudine pœnæ „ maleficio summoverentur, insui voluerunt in „ culeum vivos, atque ita in flumen dejici. O „ singularem Sapientiam! nonne videntur hunc „ hominem ex rerum natura sustulisse, & eri- „ puisse, cui repente cœlum, solem, aquam, ter- „ ramque ademerunt, ut, qui eum necasset, un- „ de ipse natus esset, careret iis rebus omni- „ bus, ex quibus omnia nata esse dicuntur? „ Noluerunt feris corpus objicere, ne bestiis „ quoque, quæ tantum scelus attigissent, imma- „ nioribus uteremur: non sic nudos in flumen „ dejicere, ne, cum delati essent in mare, ipsum pol-

„ polluerent, quo cætera quæ violata sunt, expia-
„ ri putantur. Denique nihil tam vile, neque
„ tam vulgare est, cujus partem ullam relique-
„ rint. Etenim quid tam est commune, quam
„ spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuan-
„ tibus, littus ejectis? Ita vivunt dum pos-
„ sunt, ut ducere animam de cælo non queant:
„ ita moriuntur, ut eorum ossa terra non tan-
„ gat, ita jactantur fluctibus, ut nunquam
„ abluantur; ita postremo ejiciuntur, ut ne ad
„ saxa quidem mortui conquiescant.‟ Hæc Cicero. Si itaque Veteres Romani, cum ab antiquioribus Legis latoribus nullum acceperint, de parricidiis vindicandis sancitum, justa ratione aut occasione inducti novam de eo condiderunt Legem, quid obstat, quominus nos etiam in præsenti casu eorum sequamur exemplum, novum scilicet sanciendo statutum? Adsumus nunc Legeum Conditores & quidem loco, ac tempore privilegiato: itaque Legem constituamus, ut extraordinaria, quale hoc est, crimina, extraordinario etiam, hoc est, Summario Processu prosequi liceat: ita & libertati consulemus, & contra Illustrissimum Principem Radzivilium nihil delinquemus, & in posterum aliis, ne talia faciant metum incutiemus, & denique conscientias nostras salvabimus.

Tum ex omnibus partibus conclamatum est: *Placet, placet, maxime placet vox, & Sententia Domini Pocillatoris Regni, scribatur Lex, & executioni detur. Frustra enim conduntur Leges, nisi subsequatur executionis vigor. Pereat mundus, fiat justitia. Majus est placere Deo, quam hominibus*: & multa his similia. Jamque voluerunt ire ad Regem, consensum super ferenda Lege, in hocce tam arduo negotio, rogaturi.

Interim Stanislaus *Chrzonstovvski* Vice-Judex, & Legatus Palatinatus Cracoviensis, qui hactenus toto isto tempore, quousque alii summario processui mascule restiterunt, ne verbum quidem (omnibus admirantibus, fuit enim Reformatæ Religionis) protulit in hoc negotio, quod ille studio fecit, reservans sese ad dandum succursum, ubi alios succumbere viderit; feriens terram virga, sive arundine quam in manu habuit, audientia ægre impetrata, in hunc modum verba facere cœpit:

Jam quadragesima Vice munere hoc Legationis fungens, hic compareo; nunquam tamen negotia hoc in loco in hunc modum, prout nunc agitantur, tractari vidi; ut nimirum uno aliquid in medium proferente, aliis jam locus ad dicendum non detur: quasi vero Magnificus Dominus Pocillator Regni Solon sit, aut Romanus Dictator, vel Consul, cæteri autem omnes sint Magnificentiæ suæ populus! Negatur Consequentia; etiam Palatinatus Cracoviensis est Commembrum Regni: & per hanc Regulam non minus mihi ablegato illius, quam cuipiam alteri proferendi meum sentire patet hic facultas.

Tum

Tum deinceps Marſchalcus Comitiorum Regni rogavit, ut conſideret quisque, atque locum ſuum tenens, loquentem Dominum *Chrzanſtovvski* patienter audiat. Facto itaque ſilentio iterum exorſus eſt Dominus *Chrzonſtovvski*: *Non eſt cur longa oratione Magnificentias Veſtras onerem: Quamvis enim omnes conſenſerint ſuper ſummario proceſſu, ego non: nec unquam calculum me ſuper illo additurum ſolenniter proteſtor nomine Palatinatus mei. Ratio autem in promptu: Quia inſtructionem habeo a Fratribus Palatinatus Cracovienſis, ut potius inſtem apud Regnum, quatenus Lex condatur, ne ſummario proceſſu quisquam aggravetur. Hanc itaque produco, ſimulque proteſtor, me ad nulla negotia Regni acceſſurum, donec Palatinatus Cracovienſis, id quod deſiderat, obtinuerit.*

Tunc iterum magnum ſilentium factum eſt: poſtquam autem Marſchalcus Comitiorum perlegiſſet ex illa Inſtructione Articulum ſuper eo conſcriptum, dirigit orationem ad *Georgium Lubomirski* (qui tunc temporis fuit Capitaneus Cracovienſis, ſucceſſu autem temporis Supremus Regni Marſchalcus) Collegam Legationis *Chrzonſtovii* in hæc verba: *Quandoquidem uſitatiſſimum hoc eſt, quod Articuli a Palatinatibus ita conſcribantur, ut facultas limitandi illos penes Legatos relinquatur; ideo rogamus, velit nobis declarare, an non haberet modum recedendi ab iſto Articulo.*

Re-

Reſpondens *Lubomirski* dicit: *Verum quidem eſt Articulum hunc ad importunam quorundam inſtantiam irrepſiſſe inter alios; ſed non puto Palatinatum moleſte laturum, etiamſi propter bonum publicum ab illo receſſerimus: quod quidem per me licet, dummodo Dominus Collega meus aſſentiatur.*

Tum iterum *Chrzonſtovvski*: *Non irrepſit, ſed poſt multas Controverſias ſuper eo inſtitutas ſtrio, & ex profeſſo inſcriptus eſt iſte Articulus; urgentibus illis, qui talem Proceſſum pernicioſiſſimum eſſe ſuperſemetipſis ſunt experti* (indigitando illos, quibus Templa, Scholæ, Typographiæ &c. ablata ſunt, & qui mediante ejusmodi Proceſſu multis modis ſunt aggravati, nimirum Diſſidentes in Religione) *penes quem Articulum ego ſto firmiter: quod ſi me Magnificentia Veſtra in promovendo illo derelinquit; ego quoque ea quæ urgere maxime volet, evertere modis omnibus contendam.*

Quod ægerrime tulit Capitaneus Cracovienſis, nempe Collega *Chrzonſtovii*, & hac occaſione acrioribus inter ſe verbis cœperunt concertare, ita ut Marſchalcus Comitiorum neceſſum haberet ſurgendo de loco, illos mitigare. Cœteri etiam rogabant *Chrzonſtovium* multis blandiloquiis, ut ſuperſederet ab iſto Articulo. Sed ille ne latum quidem unguem ab illo diſcedere volens; & omnes torvo vultu aſpiciens, ad omnes contra ſe allatas rationes eo

ſolo

ſolo ſe excuſabat, quod habeat Articulum ea de re conſcriptum, & ſolenniter ſibi commendatum, ideoque ſe nullo modo poſſe ab illo recedere.

Interim *Stanislaus Oborvski* Legatus Palatinatus Maſoviæ, homo juvenis, omnibus geſtibus & actionibus declarans ſe nondum refrixiſſe ab incude Jeſuitarum, conſcendens altius ſcamnum, atque ſtans, ut melius ab omnibus exaudiretur, in hunc modum perorat:

Luce meridiana clarius hoc conſtat ex oratione, & perſeverantia Domini Chrzonſtovii, quod cum & ipſe ſit Diſſidens ab Eccleſia Catholica Romana, aliorum, quibus adhuc minus ſuffragantur Jura, cauſam, non vero bonum publicum promoveat: ac proinde cum Catholici etiam cernant, contumacia tantum ductos Dominos Diſſidentes ſtare penes id, quod derogat Eccleſiæ Catholicæ Romanæ more, & exemplo Anteceſſorum ſuorum, qui, quando primitus in hoc Regno fundabatur Religio Catholica, dum ſacra ſua celebrarent, ſtrictos vibrabant gladios, demonſtrando, quod, ſi aliquis quocunque modo præpedire illa vellet, ſe in defenſione Religionis extrema quæque ſubire paratos: declarabunt hodie quoque ſe eſſe veram Majorum ſuorum progeniem: declarabunt, ſibi eundem ineſſe Religionis zelum, eundem animum; neque deeſt gladius, quo Religionem Catholicam ad extremum vitæ halitum tueri ſint parati, nec unquam permittent ut Inquilina ejiciat Matrem-familias (per Inquilinam indicabat Religionem Diſſidentium, per Matrem-familias autem Catholicam: quod aſſeverant, hanc prius in Polonia fuiſſe fundatam) quapropter vel nobiscum conſentiat Dominus Crzonſtovvski & cæteri; in contrarium namque Religioni noſtræ quippiam adferri, & quod nos ad illam ſtabiliendam conſtituere volumus, per Dominos Diſſidentes ſubverti, & nobis obloqui, non amplius ſurdis auribus audiemus.

Tum *Chrzonſtovvski*: *Ad talem Orationem reſpondebit Dominationi Veſtræ meus Filius foris, ſive in platea, tantum non gravetur colloqui cum ipſo: hic vero rationibus non gladiis concertandum. Quod ſi corpuſculo animus major ad digladiandum impellit, potius conferat ſe in Ukrajnam, aut ad Kodek, ibi ſingulis diebus habebit, quibuscum certet; ſed, credo, fleret Domina Mater.*

Et confeſtim illi, qui ad ſe pertinere intellexerunt illa verba, quod iis minus, quam reformatis ſuffragentur Jura Regni, contra eundem *Oborvski* certatim hinc inde cœperunt Orationes ſuas inſtituere valde aculeatas, declarando, *e fæce hoc aliquem arripuiſſe, qui putat in communi Patria, non omnibus (qui pro illa defendenda capita ſua omni diſcrimini dum opus eſt, offerunt) ex æquo Jura ſuffragari: nunquam Litteras Armales pro eo cuipiam collatas, quod ſit Catholicus, ſed quod*

 pro

pro Patria animo forti subiverit pericula: diffidere talem Nobilitati suæ, qui illam Religione stabilire vult. Ad quæ Catholici quoque illum *Oborscium* sublevando acriter respondebant, ita ut non exiguus concitatus fuerit tumultus, & altercationes illæ in longum tempus sunt protractæ. Præcavendo itaque Marschalcus Comitiorum, ne aliquid mali inde eveniret, infectis rebus solvit consultationem, negotium illud rejiciendo ad diem Lunæ. Interea eodem die circa Vesperam advenit Princeps *Radzivilius*, qui sequenti die salutavit privatim Regem, nulla facta mentione ea de re, quamvis nihil horum quæ acta sunt, illum lateret.

Adveniente die Lunæ, ad consessum aliorum Legatorum, comparet & Princeps *Radzivilius*, cumque jam convenissent ferme omnes, tum Dominus Marschalcus Comitiorum instituit Orationem, in qua adversam sortem suam incusat, quod tam infelici tempore hocce munus subiverit, ut quatuor jam diebus laborantes, nihil tamen cœperint; nunc etiam sibi metuere similem difficultatem, ad quam evitandam sibi placere, ut id, quod hactenus multum temporis sine quovis effectu eripuit, rejiciatur sub finem Comitiorum, cum sæpe eveniat ut, sanet mora, quod ratio nequit: velle itaque se informari, a quonam negotio inchoanda esset præsens consultatio? monuit præterea, & obtestatus est per omnia sacra, ut quam modestissime quisque sine

sine exasperatione animorum, quid sentiat, in medium proferat.

Respondet potior pars, more solito incipiat D. Vestra a recessu. Tum ille: *Mihi quidem aliter visum erat, sed quia pluribus ita placet, vellem jam cognoscere animos Dominationum Vestrarum, qualiter apud se deliberarunt in negotio Illustrissimi Principis Radzivilii. Ut autem id tanto facilius, & exactius expediri queat, puto consultius fore, ut secundum seriem Palatinatuum, quisque suo de loco suum proferat suffragium.*

Tum *Radzivilius* impetrata audientia, *Quandoquidem*, inquit, *audio hic fieri mentionem mei, nulla autem citatione ad Comitia sum evocatus, nec ulla ratione mihi innotuit, mihi hoc in loco controvertendum cum aliquo esse: præterea bene mihi sum conscius, me nihil tale commisisse, quod secundum Jura Regni hunc terminum concerneret, rogo liceat scire, a quo & qualis contra me instituatur querela, ut sciam qualiter sit ad illam respondendum.*

Tum Marschalcus Comitiorum: *Nolo*, inquit, *verbis meis exponere, sed potius ea quæ nobis sunt exposita producenda duco*; lectaque prius Protestatione legit postea & Epistolam, ubi dum in Epilogo pervenisset ad illa verba, quibus Episcopus inculcat Regno, ut *Summario Processu cum illo procedatur*: conclamatur

Vilnensis Episcpi Criminationes repetuntur

a multis, rogandus eſt, rogandus eſt Sereniſſimus Rex, ut conſenſum præbeat.

Oratio Radſivilii pro ſe in Comitiis

Demum *Radzivilius* impetrata audientia ait: *Equidem demirari non poſſum, quod aliqui usque adeo inordinato zelo ſuo indulgeant, ut ad communes libertates nullum reſpectam habeant: quaſi vero Diſſidentibus tantum Leges, quas Antecuſſores noſtri hucusque ſacroſancte obſervarunt, eſſent neceſſariæ, Domini Catholici vero, quandocunque libuerit, evertendi illas habeant facultatem. Quod attinet Summarium Proceſſum, quem contra me non citatum, inauditum, indefenſum aliqui ſtatuere volunt, ſi volunt illum introducere in omnem caſum univerſaliter, credo firmiter citius illum incurſurum aliquem alium, quam Radzivilium, in cujus domo nunquam vel ſimplex citatio viſa.* (Et hic cœpit prolixa Oratione tum Majorum ſuorum, tum ſui ipſius morum integritatem, humanitatem, qua cunctos præveniat, munificentiam ſibi adnatam, ut potius aliis beneficia conferre, quam alicui vel leviſſimam injuriam inferre, & omni meliori modo animos omnium ad ſe potius allicere, quam a ſe abalienare ſit ſolitus; & alias Heroicas virtutes, quæ ſemper in domo *Radziviliana* erant conſpicuæ, ita recenſere, ut nullus repertus fuerit, qui in contrarium aliquid proferre auderet. Demum ſubjungebat: *Sed hanccine ego pro meritis meis, tum erga Sereniſſimum Regem, tum erga privatos ſperare unquam potui remunerationem, ut ejusmodi aggraver Proceſſu? Si hæc in viridi, quid in arido?* Aſſerebat præterea *ſibi & ſucceſſoribus ſuis nullum ſupereſſe metum: metuendum potius iis, qui in Bannitionibus naſcuntur, in Infamiis autem moriuntur) ſi,* inquam, *in omnem caſum volunt ſtatuere Summarium Proceſſum, non reluctarer & ego. Sed perſuaſum habeo nullum verum Patriæ Filium, qui ſcit, qua in re conſiſtat noſtra aurea libertas, id admiſſurum; & ego ſciens illum eſſe ſumme nocivum Civibus Reipublicæ, ſuper eo nequaquam conſentio, ſed potius cum aliis contra illum ſolenniter proteſtor.* Tum exclamarunt ex multis locis: *Ego quoque! Egó quoque!* Poſtquam autem conticuerunt omnes, proſequendo Orationem dicit: *Quod ſi quis ad me aggravandum inſtinctu hominis inimici, hocce Summario Proceſſu uti volet, ſcio antiquam Patriæ Legem, quam quisque probus Oraculi inſtar hucusque obſervavit: S i n e n o b i s n i h i l i n n o s. Jam autem ex præmiſſa Proteſtatione mea conſtat, me nulli hanc legem prout iniquiſſimam imponere velle: ac proinde, prout alium illa aggravare nolo, tanto minus ipſe illam ſubibo: non quod exlex eſſe velim: quemadmodum enim hactenus Legibus Patriæ libenter me ſemper ſubmittebam, ita in poſterum quoque ſubire Decretum ex Codice Legum antiquarum, contra me latum, minime recuſo. Sed ſi quis in-*

invito mihi jugum imponere velit, lubens illum videbo. Quod autem attinet Actionem, qua me involvere vult Epiſcopus Vilnenſis, nunc cum nec dies mihi fuerit dictus, neque Forum ſit competens, ne verbum quidem ad illam reſpondere volo; ſed ſuo tempore huic Popæ, qui tantas contra me concitavit turbas, tam ſonora reſpondebo Echo, ut exaudiatur per totum Regnum!

Adhuc in ore *Radzivilii* ultima hærebant verba, quando concitatus eſt ingens clamor, & ſtridor dentium, *blaſphemavit, blaſphemavit, quid amplius volumus? Ecce in facie Reipublicæ comminatus eſt Vicario Dei; nonne hæc eſt aperta denunciatio belli?* Vix ſeſe cohibuerunt a gladiis. Vociferationes autem miræ pro & contra exaudiebantur: Marſchalco Comitiorum modo hunc, modo alterum moderante; a parte vero *Radzivilii* ingenti multitudine aſtante, ut valde fuerit anceps eventus rei, ſi aliquid inceptum fuiſſet: præſertim cum notum fuerit omnibus, foris etiam aliquot millia fuiſſe *Radzivilianorum*, juſſa expectantium, & ſi unicus evaginaſſet gladium, horrenda laniena ſubſequutura fuiſſet, quæ maxima cum difficultate cohiberi potuiſſet. Marſchalcus ergo Comitiorum videns ſummopere exarſiſſe in iram utramque partem, miſit ad Senatum implorando conſilium, & confeſtim miſſi ſunt de Senatu duo Viri Eminentiſſimi, qui nomine Regis ſevere in-

indixerunt ſilentium omnibus, atque demandando, ne quisquam alterum injurioſo verbo, tanto minus manu laceſſere audeat, diſſolvi ſeſſionem illam curarunt: ipſique tamdiu adſtiterunt, donec ſenſim incipiendo ab illis, qui foribus erant propiores, egreſſi fuiſſent omnes: & alii quidem ad hoſpitia, *Radzivilius* autem contulit ſe ad Regem: Cui Rex: *O Radzivili*, inquit, *ad inſtar Diaboli es malus!* Tum ille ad pedes Regis provolutus: *Multa mala verba*, ait, *famam meam lædentia, extorſerunt id a me, ut & meum cor eructaverit unum Verbum, eo loco, fateor, non dicendum: pro quo humillime deprecor Sereniſſimam Majeſtatem V. Regiam, Dominum meum Clementiſſimum. Sed Sereniſſime Rex, dicta volant, ſcripta manent, quæ Univerſum Regnum ita contra me concitarunt, tanquam contra apertiſſimum Reipublicæ Hoſtem.* Tum Rex: *Curabimus*, inquit, *ut amplius nulla mentio fiat ejus rei, tantum Tu etiam omnem depone iram.* Ad hæc *Radzivilius*: *Semper me obſequentiſſimum, & ſui obſervantiſſimum experiebatur S. M. V. R. D. M. C. & nunc talem me præſtabo. Sed tamen Proteſtatio in Acta authentica inducta manebit perpetuo.* Rurſus Rex: *Hanc etiam annihilari curabimus.* Itaque Protocollum in præſentia *Radzivilii* adferri, exindeque Proteſtationem eliminari juſſit. Epiſtolam quoque quæ fuit ad Comitia ſcripta ab Epiſcopo Vilnenſi, & ad

Rex auctoritate interpoſita litem abrumpit

ad manus Marschalci Comitiorum porrecta, una cum Protestatione ex Actis Varsaviensibus deprompta, adferri sibi a Marschalco curavit, & in præsentia *Radzivilii* discerpsit. Et hic fuit istius importunæ litis finis. Quod tamen alta mente *Radzivilii* repostum mansit, juxta illud; *Scribit in marmore læsus: & stimulis fibras ejus jam toties læsas majoribus implevit, calcarque addidit, ut ad præcavenda similia quam maxime esset attentus.*

Præsertim quia iisdem in Comitiis, dum hæc in Congregatione Nunciorum Terrestrium agitarentur, in Senatu præsente Rege *Jonas Schlichtingius*, Vir Religionis Christianæ, ad differentiam aliarum dictæ Unitariæ, ad Comitia Regni, mandato Regio evocatus (quod nomine Ecclesiæ ejusdem Religionis conscripsisset Symbolum Apostolicum, quod viguit in Primitiva Ecclesia Christi, atque loca Scripturæ sacræ, ex quibus Symbolum illud concinnatum esse probatur, in compendium redegisset. De quo quidem Opusculo, dum Episcopus requisivisset censuram Academicorum, responsum dederunt: *Hic ea solummodo adferuntur, quæ in Sacris Litteris continentur: itaque disputandi contra hoc scriptum locus non datur, nisi quis velit tota Biblia tollere; solummodo admonendus esset auctor operis cum suis Asseclis, ut plura etiam quæ credere præcipit Ecclesia Romana, Confessioni suæ addant*) & ideo in pœna perpetuæ

Judicium in formulam Confessionis Unitariorum

petuæ Infamiæ, Confiscationis omnium bonorum, & insuper Capitis condemnatus est. Ipse quoque Libellus damnatus est ad rogum, & ibidem Varsaviæ in instanti per publicum Carnificem, in quatuor angulis fori prædictæ Civitatis combustus fuit: cum assignatione similis pœnæ illis omnibus, quicunque opusculi combusti paria reservare, & illa legere ausint.

Nunquam tamen vel prædictus Princeps *Radzivilius*, vel alius ullus Dissidentium in Religione Christiana ab Ecclesia Romano-Catholica talia tentarunt, qualia fecerunt privatis de causis ipsi Romano-Catholici, (utpote *Radziejorvski*, Vice-Cancellarius Regni, qui Suecos in Poloniam adduxit, & *Lubomirski* Supremus Regni Marschalcus, qui apertum bellum contra Regem *Joannem Casimirum* suscepit, Exercitum ipsius aperto Marte profligavit &c. quæ siquidem lippis & tonsoribus sunt nota, non est necesse, ut ea referam) *Radzivilius* vero altum premens corde dolorem, nullam unquam meditatus vindictam; sed tantum de adhibendo licito remedio, ne talia sæpius evenirent, multum erat sollicitus: hoc unum efficacissimum esse arbitratus, ut, si forte contigerit *Uladislaum Quartum* Fato concedere, postea talis ad dirigendas Regni habenas admoveretur Princeps, qui memor obligationis suæ in Rota (seu formula) Juramento contentæ, non permitteret concives, & commembra commu-

munis Patriæ, quibus alia etiam Jura, & Privilegia Regni pariter, & ex æquo, prout cœteris, suffragantur, ita alia ab aliis lædi, ut pars potentior debiliorem aggravaret, ea præsertim in parte, quam perfectissimus Architectus in universa corporis humani structura delicatissimam esse voluit, & sibimet ipsi reservavit, videlicet pupillam conscientiæ; & qui ceu Supremus Justitiæ Arbiter in eo Officii sibi a Deo commissi præcipuam collocaret partem, ut quisque seu major, seu minor, concessa ab antiquis Augustissimis Prædecessoribus frueretur libertate; & quemadmodum omnia sub eodem corporis Reipublicæ capite æqualiter supportat onera, ita etiam in Immunitatibus æquali gauderet Jure: talia secum meditatus, nihil tamen præcipitanter egit, donec Fatis e numero viventium exempto Uladislao Quarto, egregia ipsi & per omnia licita, ac legitima intentiones suas in finem deducendi affulsit occasio; promovendi nimirum (sine præjudicio ullo Regni, aut cujuspiam privati) tempore Electionis Novi Regis, quæ unicuique Nobili Polono est libera (ut non immerito quidam egregius Nobilis Polonus, cum in Italia peregrinaretur, ibique a quodam Comite ad Convivium invitatus, videns aliquibus Principum ac Comitum diversarum Gentium, utut Adolescentibus priorem præ se locum ad mensam assignari, hac Eminentia inter exteros superbiens, discessum a convivio parabat; cujus

jus rei causam interrogatus dixit, se nulla ratione talem despectum ferre posse, ut aliqui Comites priores accumbant mensæ, quam ille, cum sit Elector Regis Poloniæ, quo audito Pater-familias, existimans simili Dignitate gaudere Electores Regis Poloniæ, prout Romani Imperatoris, summopere illum deprecatus quod ignoraverit in tanta Eminentia esse constitutum, confestim illum præ omnibus Conviviis primo loco accumbere fecit) ad Dignitatem Regiam superius memoratum Principem *Georgium Rákócium Seniorem*: in quo promovendo non solus *Radzivilius* laboravit, sed aliorum etiam Procerum Regni studia eodem collimabant (cujus rei mentionem fecit *Joannes Bethlen* in Historia (a) sua) & idem videre quisque potest, ex Sententia *Visniorviecii*, superius inserta; nec excidisset voto suo *Rákócius*, nisi Supremus rerum humanarum Moderator suum subtraxisset calculum, qui eo plane tempore, quando Legati *Rakocii* negotium hocce coram Regno Poloniæ agitatum, jam ad umbilicum deducere sunt visi, ex hac luce ad perfectiorem illum avocavit, (b) & hac ratione omnes super hoc negotio conatus dissipavit: nihilominus non exiguum Regni Poloniæ desiderium

(a) Comentariorum de rebus Transil. Lib. I.

(b) Uladislaus Rex Poloniæ obiit 1648. 22. Maji. Rákótzi vero 11. Octobris ejusdem anni, ætat. anno 55.

derium in Filium quoque derivavit. Qui exemplo Parentis sui benevolentiam Polonorum primo quidem officiis boni Amici, Polonisque prout gratissimis, ita & peropportunis occupari variis modis non intermisit, præcipue dum perlato ad se rumore, quam gravi essent impliciti bello, sibi a Cosaccis simul, & Tataris illato ratus hanc maxime commodam conciliandæ illustris Nomini suo Famæ occasionem sibi oblatam ultro per *Joannem Bethlen* subsidium, Regi, & Regno Poloniæ contra hostes eorum obtulit, & promptitudinem hancce suam Polonis gratissimam esse cernens, aliquot Millia Selectissimi Militis in Valachiam Cis-Alpinam contra *Lupulum* Regni illius Dinastam expedivit, sub Generali *Joanne Keměny*, qui conjunctus cum copiis Polonicalibus, postquam arcta obsidione cinxisset Arcem dictam *Szucsava*, cui tuendæ pro Præsidio cum forti manu Cosaccorum impositus erat Gener *Lupuli*, filius Chmielnicii Hetmani Cosaccorum, nomine *Timotheus*, illamque strenue oppugnasset, emisso e grandiori tormento globo ipsum *Timotheum* tormenta Arcis obsessæ dirigentem fragmento rotæ, tormenti ictu globi emissi avulso crus ejus confringens e medio Præsidiariorum sustulit; quo cadente, cœteris in dicto Fortalitio inclusis, necessitas est imposita honestis conditionibus cum Polonis transigendi: ad Castra etiam ipsiusmet Regis *Casimiri*, sub regimine *Mi-*

Michaelis Mikes, ad *Zwanietz* non contemnendam stipendiariorum militum manum miserat: quo egregiam, & maxima cum laude conjunctam operam Regi navante Tatari in id sunt inducti, ut relictis antiquis sociis suis, nimirum Cosaccis, posthac Polonis adhæserint: pro quo quidem præstito Officio ipsius Officiales & indigenatu donati videlicet *Franciscus Rákóczi*, *Franciscus Rédei*, *Joannes Keměny*, *Stephanus Petki*, *Michael Mikes*, & condignis muneribus exculti: & ipsi etiam Principi *Rákócio* promissa est commoda occasione, condigna gratitudo. Cujus promissi memores Poloni, postquam post varias rerum suarum, durante bello Cosaccico, vicissitudines (prima & secunda parte Historiæ expositas) charissima Mater, scilicet Patria sua in gravem, ac plane læthalem incidisset paroxismum, quando videlicet varii Reipublicæ Hostes, utpote, ab occasu *Sueci*, a Septentrione *Mosci*, & denique *Cosacci* quasi ab Oriente, cum magnis copiis militaribus, uno eodemque tempore ad subversionem Regni conspirantes, non solum omnes Regni partes inundarunt, & longe lateque peragrarunt; verum etiam in tribus locis, in una septimana Exercitum Polonicum sub diversis Ducibus profligaverunt, & in tantas redegerunt angustias, ut denique nec locus reclinationis iis, quos extremo periculo mortis sors clementior exemerat, intra pomœria Regni daretur; sed multi, opu-

opulentiores præsertim, in *Hungariam* se contulerint; similiter etiam ipse Rex *Joannes Casimirus* in Silesiam se recepit: quando ii, quibus non erat modus extra Regnum sese subducendi, vagi, & palantes incertis sedibus, aut potius latibulis coacti sunt sese continere, (quod etiam superius est expositum) desperantes de salute Patriæ, desperantes de Rege, nec in ulla alia re salvandi sese spem ponentes; præ erquam, ut in locum *Casimiri* (qui in mediis fluctibus clavò Reipublicæ abjecto, & nave Patriæ suæ relicta, ignavum se declaravit Nauclerum, dum se potius, quam Rempublicam salvare maluit) substituerunt alium, qui afflictæ Patriæ tot annis nubibus variarum adversitatum obductæ, desideratam reduceret serenitatem, & ex imminenti extremo naufragio ereptam, actutum ad securum deduceret Portum (ut fit in rebus desperatis, quod nimirum aquis jam jamque submergendi etiam novaculam arripiunt) unum ex invasoribus Regni (de cujus mansuetudine, & Heroicis virtutibus multo plus sibi pollicebantur, quam de aliis barbarioribus) hoc est, Regem Sueciæ ad fastigium Regiæ Dignitatis promovendum censebant. Cœteri autem extra Patriam collocati, audito eo, cum ipsis de redintegrando *Casimiro* spes omnis decollasse videretur, partim odio aliquo contra Suecum concepto, partim singulari affectu erga Principem *Rákócium* ducti, partim necessitudinis nexu conjuncti, ideoque multum fortunæ suæ per promotionem *Rákócii* accessurum rati; partim denique præcavere volentes, ne Suecus subjugatum sibi armis Regnum asserens, antiquas libertates Polonorum tollere præsumat: multo consultius autem Patriæ suæ fore existimantes, si per liberam Electionem introduceretur Princeps *Rákócius*, qui nullum ad Regnum Poloniæ habens prætextum, sed liberis suffragiis electus, more aliorum Regum omnia Jura Privilegia, Immunitates, citra omnem controversiam solenni confirmaret Juramento, miserunt, (erant autem præcipui tum spirituales, tum seculares Proceres, & non infimæ dignitatis Officiales) Legatos ad Principem *Rákócium*, offerendo ei Coronam Regni, dummodo labentibus rebus illius subvenire sine mora vellet. Et quanquam oblatio illa non erat per omnia sufficiens, ac legitima, quod non fuerit ex consensu omnium Ordinum, nihilominus cognitum habentes, quam prono affectu ducerentur erga dictum Principem reliqui etiam Poloni, persuadebant sibi, & omnino Principi pollicebantur, cœteros quoque in partes suas facile transituros, si ipsum Sospitatorem suum experti fuerint. (cujus rei superius est mentio facta) Sed Princeps *Rákócius* partim quod multis hostibus Regni Poloniæ exponere sese integrum sibi fore nequaquam judicaverit, partim quod de consensu reliquorum Polonorum, super hac voca-

Cur in Regem Sueciæ inclinaverint Poloni

Rákóczi diffidit Polonis

tione

tione per nonnullos tantum ſibi oblata, dubitaverit, partim quod libertates Polonorum modum excedere ipſi ſunt viſæ, ideoque ſupplantandas illas eſſe aliquantulum, putarit; (quod ſi mediante libera electione creatus fuiſſet Rex, nequaquam ſe id effectui dare poſſe, bene prævidebat; atque ad conſequenda ea, quæ in animo volvebat, multo practicabiliora media exiſtimans, ſi communicatis conſiliis, & conjunctis viribus cum iis, a quibus Regnum Poloniæ infeſtabatur, Suecis ſcilicet, & Coſaccis auxilium, ac ſocietatem armorum *Rákócii*, jam tunc temporis ambientibus id ſibi contigerit) oblationem illam Polonorum grato quidem animo acceptavit, nihilominus quaſi maturioris deliberationis gratia ſuper reſponſo dando, in alìud tempus id diſtulit: interim cum Rege Sueciæ tum per Legatos illius ad ſe miſſos, tum per Litteras, tum denique per proprios ad Suecos expeditos Legatos (utpote per *Franciſcum Szebeſi*, per *Nicolaum Jacab-falvi*, & Nobilem Polonum *Kaſakowski*, qui etiam capti erant a Polonis, quando aliquos Suecos penes Civitatem *Warka* profligaverant) communicationes & conſultationes varias inſtituit, ſimul & cum Coſaccis, quamvis ad invicem ſpecie tantum fuiſſent amici, mutuo autem ſuſpecti, reipſa infenſi. *Rákócio* itaque tergiverſante, interim alii Sueco conſtantius adhæſerunt, & quod erat majus, Caſimirus per Tataros, & aliquos Polonos,

nos, qui nomina ſua Sueco non dederant, ex Sileſia revocatus (quod ſuperius expoſitum eſt fuſius) ex iis quoque, qui in partes Regis Sueciæ tranſierant, complures, (poſtquam vidiſſent ſe a Moſcis, & Coſaccis reſpirium eſſe nactos, ſpe ea freti, quod reſtantes ſolos Suecos (paucitatem illorum contemnendo) facili negotio unitis viribus ſint exturbaturi, & ex tot Labyrinthis Rempublicam in priſtinum ſtatum reducturi) ad obſequia *Caſimiri*, relicto *Carolo Guſtavo*, ſunt reverſi; & ſic præter opinionem facies Reipublicæ in aliam formam eſt verſa. Ideoque illi etiam qui aliquot menſes ante Patriam ſuam in deſperatis caſibus poſitam cernentes, ſuam in promovendo *Rákócio* ad Coronam Regni obtulerant operam, viſa inſperata revolutione rerum in mediis, a cœptis ſuis ſuperſedere ſunt coacti, præſertim quod *Rakócius* fronte capillatam intermiſiſſet occaſionem. *A Rákótzio jam averſi animi Polonorum*

Rurſus Poloni, ſiquidem illis ſocietas Tatarorum prout damnoſa, ita & exoſa fuit, Moſcorum quoque, & Coſaccorum armiſticium valde fragili nitebatur fundamento, fidem gentis utriusque valde ſuſpectam habentes, allaborantibus iis qui favebant *Rákócio* (non tamen jam *Radzivilio*, quia ſub finem Anni 1655. e vivis morte naturali exceſſerat, & vivus etiam nunquam viventibus vel *Caſimiro*, vel *Uladislao* Regibus, quicquam tentaverat tale, quod alicujus perfidiæ notam ſibi inurere potuiſſet, aut

quopiam ex numero Dissidentium privato,) sed ex consensu Regni anno sequenti videlicet 1656. miserunt ad eundem *Rákócium*, nomine totius Reipublicæ Legatos Reverendum *Albertum Prazmovvski*, & *Gabrielem Silnitzki*, novis conditionibus cum dicto Principe transacturi (qua de re fusius supra) sed quia tunc temporis quoque modo ad Orientem, modo ad Occidentem respiciens, & anceps, utrum cum Polonis, de Regno periclitantibus, eamque ob rem auxilium suum implorantibus, an vero cum Suecis, & Cosaccis, qui priores ipsi sunt visi, fœdus sit ineundum, nihil alacri animo legit. Imo præsentibus Legatis Polonorum, cum Legatis Suecorum, & Cosaccorum studio aperte tractatus, & quasi in despectum Polonorum convivia cum iisdem instituebat: ideo infectis rebus illi etiam recesserunt: quæ tamen res bilem valde movit *Rákócio*.

Denique quando prælio ad Varsaviam eodem Anno cum Suecis commisso, Sueci insigni victoria, & dicta Civitate fuerant potiti, aliquis Amicorum nuncians *Rákócio*, quam infeliciter res Polonis cesserit, monuit, ne fortunæ suæ, simul & rebus Polonorum desit. (Prout patet ex Epistola inserta) Sed nec tunc quoque Princeps *Rákócius* voluit facere quicquam pro parte Polonorum; imo potius in contrarium postulatorum Polonorum alacrius cœ-

cœpit cum Suecis, & Cosaccis jam dudum inchoatos Tractatus continuare.

Quod aliqua ratione præsentiens *Lubomirski* Marschalcus Regni Poloniæ affinitate cum Principe *Rákócio* junctus, cum consensu Regis ablegavit ad dictum Principem Virum solertissimum, & prudentissimum *N. Kojakovvski*, Venatorem Præmisliensem, per quem modis omnibus in id incumbebat, ut illum a Pactis cum hostibus Regni Poloniæ ineundis avocaret: qua in re tanto majori cum sedulitate laborandum sibi esse duxit, quia probe noverat, quænam remedia Respublica Polona ad sui sublevationem jam adhibuerit: ac proinde optime prævidebat desperatum hocce Principis *Rákócii* consilium, nequaquam feliciter, ac bene illi cessurum. Sed quamvis prædictus Legatus nihil intactum reliquerit in avocando Principe *Rákócio* a proposito suo, tamen apud obstinatum animum, nullæ vel validissimæ rationes locum habuerunt, quapropter iste quoque Legatus cum tali tantum responso remissus, quod promiserit Princeps, se per proprium hominem brevi categoricam resolutionem daturum.

Hac itaque interveniente Legatione, adhuc Princeps *Rákócius* Tractatus cum Suecis, & Cosaccis in suspenso relinquens, misit Aulæ suæ Familiarem *Thomam Mikes*, Virum sagacissimi ingenii ad *Lubomirscium* Marschalcum Regni Poloniæ nunciando per eundem, jam fir-

Spondet Rákótzius se venturum in Poloniam

firmiter ſecum conſtituiſſe cum Comitatu dignitati ſuæ Principali convenienti, ire in Poloniam: quandoquidem & ante Annum a quibusdam, & hoc ipſo currenti Anno per ſolennes Regni Legatos invitatus fuerat, ſperans futurum, ut cœpta negotia, nec tamen hactenus in finem deducta (præſentia ſua omnes difficultates amovente,) multo facilius felicem eventum ſortiantur: (ſperabat autem *Lubomirſcium*, comperta ſua intentione calcar ſibi additurum, & aliquam promotionem ſuam promiſſurum.)

Ab hoſtilitate dehortatur Marſchalcus Regni

Marſchalcus vero Regni Poloniæ, n mpe *Lubomirski*, re bene comperta, ex Legato Principis *Rákócii*, illum multo alio fine, quam ſibi id erat a Republica Poloniæ per *Prazmovium*, & *Silnicium* propoſitum, expeditionem hanc ſuſcepturum: quod videlicet non ad defenſionem Poloniæ, ſed ad illam occupandam, ſubſultus copiis hoſtium Reipublicæ ſit venturus: præterea optime cognitum habens, qualia remedia Patria ad avertenda mala ſe prementia, jam tunc ſibi comparaverit, quod nimirum contra Suecos concitaverit Danos: Moſcos autem ne ſe invadant, imo ut contra ſe impetentes ſuppetias ferant, variis promiſſis demulſerit: Coſaccorum vero moles, ut ſe domi contineat, Tataros id ad inſtantiam Regis effecturos: imo etiamſi aliqua *Rákócii* contra Polonos molimina adverterint, illas eosdem eſſe retardaturos:

turos: Turcas *Rákócium*, quominus Polonos armis infeſtet, prohibituros; Imperatorem Romanorum, ſi & in qu ntum Amicabilis ſua apud Principem *Rákócium* interpoſitio (ut abſtineat a Polonis bello laceſſendis) illum a propoſito iſto revocare non poſſit, certiſſimum Polonis ſuccurſum promiſiſſe; hæc omnia prout Vir prudentiſſimus, & omnium conſiliorum Reipublicæ intime gnarus, ac proinde prævidens, niſi *Rákócius* tam multis ſibi contrariantibus viciniis, ab intentionibus ſuis deſtiterit, illum plurimis, iisque inexplicabilibus malis ſeſe intricaturum, prout ipſi amiciſſimus, eripere eundem de præſentiſſimo rerum diſcrimine ſincere cupiens, miſit ad illum iterum Affinem ſuum *Nicolaum Stanislawski* dictum, magnæ in Polonia exiſtimationis & magni ſtemmatis Virum, omnibus modis diſſuadens propoſitum Principis.

Contemptis conſiliis fœdus cum Suecis, & Coſaccis facit

Sed Princeps *Rákócius* (ejusmodi ingenium habens, ut id ſaluberrimum reputaverit, quod ſibi maxime placuerit; vel fortaſſis Fatis illum ad exitium trahentibus) ſpretis omnibus rationibus ad retrahendum ſe ab illo propoſito adductis: imo pro aliqua ſui illuſione id reputans, quod Poloni (ut dictum illius referam) quaſi penulæ loco, quam imminente pluvia quisque arripit, illa autem ceſſante mox eam deponit, ſeſe reſervando, pariter ſecum procedant: dum videlicet nimium premuntur, ad illum confugiunt, poſtquam autem nacti fuerint aliquod re-

respirium, rursus illum derelinquant: seposita omni cunctatione, Tractatus qui adhuc in suspenso hærebant, tam cum Suecis quam cum Cosaccis concludit. Quorum summa hæc fuit: *Regi Sueciæ cedere debuit Major Polonia, Pomerellia, Livonia, & Urbs in Prussia ad portum maris sita, Gedanum, sive Dantiscum dicta. Principi Brandeburgico, ad ea quæ hactenus in Prussia possedit debuit adjungi Prussia Regalis. Principi Rákócio deferebatur Minor Polonia, Magnus Ducatus Lithvaniæ, Ducatus Russiæ & Masoviæ: in quibus quicquid Sueci armis occupassent, & præsidio suo retinuissent, id totum, quam primum eo Princeps pervenisset, eidem resignandum promittebatur: Cosaccis denique Ukrajna indifferenter relinquebatur, cum plenario eorundem Jure; & nova libertatum confirmatio promittebatur.*

Fœderis capita

Quorum quidem Tractatuum conclusiones (siquidem nec Rex Sueciæ, nec Supremus Hetmanus Cosaccorum *Chmielnitzki* in personis suis adfuerunt, tunc in instanti neque per *Rákócium*, neque per Suecos Juramento erant confirmatæ; sed id dilatum fuerat ad illum terminum, donec ambo in unum locum convenirent: cum *Rákócius* reipsa hisce Conclusionibus satisfacere visus fuerit, quod in persona sua ad requisitionem Confœderatorum expeditionem bellicam contra Polonos susceperit: a parte vero Cosaccorum initio Anni 1657. in Szamos Uyvar, nomine Universitatis juramentum deposuerunt *Samuel Bohdanowitz* Supremus Judex Cosaccorum, *Joannes Korvalervski* General-Adjutantius Exercitus Zaporoviani, eo addito quod rursus ipse *Chmielnitzki*, & primarii Officiales Cosaccorum id præstare teneantur, idque in præsentia Legatorum Principis; quod præstitit coram *Stephano Horvat* & *Toposs*. Princeps vero Confœderationem hanc cum Cosaccis confirmaturus erat, postquam promissus Exercitus Zaporovianus ad Castra sua venisset.

Expeditionem tamen suam in Poloniam adhuc aliquantulum distulisset Princeps; sed quia ex prædicto ad se Ablegato *Nicolao Stanislavio* cognoverat, Regem Daniæ primo statim Vere invasurum Sueciam, præcavendo ne hac ratione Sueci ex Polonia evocarentur; quod si factum fuisset, multo difficiliores rerum suarum in Polonia progressus sibi imaginabatur; expeditionem suam maturavit: simulque hunc eundem Legatum ad se missum (utpote in devinciendis sibi animis hominum insignis artifex) in partes suas (recepto ab eo fidelitatis Juramento) pertraxit: quæ vel *Lubomirscium* apud Regem, & Polonos magna suspicione involvit, quod existimarent ejus instinctu *Stanislavium* id fecisse. (a)

Interea in Polonia, aliquot in locis Suecos summa celeritate præventos cædunt, Tatari in captivitatem abducunt: aliquot etiam minora for-

(a) Leg. Epist. 253. Tom. I. Epist. Procer.

fortalitia ab illis recuperant: Rex vero Sueciæ expilata Varsavia, Cracovia vero melius munita, Exercitum modo ad hanc, modo ad aliam Regni partem, præstolando anventum *Rákócii* (qua de re jam a Legato suo edoctus erat) circumducit, quæ singula enumerare si velim, magnum fieret volumen. Relinquo itaque ea aliis Historicis, & notabiliora tantum leviter attingam.

Postquam *Lubomirski* jam certo certius cognovit Principem *Rákócium* non solum non supersedisse a proposito suo Poloniam armis infestandi, sed contemptis omnibus rationibus ad id dissuadendum allatis, nec tempus bellandi (aliis bellatoribus observari solitum) expectando, statim sub initium Novi Anni Castra sua promoturum per *Maramaros* versus *Leopolim*: tum propter amovendam a se suspicionem, quam incurrerat apud omnes occasione *Stanislavii* a se ad Principem *Rákócium* missi, in partes vero illius deficientis: tum suspicatus id quod erat in re, *Rákócio* præmii, pro ferendo auxilio, loco promisisse Suecos inter cœtera Cracoviam: illam cum Exercitu Polonico obsedit, strenueque oppugnare cœpit, sperans futurum, si ea de manibus Suecorum eriperetur, ut *Rákócius* viso eo, quod Sueci nihil habeant in propinquo, quod sibi conferre possint, sit forte regressurus; præcipue vero sciens, omnes tres Imperatores Orbis terrarum in illo revocando la-

laboraturos. Sed Suecos invenit melius, quam sperabat, paratos, quapropter oppugnatio illa in longius tempus est protracta. Hoc tamen certissime verum, nisi *Rákócius* tam cito Suecis subvenisset, illos propter defectum commeatus, quo jam premebantur, diutius obsidionem sustinere minime potuisse.

Rebus itaque suis Princeps *Rákócius* modo recensito constitutis, (nimirum non juxta postulata Polonorum, in auxilium eorum contra hostes Regni Poloniæ Suecos & Cosaccos, sed potius inita cum illis societate armorum, contra Polonos, dissimulata quidem aliquantisper hostilitate, quæ tamen mox in apertum erupit, sub ea larva, quod ad continuandos cœptos cum Polonis Tractatus adventaret) statim primis diebus Januarii Anno 1657. movit de *Szamos Uyvar* cum Exercitu ab Maramaros, quo postquam aliquot dierum spatio pervenisset, ibique universas copias suas militares contraxisset, primo cœlum ipsum cœpit ei adversari, & intentionibus ejus obicem ponere. Etenim eodem mense Januario deciderunt maximæ pluviæ, quas tantæ subsecutæ sunt exundationes aquarum (quod pro malo omine a multis reputabatur) ut vix locus ad consistendum militi in illo tractu concessus fuerit: atque eam ob rem illo ibidem circiter duabus septimanis, cum maxima Incolarum ruina commorante, advenit Legatus Moscorum *Viskinov*, qui conatus Principis

1657. *Rakótzi expeditionem adgreditur molesta anni tempestate*

Legatus Moscorum dehortatur frustra

cipis nomine Imperatoris sui annihilare volens, proposuit, Domino suo certis conditionibus Regnum Poloniæ esse oblatum; simulque monuit, si amicitiam, quam secum non ita pridem Princeps iniverat, inviolatam esse volet, ab invadenda Polonia abstineat, cum declaratione, se illam tanquam propriam Patriam defensurum. Cui respondit *Rákócius*: *Nescio quidem quando, & quales Cæsar Moscorum habuerit vocationes, & oblationes Regni Poloniæ; sed mihi & anteriori, & novissimo tempore legitimo modo oblatum esse compertum habeo. Si vero Cæsar Poloniam suum esse asserit Patrimonium, de eo cominus melius poterimus decernere. Quod autem attinet amicitiam Cæsaris Moscorum, equidem non diffiteor, eam mihi esse pergratam; non tamen tanti æstimandam, ut propter eam Regnum Poloniæ resignare debeam. Si Jus violandum, Regni causa violandum est.* Sic dimissus est Legatus Moscorum.

Aquis post aliquot dies rigore hyemis considentibus & congelatis, atque hac ratione ad prosequendos conatus via patefacta, dum progrediendum esset versus confinia Regni, iterum occurrit alia difficultas. In monte nimirum excelsissimo tam altæ nives deciderant, quales a memoria hominum nunquam fuere, fatentibus omnibus; quæ tantum posuerant impedimentum, ut ne pedestris quidem transire illum montem potuerit, tanto minus Exercitus cum va-

variis oneribus. Quod sciens *Franciscus Rédei* Comes Maramarusiensis, Vir summæ prudentiæ, & maximæ per universum Regnum authoritatis, Principi etiam semper acceptissimus, hac occasione arrepta, dissuadere Propositum Principis volens, in hunc modum instituit Orationem:

Franciscus Rédei Comes Marmaticus dehortatur a cœptis

Equidem Celsissime Princeps D. M. Clm. me nunquam fuisse in ea sententia, ut Celsitudo Vestra bellum inferat Polonis, qui & Celsitudini Vestræ in persona semper boni Amici, & Patriæ nostræ, imprimis vero huic Provinciæ boni fuere vicini, credo perspectum esse Celsitudini Vestræ; interim aperte id dissuadere, ut alias rationes nunc taceam, hanc solam ob causam nolui, quia si id antehac fecissem, & apud Celsitudinem Vestram, & apud cæteros (qui eventum rerum in futuris semper dubium, minus prospiciendo, suum, in iis, quæ placere Celsitudini Vestræ vident, præbendo assensum, gratiam ejusdem sibi aucupantur) dubio procul incurissem suspicionem, me nimirum id dissuadere, ut a Comitatu hocce mala loca illa, per quæ Exercitui transeundum est, concomitantia avertere possim. Sed ecce jam hæc suspicio amota est; siquidem omnia quæ habuerunt Incolæ locorum istorum, consumpta sunt: major desolatio, nisi aliquis ferro, & igne vastare velit, subsequi non potest. Præterea, cum videam Cœlum ipsum conatibus Cel. Vestræ esse contrarium, ausim rogare, desistat

a cœpto itinere. Perpendat C. V. quibus cum auxiliis id aggrediatur? nimirum Suecis suffultus, & Cosaccis. Suecisne confidit Celsitudo Vestra? an ignorat illos toties conquestos esse, se a piæ memoriæ Domino Parente Celsitudinis Vestræ, in illo bello, quod contra Imperatorem Romanum conjunctis viribus gerere cœperant, desertos fuisse? ac proinde metuendum est, ne ars simili deludatur arte. Præterea creditne Celsitudo Vestra illos, quibus Patria nunquam sufficit alendis: sed armis sibi coguntur quærere opes, quam ob rem etiam a cæteris populis Tatari Christiani dicuntur, usque adeo esse liberales, ut quæ in Polonia non sine cruore suorum nacti, ea aliis concedant gratis? nisi summa ad id adigantur necessitate, nimirum quod retinere ea non possint. Semper enim facilius obtinentur Provinciæ, quam retinentur. Non inscite quispiam protulit: Quærere Regna minus; parta tueri, plus est. Illi quoque cum non possint ipsi ea quæ eripuerunt aliis, retinere, Celsitudini Vestræ, (ut seipsos ex Labyrintho explicantes, alium inexplicabili involvant Periculo) promittunt tradere. Cosaccosne, (ut taceam quam perfidissima sit gens, & ipsi hæreditario Regi suo fidem servare nescia) quorum Supremi Hetmani Filius ad Suczavam per Exercitum Celsitudinis Vestræ periit, sibi fidos Amicos credit? nonne potius metuendum est, ne subsidii loco, in malum aliquod conjiciant Celsitudinem Vestram, antiquam vindicando injuriam? prout hoc comminatos fuisse nonnullos, non latet Celsitudinem Vestram; nonne recordatur quid retulerit Celsitudini Vestræ ille Legatus R. Sueciæ Grondzki, qui ad illos quidem fuit expeditus, sed quo securius Cracoviam devenire posset, ad Celsitudinem Vestram divertit: qualia de Celsitudine Vestra locutus fuerit Wyhorski Cancellarius Cosaccorum: (retulerat namque ille, quod cum sibi suasissent Cosacci, ut securitatis gratia non hac via, qua ad illos venerat, regrederetur ad Regem Sueciæ, sed per Valachiam, & Transylvaniam ope Principis Regni illius Cracoviam: ille autem veritus salutem suam concredere Principi *Rákócio*, sciens quod ille sit amicissimus Polonis, detrectaret iter suscipere per Transylvaniam: tum *Wyhorvski*, repræsentans ei aliquot Epistolas *Rákócii*, quibus sollicitabat Cosaccos, ut aliquod firmum, ac perpetuum fœdus secum inirent, dixit: ille quidem hoc maxime desiderat, sed nobis non placet sociare arma cum tali milite, qui post fornacem est educatus. Interim tamen non possumus illum penitus rejicere; sed debemus nos quoque illi blande respondere. Jam quia, prout vides, ille tantopere ambit amicitiam nostram, quando te eidem recommendabit Dominus Hetmanus noster, tutissime poteris per Ditiones illius itineri te committere: nunquam enim ille contra nos audebit peccare: cum sciat illud etiam vulnus, quod inflictum est Do-

Grondzkio dicta a Cosaccis de Rákócio

Domino Hetmano, quod nimirum per *Rákócianos* perierit Filius suus *Timotheus*, nondum sanatum esse, & certe adhuc ille aliquando pro eo luet pœnas: quæ quidem eo ordine omnia retulerat Principi *Rákócio* prædictus Legatus in præsentia Comitis *Rédej*, & *Joannis Keményi*) *Omnino utriusque Gentis suspecta debet esse Celsitudini Vestræ Amicitia! Sed cogitet adhuc Celsitudo Vestra hancce expeditionem suam subsequentia mala. Non ita pridem placuit Celsitudini Vestræ inire Amicitiam cum Moscis, eo fine, ut in casum, si quid durius nobis a porta Ottomanica immineret, quod semper timendum, habeamus aliquod Asylum, ad quod tempore necessitatis recurramus. Nunc propter hanc expeditionem, jam Celsitudo Vestra habet inimicitiæ denunciationem. Ex altera parte illud etiam cogitandum, quonam animo Imperator Turcarum hanc Celsitudinis Vestræ expeditionem sit laturus, neque enim facile mihi persuaserim, illum qui Polonos auxiliis Tatarorum sublevat, approbaturum, quod Celsitudo Vestra Fœderatos ejus bello impetere intendat. Turcis autem iratis, qualis posthac manet nos in Transylvania securitas? hancne Celsitudo Vestra nunc firma tenens manu, charissimam item Conjugem, simulque unigenitum Filium, in locum suum, favente Porta Ottomanica, certo successurum, propter aliena, illaque ambigua in discrimen conjiciet? Sed quid de Imperatore Romanorum cogitat? Putatne se hac via*

via (dum Polonos modis variis, imprimis autem nexu Religionis ipsi conjunctos, oppugnabit) illum Amicum sibi paraturum? Vel vero tres Imperatores, quorum duo sunt proximi, & plane in faucibus illorum Transylvania est collocata, propter unum Regulum, illumque tot intervallis locorum a se dissitum, & trans mare positum, & propter ineptissimos rebelles, inimicos sibi Celsitudo Vestra reddet? Vel etiamsi in Polonia Celsitudo Vestra rebus potita fuerit, illosne sibi bene affectos fore putabit, quos subjugabit? Nunquam hoc sibi polliceatur; quod enim metus extorquet, diuturnum non est. Si autem (quod Deus avertat; quippe incerta Martis alea) aliquid adversi Celsitudini Vestræ contigerit, quo se in tali casu converteret? vel quorumnam auxilium imploraret? cum sibi omnes vicinos infensos haberet. Vel, quis tunc status communem nostram Patriam maneret? quando quivis vicinorum spretam amicitiam suam nobis exprobraret? Parce itaque Princeps Gratiosissime Tibi, parce charissimæ Conjugi, multis lacrymis id a Te exoranti; parce succrescenti Filio, cujus educationis cura nulli magis, atque Tibi incumbit: parce Patriæ, ut conservando illam, in hac, cum qua ad manus Tuas devenit, integritate; merito ab omnibus Patris Patriæ deprediceris nomine: parce tot Proceribus, quos tecum ex Patria educis, ne illos in aliquod conjicias discrimen: parce Nobilitatis Transylvanicæ flori, ne

ne si contingat illum cadere, & ipse cogaris in perpetuo marcescere mærore, & plurimas Matronas ineffabili afficias dolore: parce Religioni, ne forte mutato Reipublicæ statu, & illa minime exoptatæ subjiciatur Reformationi: parce his omnibus, & nobiscum mane Celsissime Domine! (a)

Sed surdo fabulati sunt

Ad hæc Princeps *Rákócius*: *Sperandum mi Domine, & audendum: Dii meliora largientur, quam homines augurantur. Audaces Marsque, Deusque juvat: ex omnibus difficultatibus eluctandi Fata viam invenient. Videt Deus cor nostrum, quod hæc omnia promovendæ Religionis gratia facere velimus, ideoque Deum propitium nobis fore certo credimus: favente autem Numine naviges vel vimine. Nunc autem juxta illud: Cum Jove manum move; & Vestra Dominatio jubeat Officiales Comitatus, ut confestim huc universum populum adducant cum palis ad dimovendas nives, & mox amovebitur difficultas ista, quæ Dominationi Vestræ videtur esse insuperabilis.*

Concurrunt itaque undique homines, & aliis quidem, scilicet Militibus ingenti frigore al-

(a) Perlato fama publica hoc *Rhédei* consilio ad Portam Ottomanicam, & in *Rakótzium* Turcæ accendebantur, & *Rhédejo* studia procurarunt. Vix enim eodem adhuc anno 1657. ex infausta expeditione *Rakótzi* rediit, petentibus Turcis dejecto *Franciscus Rhédei* suffectus fuit; etsi paucis tantum mensibus præfuerit, *Rakótzio* inter technas iterum electo: facilis privatam vitam amplexus fuit *Rhédeius*,

algentibus, illi multum desudant in aperienda inter nives via; sed vix semitam facere valentibus, Princeps videns majorem quam sperabat difficultatem, præcavendo, ne Poloni in faucibus montium præoccuparent Exercitui suo moram illam ægerrime ferenti, passum, præmittit in Poloniam cum aliquot millibus Equitum Supremum Generalem *Joannem Kemény*, dans in mandatis, ut statim in ipsis confiniis Regni loco commodo consisteret; & adjunxit ei duos Polonos *Kosakovium* & *Grondzkium*. Qui præter opinionem hominum superatis montibus, oppletis nivibus, pervenit ad *Sinorvodzko*: quo viso omnes sunt stupefacti. Fidem enim superabat tali tempore Exercitum illuc transire posse: & hæc ipsa res initio adventanti *Rákócio* magnam peperit laudem, & Polonis maximum incussit metum, quod tam laboriosum, & contra injurias cœli patientem haberet militem. Cum autem in circumjacenti regione percrebuisset fama, ad latus Generalis *Kemény* adesse etiam illos Polonos, compluribus bene notos, confidentissime accedebant *Keményum* Nobiles Poloni, & Magnatum Ablegati, & per ipsos de securitate sua transigentes, quicquid ab ipsis præstolabatur, libenter præstabant: duobus præcipue præcautis, primo, *ne adigerentur ad Juramentum Principi super fidelitate & adhæsione præstandum, eo quod etiamsi quis ter juraverit, avelli tamen a Regno propterea minime possit;*

Keményius auspicato quidem præit in Poloniam

 prout

prout nec Princeps illorum tantum suffragio stabiliri ulla ratione potest; sed si aliquid de Regno prætenderet, eum cum Ordinibus Regni ea de re agere debere. Interea sit contentus, quod illius tractus Incolæ nullam hostilitatem contra Principem exercere, & donec Princeps in Polonia commoraretur, domi se mansuros obligarent: Alterum postulatum Polonorum fuit, *ut quisque in domo sua tutus permaneret; illi autem, quæcunque ad alendum militem requirebantur, libenter promittebant, quæ haberent: pro nihilo dispendium, & jacturam bonorum reputantes, dummodo ad præsens salutem suam lucrifacerent.* Et his quidem Conditionibus, antequam Princeps supervenisset, valde magnus tractus, longe lateque sese extendens, transegit; ex remotioribus etiam partibus ad Generalem *Keménium* mittentibus, Salva guardia, contra adventantes ad Castra Principis Cosaccos, dabatur. Sic milites *Rakócii* visi sunt sibi esse in Patria: Incolæ vero Regni Poloniæ perinde illos, atque Patrios milites excipiendo, & nullam insolentiam ab illis patiendo, satis sibi gratulari nequiverunt; uno verbo: Te Deum laudamus &c. canentes, quod sibi plane in agone constitutis contigerit ista felicitas, quam olim Vates prædixit fore, ut *Vitulus cum Leopardo simul cohabitantes, nihil ab hoc sit passurus.*

Postquam vero eo ubi substiterat Generalis *Keménius*, interjectis aliquot diebus, ipse Princeps cum universo Exercitu advenisset, nempe ad *Sinowodzko*, multum super eo exhilaratus, quod ita egregie Poloni cum militibus suis convenirent: eundem *Keménium* præmisit ad *Stryi*, ut aliorum etiam Polonorum animos, quam optime erga se disponeret. Quod cum bene successisset, rursus Princeps perveniens ad *Stryi*, subito inde Generalem *Keménium* cum majoribus copiis præmisit *Leopolim*, adjungens ei præter *Kosacovium*, & *Grondzcium* adhuc *Stanislavium*, utpote præ illis majoris auctoritatis Virum. Sed cum propius dictam Urbem accessisset, & Exercitum, quem secum habuit, memoratis Polonis, qui ipsi adfuerunt, præsentasset, illi videntes non esse sufficientem militem ad obsidendam Urbem, suaserunt ut potius ad propinquiora loca sese reciperet: quod tamen ille recusavit, sed omnino in suburbiis disponere voluit Exercitum, quem secum adduxerat, & exinde nunciare in Urbe congregatis, nisi sibi dederint claves Civitatis, se in instanti suburbia exusturum: postea tamen ad impensissimam *Grondzcii* petitionem, qui (siquidem ibi habuit carissima sua pignora, metuebat, ne si nimium crudeliter ageret Generalis *Kemény*, intus congregati ulciscerentur hæc super familia ipsius) suasit ut lentius cum gente generosa ageret, & prius mitiora adhiberet remedia, demum si hæc non profuerint, more Medicorum, uteretur fortioribus. Itaque ex colle quodam

Sed ad Leopolim moras nectere debuit

dam repræsentavit (non sine Strategemate) Exercitum, ita ut ex arce optime prospici posset, & mox eundem ad proximos pagos, sed tunc penitus desolatos, reduxit: interim *Grondzcio* demandavit, ut benevolis Amicis suis scriberet, se de rebus incolumitatem Civitatis, & eorum qui erant intus, concernentibus, libenter collocuturum cum iis, vel cum Deputatis ad id ab Urbe Leopolitana, dummodo integra securitate accedere illi eosdem liceret: & has quidem Litteras per Tibicinem misit. Quia vero de sinceritate illius Leopolitani dubitare non poterant, eo, quod secum Obsidum loco Uxorem, & Liberos ejus haberent, sine cunctatione, grato animo, oblatum illud officium ab ipso acceptantes, assignarunt ei locum in quadam curia Nobilitari in Suburbio, & quosdam egregios Viros de medio sui, utpote *Bieganovium*, *Niezabytovium*, *Truskolascium*, *Silnicium* deputarunt, illucque una cum Uxore ejus expediverunt: quod cum renunciassent Generali *Keményio*, atque securitatem ad se mittendorum pepigissent; ille quoque prædictum *Grondzcium*, adjuncto ei *Stephano Pálffi*, cum informatione sufficienti, quæ eo in tempore Polonis intimanda essent, ablegavit: qui postquam coperveni͏ssent, atque cum Deputatis Civitatis abunde colloquia instituissent: ibidem simul omnes cum summa benevoli animi contestatione, noctem peregerunt. Sequenti mane De-

Deputati ingressi Civitatem, mox nunciarunt: *Se quidem ita subito super negotiis tam arduis sine matura deliberatione, non posse dare resolutionem: daturos se tamen illam eadem die promiserunt.* Interim cum scirent aliquas cohortes Quartanorum (a) versari circa Civitatem, qui nullam habent dependentiam a Commendante Urbis, ne, si forte cognoverint, adesse hic homines Principis *Rákócii*, vel in hospitio illos invaderent, vel redeuntibus in via insidias struerent, suaserunt, ut ad præsens *Grondzki* cum sibi adjunctis ad Castra redirent: quibus etiam unam Cohortem Equitum securitatis gratia adjunxerunt, promittentes se per proprium hominem responsum daturos.

Cum tali itaque solum resolutione *Grondzki*, & *Páffi* regressi sunt ad Generalem *Keménium*; quod ipsi non usquequaque placuit. Existimabat enim vel sibi illudi a Polonis, vel

 suos

(a) Quartani qui fuerint, cum sæpius jam facta mentio sit, explicandum nobis est. *Stephanus Báthori* Cosaccorum opera in utilitatem Poloniæ usurus conscripto ex ipsis decem millium exercitui pedestri, & duorum equestri, limites Russiæ atque Podoliæ tutandos commisit contra faciles Tatarorum irruptiones. Sedes eis Urbe *Trechtemirovia* collocavit ad ripam Boristhenis contra urbem *Perejeslaviam*. Stipendium his destinatum fuit ex quarta Regiorum proventuum parte, unde *Quartani* dicti sunt, & apud quosdam *Quartiani*. Verum hæc turma sensim ex ipsis Polonis legi cœpta hodie quoque *quartana* audit.

ſuos Ablegatos rem non ita, prout opus erat, caute, ac prudenter egiſſe. Sed mox in meridie adferuntur Litteræ ad *Grondzcium* in hunc ſenſum exaratæ: *Ipſe probe noſti, Legibus Regni cautum eſſe, ne quisquam (ii autem vel imprimis, quibus defendendi alicujus Fortalitii cura eſt demandata) cum illis, qui hoſtili animo Patriam aggrediuntur, ſponte ſua aliquas conferentias, ſub gravi pœna Legibus contenta inſtituere præſumat. Itaque roga, quæſumus, Illuſtriſſimum Generalem, ne aliquam contra nos concipiat offenſam, quod ad privatum tuum cum privatis Amicis colloquium nullam poſſimus dare reſolutionem. Sed ſi placet Illuſtriſſimo Domino Generali aliquid nobis nomine Sereniſſimi Principis proponere, expreſſum aliquem ad nos mittat Legatum, & tunc contra omne periculum dabimus conveniens reſponſum.*

Quibus perlectis Generalis *Keméný*, dixit: *Video ſane ibi eſſe homines prudentes: nec miror illos ita proceſſiſſe; aliter namque facere minime decuit.* Scribit itaque D. *Keméný* ad Univerſitatem congregatorum Leopoli, nunciansſe velle eo Legatos mittere, dummodo Obſides ſecuritatis illorum ſibi mittantur: interim deliberat, & cum aliis Viris præcipuis conſultat, quisnam mittendus eſſet: ſed, neſcitur qua de cauſa nullus Hungarorum ſubire iſtam Legationem voluit. Deferebat itaque hoc Officium *Stanislavio*: ſed allatis ille frivolis aliquibus ſe ex-

excuſavit rationibus, (in rei autem veritate, puduit ipſum in conſpectum Fratrum ſuorum venire; quod cum fuiſſet Ablegatus ad Principem, ut intentionem ipſius diſſuaderet, ille, loco commiſſæ fidei ſuæ cauſæ, ipſe etiam Principi acceſſiſſet, &, (ſi verum fatendum) propoſitum illius acceleraſſet) Illo itaque renuente, voluit hoc negotium committere *Koſacovio*; ille excuſavit ſe, quod, (prout etiam in reipſa fuit) non polleret tanta facundia linguæ, ut in tali frequentia hominum, qualis ibi ſine dubio futura, perorare, tanto magis ſuadere, aut commendare aliquid magni poſſet. Tandem communi omnium conſenſu, præcipue vero accedente commendatione *Stephani Pálffi*, deſignavit *Grondzcium*, omnibus acclamationibus, illum ſufficientem huic functioni, & omnino etiam convenire, ut, quod per ipſum inchoatum eſt, per eundem etiam in finem deducere- tur: tanto itaque alacrius, quod videret omnibus idem placere, cœpit negotium proponendum Leopoli, intimare prædicto *Grondzcio*, qui quanquam non eſſet ex conventione Famulus Principis, nec ullo Juramento aſtrictus, nec ullo beneficio devinctus: ſed tantum Fœderati ſui, nempe Regis Sueciæ, idque non ad Principem, ſed tantum ad Coſaccos amandatus; nihilominus præteritis diebus, ſuo cum Polonis, in præſentia ipſiusmet Generalis circa tra-

Grondſzkius deſtinatur internuncius Leopolim

 cta-

ctatus processu, maximam sibi conciliaverat confidentiam.

Nec multa interposita mora, nempe postridie summo mane, adsunt Leopoli missi quatuor præcipui Nobiles (inter quos fuit etiam *Silnitzki*, qui superiori Anno cum Reverendo *Prazmovio*, Legationis munere perfunctus erat apud Principem *Rákócium*, Generali *Keménio* optime notus) cum magna caterva concomitantium. Quos postquam salutasset Generalis, dicit: *Quo confidentius D. D. Vestræ de omnibus rebus arbitrari possint, non aliquem ex gente mea, sed Fratrem vestrum ablegare volo, dummodo id fiat in integra securitate.* Qui responderunt: *Non est cur in dubium vocet Illustrissima D. Vestra fidem, ac integritatem Fratrum nostrorum, a quibus missi, parati sumus, sive omnes quatuor, sive prout libuerit Illustritati Vestræ, tam diu hic commorati, donec regressurus fuerit Legatus Serenissimi Principis. Nisi enim sincere agere vellemus, nunquam hanc provinciam subivissemus: quod si insufficientes videmur, mox plures etiam aderunt. Quod vero Fratrem nostrum deputaverit ad nos, hoc erit omnibus gratissimum; cui nos eandem spondemus securitatem, qualis præstanda esset, si vel ex Ordine Senatorum Serenissimi Principis aliquis deputatus fuisset.* Interea dum cœteri varia colloquia cum Generali instituissent, *Silnitzki* evocato *Grendzcio* foras, pro ea familiaritate,

quæ

quæ intercesserat illis in adolescentia, dum sub uno vexillo stipendia meruissent, cœpit illum impensissime rogare, ne Genti suæ hanc ignominiam inureret, quod Fratribus suis aliter fidere nollet, nisi acceptis pro se obsidibus: per omnia sacra sese obstringens, nihil adversi ipsi esse metuendum; cum omnes in Civitate congregati benevolentissimo erga ipsum ducantur animo, quos tanto magis sibi sit devincturus, & Legationem multo majori honori suo cessuram, si hanc erga Gentem suam contestatus fuerit confidentiam. His & aliis multum sollicitatus respondebat *Grondzki*: Se quidem ad ejusmodi antiqui Acharis sui obtestationes minus desiderare Obsides, dummodo acquiescat Dominus Generalis (quod tamen illum facturum minime speravit) postquam regressi in domum, refert *Grondzki* Domino Generali, se sine Obsidibus etiam ire paratum, si hoc placeat S. Illustritati. Qui subridens ait: *De tuo corio agitur, tu videris.* Et tandem manu cum illis stipulata, sub vinculo Juramenti Obsides illos dimisit una cum suo Ablegato, adjunctis tantum ei XVI. Militibus. Ipse autem post discessum illorum Exercitum ad Principem reduxit. Etenim propter intensissima frigora, & inopiam commeatus in illo loco, ante biennium per Moscos, & Cosaccos in solitudinem redacto, commorari diutius nequaquam potuit: quam tamen intentionem suam ablegato antehac denuntiaverat,

rat, (ita tamen ne hoc ad scitum Polonorum deveniret) monuitque, ut expedita legatione recta ad Principem pone se contenderet.

Ingressus Urbem Leopolitanam Ablegatus, summo cum honore exceptus ab omnibus, & confestim ad Prætorium (ubi præter maximum Procerum, & Nobilium concursum Archiepiscopus Leopoliensis, & duo Episcopi illum præstolabantur) introdictus, salutatis Primatibus mox sedere jussus, in hunc modum verba facere cœpit: *Nullus dubito, reperiri non paucos in hoc Nobilissimo Magnificentiarum V. V. consessu, qui cuqetent cognoscere causam, quæ me, (quem hactenus una secum pro salute Patriæ discrimina quæque subire noverant) ad peregrina Castra impulerit. Sed iis qui me penitius noverant, & quibus innata mea ad præstanda debita Patriæ officia devotio, ac promptitudo erant bene cognita, illa ipsa firmissime credo, persuadebunt, (me etiam tacente) non fecisse me talia ad damnum, & injuriam communis Patriæ. Quibus autem non ita clare cognita est, mea anteacta vita, convenienti loco, ac tempore facti mei paratus sum rationem reddere. Ad præsens vero, hoc unum de me scire volo omnes, & singulos, mihi, dum vivo, nihil prius, nihil potius fore salute communis Patriæ, & quomecunque mea sive volentem duxerint, sive reluctantem traxerint Fata, ad servitia Magnorum Virorum, omnium, &*

Oratio Grondscii Leopoli apud Primores

& singulorum, qua privatim, qua publice semper esse paratissimum. Quod autem attinet negotium mihi a Celsissimo, ac Illustrissimo Principe Transylvaniæ Domino Georgio Rákócio commissum, id quidem Sua Celsitudo Principalis majori ex parte exposuit in Manifesto suo, ante Mensem, aut duos præmisso, in quo occasionem ac finem susceptæ suæ in Poloniam motionis declaravit; ad præcavendum tamen omnem errorem, quem ignorantia rerum frequenter secum inferre solet, nunc etiam per me ad notitiam perducit. Quandoquidem ante Annum, vel paulo superius, eo potissimum tempore, quando aliqui in Patria existentes, ad maximas angustias redacti, Serenissimum Suecia Regem pro Domino recipiebant, aliqui vero Proceres Regni, (quorum nomina declaranda sibimetipsi Celsissimus Princeps reliquit) utpote, cum quisque suo sensu abundet, suum assensum super ea re præbere minime volentes, sed libero in eligendo Rege pariter, & ex æquo, atque alii gaudentes suffragio, Suæ Celsitudini Principali vocationem ad Regnum capessendum ultro offerebant: nec minus universa Respublica per Reverendum Prazmorvski, & G. Silnitzki (qui ibidem adfuit) certum contractum de Corona Regni instituerat: quibus rebus accessit, quod Serenissimus Rex Sueciæ, ea quæ hactenus in Regno Poloniæ Jure belli obtinuit, & ad præsens defacto tenet, Celsissimo Principi sponte sua con-

confert: & denique Cosacci jam per aliquot Annos Patrocinium Suæ Celsitudinis Principalis ambientes, suamque omnimodam subjectionem promittentes, tandem etia' impetrarunt, ut illos Clientela sua dignaretur. Quapropter, ut & cæptos tractatus, nondum vero continuatos cum Serenissimo Regno, tanto expeditius in effectum deducere, & modum cum utraque nominata gente, transigendi quam commodissime, sine præjudicio Reipublicæ adinvenire possit, cum Comitatu Dignitate sua convenienti, veniendum esse ad Serenissimum Regnum Poloniæ statuit, parcere subjectis & debellare superbos paratus. Monitas itaque Mag. Vestras vult Celsissimus Princeps, ut cognita intentione sua, si universæ Reipublicæ tam subito consulere non possint, privatis saltem rebus, & saluti suæ consulant, similem Suæ Celsitudinis Principalis prout alii jam sunt experti, clementiam expectantes. Quod si contempta Celsissimi Principis benignitate, aliquid asperius cuipiam acciderit, id sibimetipsi imputare debebit.

Ad hæc responsum est in hunc modum: *Intelleximus quidem quid vult Celsissimus Transylvaniæ Princeps. Sed siquidem res hæc quam affectat, est valde ardua, ac proinde magna indiget deliberatione, rogamus ut citra offensam secedat aliquantisper ad hospitium, nos vero expedita deliberatione responsum dare non tardabimus.* Tum deputarunt aliquot Egregios Viros,

ros, qui ad hospitium deduxerunt Ablegatum, qui etiam cum eodem commorati colloquia de statu Transylvanico, & de ipsomet Principe instituerunt: qui quantum potuit, Virtutes Principis commendavit, a Prudentia, a Magnanimitate, a Mansuetudine, ab Humanitate, temperata tamen Frugalitate, a Justitia, denique a Felicitate, quæ manifesta est rebus bello in utraque Valachia gestis. Regimen etiam Transylvanicum, & libertates Incolarum proxime accedere ad formam Reipublicæ Polonæ, edocuit.

Post multas disceptationes Sole ad Occasum vergente, iterum invitatus est Legatus Celsissimi Principis ad eundem consessum, cui declaratum est: *Placere Universitati de medio sui mittere ad Celsissimum Principem Legatos, & per eosdem, quod apud se concluserit, Suæ Celsitudini Principali exponere: dummodo plena cum securitate illorum in eundo, & redeundo id fiat.* Ad hæc respondebat Legatus: *Persuasum sibi esse valde acceptos fore in conspectu Celsissimi Principis Dominos Ablegatos. Quod autem securitatem illorum attinet, promisit illos expectare, & ad latus usque Principis incolumes deducere, redeuntibus etiam de omnimoda securitate prospicere.* Qua declaratione acquiescentes Leopolitani, in sequentem proxime diem expeditionem Legatorum suorum distulerunt. Principis autem Legatum (collaudato ipsius erga

ga Patriam, & Fratres suos affectu, atque adhibita exhortatione, ut inposterum quoque talem se præbeat, ut universo Regno commendari queat) reductum honorificentissime lautissimo exceperunt convivio: qui magnum cernens apparatum, eos etiam quos arctissimo vinculo agglutinatos sibi habuit, vocari curavit. Munera etiam illi offerebant; sed ad evitandam suspicionem acceptare illa noluit.

Interim Nobilis egregius *Joannes Török* Principis Aulæ familiaris, (quem Princeps, cum se huic expeditioni accingeret, ad residentem in porta suum *Stephanum Váradi* miserat, ut intentionem suam de bello contra Polonos suscipiendo, supremo Vezério aperiat, animumque illius, quidnam hocce in negotio sentiat, exploret) cum tali Vezérii digressus responso, *ut etiamsi Princeps jam in Poloniam ingressus fuerit, acceptis litteris suis, subito ni velit summopere offendere Imperatorem Turcarum, regrediatur.* Sed prædictus Legatus Cracoviam pone Principem perveniens, ibi nescitur qua de causa adhæsit, nec ulterius Principem secutus.

Cracovia etiam a Suecis per Marschalcum obsessis aliqui emissarii, clam sese per Castra Polonorum, subducentes, advolant, per quos *Wirtzius* Commendans Regis Sueciæ valde sollicitabat Principem, ut ad solvendam obsidionem, quam maxime maturaret; nec tardasset, nisi

nisi gravi morbo in *Stryi* correptus voluntate sua diutius detentus fuisset.

Leopoliensium vero Legati, prout promiserant, sequenti die itineri sese committentes, una cum Ablegato Principis, postridie pervenerunt ad *Stryi*, quatuor præstantissimi Viri, nempe *D. Ozga* Succamerarius Leopoliensis Venerandus, & disertissimus Senex, *D. Niezabytorvski* Dapifer Bratslaviensis, &c. *D. Silnitzki* ille, qui in Transylvania apud Principem fuit, & nomine Civitatis Doctor Medicinæ, qui nocte ibidem peracta, adveniente die accedentes Principem, eundem salutarunt, perorante Lingua Latina *D. Ozga* omnium cum laude, quorum summa fuit: *Polonos nunquam vel privatim Principem lacessivisse, ad ejusmodi contra Patriam suam processum: vel publice Regno Transylvaniæ occasionem præbuisse ad se bello impetendos; & omnino præstitisse Principi, ut domi quiescens, & antiquam cum Polonis colens amicitiam, non vero cum hostibus vicinorum suorum sese conjungens, expectasset aliquantum, ut id, quod ipsi ultro offerebatur, tandem pacatis mediis in finem deduceretur. Quia tamen suscepit expeditionem, nec ipsis visum est postulare a Principe, ut infectis rebus redeat, cum viderent id cum diminutione famæ suæ conjunctum fore.* Tandem suaserunt, *si vellet evitare inexpectatum aliquem casum, non niteretur consiliis Suecorum, tanto minus Cosac-*

Consilia sua depromunt Leopolitani apud Rákótzium.

ſaccorum; ſed quod ſibi recta ratio conſervandi ſtatus ſui ſuaſerit, id ſequeretur: præterea *caveret, ne inſolentia militum Rempublicam contra ſe exacerbaret; ſed quo citius id quod in animo habet in effectum deducere poſſet, conſiſtens in aliquo loco ſibi commodo, per aliquem idoneum Legatum renunciaret Regi, ſibi eſſe aliqua cum Sua Majeſtate, & univerſo Regno communicanda, quæ concernant univerſam Rempublicam, atque ad tractanda talia, præfigat tempus & locum, declarando ſe quoque pro eodem termino Legatos cum plenaria inſtructione miſſurum, interim ab omni hoſtilitate abſtineat. Hoc ſi obſervaverit felicem rerum ſuarum ſucceſſum polliceri ſibi poterit.* De cœtero, compactum eſt inter utramque partem hoc modo: *Quod Princeps quidem præcavere debeat, ne Incolis Palatinatus Ruſſiæ ulla damna inferantur. Quod vero attinet commeatum, hoc pro damno non ſunt reputaturi, dummodo parcatur innocuis tectis, & hominibus: Incolæ autem ejusdem Palatinatus, nec conſilio nec armis, nec pecunia quicquam attentare debent contra Principem, donec totaliter cum Regno transegerit: quod & promittere illæſa erga Regem & Rempublicam fidelitate, & præſtare ſalva conſcientia poterant.* Poſtquam enim percrebuerat fama in Regno Poloniæ de intentionibus Principis *Rákócii*, Palatinatus Ruſſiæ, cujus Metropolis eſt Leopolis, obtinuerat generalem exemptionem ab iſto bello, dummodo *Leopolim*, *Samboriam*, *Præmisliam* ita defenderet, ne in poteſtatem hoſtis devenirent: quod quidem tunc temporis abſconditum erat a *Rákócianis*.

Et tranſigunt cum Principe

Et hoc quidem conſilium Legatorum Leopolienſium placuit omnibus; ſed non diu eo tenore, prout ſuaſerant, proceſſum eſt: Quamprimum enim Coſacci, & utriusque Valachiæ auxiliatrices copiæ ad Caſtra Principis pervenerunt, omnia ſurſum, ac deorſum pervertere cœperunt: occaſione primum arrepta inde; quod poſtquam Princeps Caſtra prope Samboriam poſuiſſet, atque incolas Civitatis monuiſſet, ut, ſi ſibi bene proſpectum eſſe vellent, exemplo Leopolienſium ſecum tranſigerent, quod quidem illi ambabus, ut ajunt, manibus arripientes, tempus pomeridianum, & locum in Curia quadam Nobilitati extra Civitatem tractatibus inſtituendis aſſignarunt, ad quem Actum deſignatus fuit ipſe Supremus Generalis *Joannes Kemény*; qui dum eo profectus fuiſſet, ecce caſus inopinatus & valde infortunatus interrupit illud propoſitum. Etenim Frater Germanus Domini Generalis *Balthaſar Kemény*, dum ipſi nunciatum eſſet, Fratrem ſuum abiviſſe Samboriam verſus, de ſomno meridiano expergefactus, ſubito equum conſcendens adjunctis ſibi aliquot militibus, citato curſu, non eo, ubi erat locus tractatibus aſſignatus,

 ſed

ſed quo ducebat via magis trita, videlicet recta ad portam Civitatis properans, incidit in aliquot homines, qui freti ſecuritate tractatuum, exiverant ex Civitate ad tollendum aliquid de domibus ſuis in ſuburbio ſitis, quibus viſis cœpit in illos invehi: qui, quo facilius periculum evaderent tranſilierunt ſæpes, poſt quos ille exploſit ſclopetum: illorum etiam aliquis explodens, frontem ipſius ita petiit, ut ſubito mortuus fuerit. Quod poſtquam relatum fuiſſet Domino Generali, ſtatim ex loco tractatibus deſignato (quo necdum devenerant Samborienſes) diſcedens, cucurrit ad Fratrem, cui jam nihil opitulari potuit. Sic interveniente hocce infelici caſu, illa die, infectis rebus diſceſſum eſt a Tractatibus: interim tum ipſe Generalis, tum univerſus ferme Exercitus vehementiſſime inſtabant; *Hic jam non verbis, ſiquidem Samborienſes laceſſiverunt, ſed armis tranſigendum, & ſanguinem tanti Viri ulciſcendum eſſe.* Super quo caſu ipſe etiam Princeps valde indoluit, erat enim illi ſincere dilectus: nihilominus tamen comperto eo, qualiter res evenerit, civibus etiam aſſerentibus, ſe nec ſcire auctorem facti, ſiquidem id acciderat extra mœnia: præterea quia ratio ſtatus negotiorum cum Suecis conjunctorum, non permittebat aliquam oppugnationis impedire moram: præſertim quod Civitas valido præſidio fuerat munita; præter Cives enim, & alios, qui ex proxi-

ximis locis, eo confluxerant, & efficiebant circiter 9000. hominum, impoſita erant 2000. Germanorum. Sueci autem indeſinenter ſollicitabant, ut Cracoviæ, penuria commeatus laboranti, ideoque valde periclitanti in ſuccurſum quantocyus veniret. Quaproptor Princeps, cum his quoque iisdem conditionibus transegit, prout & cum Leopolienſibus. Quod plus juſto offendit animos plurium, paſſimque clamare cœperunt: *Videmus Principem tanti facere ſanguinem Hungaricum, atque alicujus viliſſimi canis, & dummodo placere poſſit Polonis, ita nos penes ſe huc atque illuc circumducere velle, atque canes venaticos loris detentos.* Et multa alia his ſimilia vociferabantur.

Quia autem Princeps valde anxius animo de Cracovia obſeſſa ſummopere deſideravit cognoſcere, qualiter res ibi ſuccederent, plane eo tempore, quando Generalis *Keměny* diſceſſurus erat verſus Sambor ad illos infauſtos tractatus, expediverat cum ſelectiſſimis Mille equitibus *Franciſcum Ispán*, dans in mandatis ut per ſubmontanas Regiones, abjecta mora tenderet verſus Cracoviam. Quod eo fine inſtitutum, ut fama adventantis Exercitus *Rákócziani* quam velociſſime deferretur ad Caſtra Polonorum *Cracoviam* oppugnantium, ſperans futurum ut fama ejusmodi ad illos delata, obſidionem ſolvant; quod ſi in itinere cognoverint jam ſolutam eſſe obſidionem regrediantur ad ſe via

via Regia per *Jaroslaviam*, & ultra *Cracoviam* versus tendenti. Qui postquam emensi fuissent circiter duodecim milliaria a *Samboria* inter Civitatem *Sanok*, & *Mrzyglod* certis indiciis cognoverunt, jam Marschalcum Regni solvisse obsidionem. Quapropter juxta mandatum sibi datum diverterunt *Jaroslaviam* versus. Cumque ad noctem peragendam ad Curiam cujusdam Nobilis omnes sese contulissent: quod ideo factum quod miles a rapinis facilius cohiberi posset; Nobilis ille sequenti die volens gratitudinem suam contestari erga *Franciscum Ispán* (quod ita rem egerit, ut nulla in re per Milites damnificatus fuerit: præter aliqua ad victum spectantia, quorum jacturam ille pro lucro reputavit, quod ipse cum universa familia & bonis suis salvus manserit) indicavit illi mane, Exercitum a Cracovia regredientem, eandem noctem partim transegisse in *Tyzcyn*, *Dubietzko*, *Lantzuth*, *Przervorsko*, & Pagis recensitis Civitatibus proximioribus; partim cum Generali *Stanislao Pototzki* in Civitate *Jaroslarv*, ad quem pridie ex variis hybernis confluxerant jam 36. Cohortes, & plures in horas expectabantur, donec superveniret Marschalcus Regni, ut conjunctis viribus irent in occursum *Rákócio*, &, nisi velit annuere instantiæ Imperatoris Romanorum, ut supersedeat a bello Polonico, cum illo de summa rei, armis experiantur: simulque monuit, ut si inco-

co-

columis ad Castra Principis sui (de quo etiam dicit se fama accepisse, illum jam a *Samboria* regressum esse) redire volet, abjecta omni cunctatione, quanta potest cum celeritate iter suum admaturet, antequam Poloni præsentiam ipsius animaverterint. Loca enim illa, in quibus erant constituti Poloni, aliqua erant proxima, aliqua autem in eo ipso tractu posita, qua regrediendum erat *Rákócianis* ad Principem. Quod Consilium æqui, bonique consulens *Franciscus Ispán*, ea celeritate in reducendo milite est usus, ut uno die emensis 10. Milliaribus Pol. sed per loca montosa, pervenerit usque ad fluvium *San*: ubi ex altera parte adveniens alia militum manus, noviter a Principe *Jaroslaviam* versus expedita, audito super glacie strepitu equorum, rati Polonos esse, recesserunt ad Pagum, ibique inter duas amplas tabernas insidias struxerunt. *Franciscus Ispán* vero horum inscius præmisit unum, & alterum militem ad pagum, ut aliquis homo caperetur, qui sibi Dux viæ esset. Qui inopinato incidens in eos, qui insidias quasi contra Polonos struxerant, cœperunt utrinque explodere sclopeta; nec prius cohiberi poterat ille tumultus, donec incensa domus una manifeste qui sint, declarasset. Tunc re bene cognita illi qui cum *Francisco Ispán* ex longiori regrediebantur itinere, diverterunt ad Pagum, ut aliquantulum conquiescerent: qui vero fuerunt recentiores collo-

 cati

cati, ad ripam fluvii *San* excubias agebant. Ecce autem media nocte Legio Polonorum supervenit, quæ insistebat vestigiis Hungarorum. Quæ dum transire voluit super glaciem fluvii *San*, ii qui in excubiis erant relicti, cœperunt illos prohibere transitu, & postmodum tum Hungaris in succursum suis, tum Polonis pariter plurimis supervenientibus, pugnatum est de transitu in multam diem. Interim de his quæ acta sunt, & quæ imminere certum erat, Princeps accepta informatione in diluculo, protinus universa Castra sua non procul ab illo loco posita, promovit, & dato nuncio suis de trajectu pugnantibus, demandavit, ut fugam simulando recurrerent ad Castra, & Polonis transitum concederent. Ipse in campo spatioso inter oppidum *Medika*, & Civitatem *Præmisliam*, universas copias suas in aciem redegit, paratus prælium cum Polonis inire: Cosacci autem cum Valachicis Cohortibus, paulo superiori loco eo, ubi de trajectu pugnabatur, cœperunt transire fluvium. Quo viso de Turri quidam speculator Polonorum nunciavit Commilitonibus suis: qui postquam intellexissent Principem cum universis copiis proxime adesse, paucitatis suæ conscii, quod vix 500. supra mille fuissent; cœteri autem post se adhuc procul in diversis locis aberant, cœperunt lente recedere; *Rákóciani* quoque rati se satis præstitisse, quod hostem a transitu fluminis rejecissent, ipsi quoque recessere:

Prœlium inter Hungaros, & Polonos

re: nec quicquam amplius eo die tentatum. Princeps vero intellecto, Polonos realiter recessisse, Castra sua potiori ex parte in Pago *Torki*, cœteros autem in locis proxime adjacentibus collocavit. Poloni etiam ultra Jaroslaviam sese receperunt. Audita namque indubitata fama de adventu Legatorum Imperatoris Romanorum, noluerunt id committere Marti, quod illorum interventu consecuturos se sunt rati.

Sequenti die cum universis copiis suis Princeps trajecto fluvio *San*, in proximis Pagis constitit, quo Legati quoque Imperatoris Romanorum *Præmislia* advenerunt, utpote Reverendus *Szelepczéni* Cancellarius Regni Hungariæ, Comes *Homonaj*, Comes *Uladislaus Rákóci*, Patruelis Frater Principis, & *Stephanus Barkóci* Senior: quos decentissime quidem excepit: nihilominus resolutionem illis dare statim noluit: sed de die in diem differendo deduxit secum usque ad *Lantzhut*.

Legati Imperatoris adveniunt

(Cujus quidem Legationis summa hæc fuit, instabant nomine Imperatoris quam poterant maxime, ut Princeps abstineret a bello Polonis inferendo: quod si fecerit, & Imperatoris omnimodam gratiam promittebant, & defacto XIII. *Civitates Scepusienses*, quas Poloni jure obligatorio a Regno Hungariæ tenent, deferebant)

Imperator Romanus nomine Polonorum offert XIII. oppida Scepusiaca Rakócio

 Ali-

Aliquas interea militum turmas cognoscendarum intentionem Polonorum causa post Exercitum Polonicum expedivit, (ipse etiam ad *Radymno* processit) ex quibus cognito Generalem *Potozki*, non procul *Jaroslavia* cum Exercitu substitisse circa *Tarnogrod*; expedivit contra illos validam manum Equitum, ex omnibus populis delectorum, Duce *Gabriele Bakoss*, adjuncto ei *Stanislavio*, dans in mandatis, ut ubicunque Polonos invenerit, velitationibus solummodo illos distineat, sibi vero sine mora, ubi adsit hostis, nunciet, ut illis pugnam protrahentibus, superveniendi sibi cum universis copiis suppeditetur facultas. Illis expeditis ipse Castra promovit *Jaroslaviam* versus. (a) Sed concursio illa caruit effectu, afferentibus Hungaris, *Polonos adventu suo perterrefactos turpiter aufugisse*; sed tamen nulla signa relictorum Castrorum, nec ullos captivos repræsentarunt. Aliunde autem adferebatur, quod milites illi, qui cum Marschalco circa Cracoviam aliquot septimanas impenderant, nullum officium militare subire voluerint, donec post exantlatos labores, ac molestias, aliquantulum in

Jaroslaviam Castra promovet Rakótzius

(a) *Jaroslavia* dederat Epistolam ad *Carolum Gustavum*, quæ apud Lunigium habetur Tomo I. pag. 711. item aliam ad *Fridericum Wilhelmum* Brandeburgicum, ac demum tertiam ad *Carolum Gustavum*, in qua sensa depromit circa Pacem ineundam.

in stativis reficerentur; ideoque illos divertisse ad Palatinatus Belzensem, & Volhiniensem; *Potocium* vero audita fama, quod Rex Sueciæ tendat versus Cracoviam, obviam ei processisse, ut ei obicem poneret, quominus possit conjungi cum *Rákócio*: ut interea Legatis Imperatoris Romani plus spatii concederetur, *Rákócium* a cœptis suis avocandi, sed Vistula, (quæ quo inferius decurrit, difficiliorem transitum efficit), obstante conatibus suis, ille etiam aliorsum divertit.

Princeps vero *Rákócius* accepto nuncio, jam nullibi in propinquo esse Polonos, Castra produxit ad *Przervovsko*, ibique reditum *Bakossii*, & *Stanislavii* expectabat. Interim Legati Imperatoris, nil intactum relinquebant, quicquid ab industria humana adhiberi potuit, ut emollire animum Principis possent. Sed incassum laborarunt. *Rákócius* namque partim ingentes animos sumpserat, quod & Cracoviam ad famam tantum adventus sui non amplius obsidione fatigare, & Exercitus *Quartanus* suis cum Ducibus nil contra se tentare ausi fuerint; partim ira nimium exagitatus fuerat, quod nimirum Affinis suus *Lubomirski* Marschalcus Regni, quamvis tam propinquo ad se fuerit loco, attamen nullas cum illo conferentias instituerit,(a) quod

(a) *Georgius* hic fuit *Lubomierskius* affinitate junctus *Rakótzio*, qui datis 1657. die 27. Januarii

quod illum evitandæ suspicionis, qua laborabat apud Polonos, gratia fecisse certum est.) Commorante Principe in *Pryewosko*, pervenerunt eo currus sui numero 16. Quibus Principi *Munkaczino* vinum est allatum. Hi dum transirent penes *Præmisliam*, inciderunt in aliquos Nobiles Polonos, qui cognito jam Principem cum Exercitu procul recessisse, exiverunt ex Civitate plus minus centum, ut cognoscerent, quid actum sit in domibus suis; interim dum obviassent illis curribus circiter cum 30. Equitibus, & aliquot peditibus; indignatione moti, quod tanquam in pacatissima Patria sua ita tuto, ac confidenter deambularent per Poloniam Hungari, impetum in illos fecerunt. Illis tamen sese defendentibus, cum unus, & alter Polonorum globo fuisset tactus, cœteris exclamantibus relinquendos esse in pace, siquidem Princeps transeundo cum universis Castris *Præmisliam*, illam nequidem attigit: & sic permiserunt illis liberum iter: ipsi autem ad proprias domus sese contulerunt. Sed hæc Comissarius ille, qui curribus erat adjunctus, multo aliter cum maxima exaggeratione, quam acriter Poloni in se impetum fecerint, quam strenue sese defenderint, coram Principe exposuit; cum manifestissimum sit, si omnino Poloni currus il-

nuarii ex castris ad Cracoviam litteris *Rakótzium* dehortatur a bello. Legi potest hæc Epistola in Litt. Proc. Eur. Tomo I.

illos deprædari voluissent, potuisse illos ad id effectui dandum habere modum. Ipse enim *Korniakt*, qui erat Ductor illorum Nobilium, per cujus territorium ultra quam duobus milliaribus Hungaris procedendum erat, si modo suos subditos convocasset, vallo etiam illos intercludere potuisset: Sed Princeps nihil horum expendens, verum relationi Commissarii, tanquam Evangelio S. Joannis per omnia fidem adhibens, non secus ira exarsit, ac si aliquis ardentem Caminum oleo perfudisset, quasi vero jam res eo deductæ fuissent, ut Dominis Hungaris per Poloniam, tanquam inter suos Saxones, secure deambulare, & tanquam in hospitio, prædas agere, captivos abducere, alias insolentias exercere, plenaria facultas concessa fuite, st Polonorum vero ea esset conditio, ut ne hiscere quidem jam ipsis, sed ferientium sese ictus extensa cervice sustinere deberent.) Advocato itaque *Joanne Kemény* serio demandat, ut assumpto secum reliquo Exercitu (*Bokoss* enim jam ad noctem ea die expectabatur) præterea omnibus peditibus Germanis, Hungaris, Szemeniis, Cosaccis, simulque tormentis cum Officialibus illorum, *Nicolao Szebesi*, (a) *Andrea Gaudi*, *Conrado Mansfeldo* &c. confestim regrediatur ad *Præmisliam*, & quidem ita procedat tota

Vindicta in Præmislienses paratur

(a) Hunc, nisi duo *Szebesii* fuerint, alibi *Franciscum* vocat.

tota nocte, ut præveniendo famam adventus sui, in aurora illos hostiliter aggrediatur, ac dirutis mœniis insolentissimos illos, & ingratissimos, qui, loco gratitudinis alicujus, quod nuper transeundo *Præmisliam* illos in pace reliquerit, tantum facinus tentare sunt ausi, ut merentur, tractet: in prædam concedat omnia quæcunque ibi inventa fuerint, nec sexui, nec ætati, nec ulli parcendo statui: ut exemplo horum discant cæteri non temnere lenitatem suam.

Nec quicquam auditu gratius, universis jam dudum id expectantibus, contingere potuit: Principi autem nullum periculum superesse credebatur, quod Exercitum Polonicum fugatum esse assererent. Itaque dicto citius arripiunt optatam occasionem, & cum maxima festinatione aggrediuntur. Ex illis quoque qui cum *Bakossio* redierunt, quam plurimi, etiam injussi sese adjungunt; alacriter procedunt.

Hæc dum ita fuissent acta, *Ladislaus Lubienitzki* intimus *Rákócii* Secretarius, accedit circa Occasum Solis *Grondzcium* (qui occasione vulneris ante aliquot dies accepti in hospitio quiescens nihil horum scivit) & ipsi refert hæc omnia. Quibus ille auditis, quantum licuit improbavit hanc expeditionem, rogavitque, ut confestim accederet Principem, & sibi audientiam præstaret. Dictum, factum: veniens itaque ad Principem ille saucius in hunc modum verba facit: *Celsissime Princeps, Domine*

ne Clementissime! Non equidem sum ignarus antiqui Politicorum moniti: Ad consilium ne accesseris, antequam voceris. Verum enim vero ad latus Celsitudinis Vestræ existens, omnem illius prosperitatem pro mea propria Fortuna reputans, & contra, aliqua Celsitudini Vestræ nocitura, (in quibus avertendis vitam etiam impendere sum paratus) ultimam meam ruinam esse credens: nunc intellecto eo ex Fratre meo Lubieniecio, Celsitudinem Vestram mandatum dedisse Domino Generali, ut deleat quotquot Præmisliæ reperiri poterunt: cum videam hoc esse desperatissimum; cum sciam præterea desperata consilia initio quidem esse læta, sed tractu dura, eventu tristia (contestante id quotidiana experientia) rumpere silentium, & vel importune ingerere me Consiliis Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ cogor: quapropter ut me paucula fantem, patienter audire dignetur, humillime rogo. dehortatur Grondzki Rákóczium

Tum Principe clementer annuente, dicit idem *Grondzki*: *Persuasum habeo, si quod unquam Celsitudini Vestræ mandatum, hocce modernum vel imprimis facillime posset in effectum deduci: nam & Civitas ipsa non est ita munita, ut possit tantum impetum sustinere: & illorum qui se eo receperunt, dubio procul jam magna pars diffluxit cum vidissent benignitatem Celsitudinis Vestræ, sibi in transitu declaratam, & cum audivissent Castra jam remotius posita, eamque ob rem nihil hostile metuerent, ac proinde de-*

deficientibus defensoribus, & illis qui adhuc intus reperiuntur, tam insperata sui oppugnatione concidentibus animis; (ut fit in subitaneo casu) ecquis ambigat illos tantæ moli succubituros? præsertim cum certum sit, prout omnes milites summa cum alacritate impetum facturos, sed inprimis Cosaccos, qui hactenus ab ista Civitate bis sunt non sine notabili suorum strage rejecti, ideoque sumendæ vindictæ avidissimi: porro si potiti fuerint Civitate, nemini (etiamsi Celsitudo Vestra ipse in sua persona cohibere illos velit) parsuros. Sed cogitet quæso Celsitudo Vestra, utrum tantum supplicium promeruerint? impossibile namque est, eos qui in itinere aggressi sunt homines Celsitudinis Vestræ, fecisse id ex consensu, & Consilio illorum, qui sunt in Civitate. Si enim super eo consensissent, nonne tanto numero reperti fuissent, ut hos aliquot milites ad internecionem delere potuissent. Sed apparet aliquos Nobiles, ut fieri solet ejusmodi tempore, majoris securitatis gratia simul egressos, cum incidissent in peregrinos tanquam in Patria sua, usque adeo secure versantes, levem aliquem impetum fecisse, postea re melius perpensa, supersedisse. Cogitet quæso Celsitudo Vestra quam multi sunt in Civitate illa, qui nec somniarunt ea de re, utpote honestæ Matronæ, tot parvuli, tot miseri Judæi. Sed quod majus, tot ejusdem Religionis cum Celsitudine Vestra consortes. Qui sospitatorem suum adesse credendo, & sub auspiciis Celsitudinis Vestræ faustissima quæque sibi pollicendo, pro felicibus ejusdem successibus nunc Deum ardentissime orant; Illosne perditum ibit Celsitudo Vestra? Præterea sciendum tam multos illosque præstantissimos Nobiles ibi esse congregatos, ut vix aliqua in Regno Familia supersit, quam illi non attingant sanguine. Cæsis itaque illis, vulnus cruentum universo Regno infligetur. Neque vero huic serenitati ita confidendum, ut non aliquando aliqua nubecula obduci possit, ac proinde ita agendum nunc, ut non pæniteat aliquando: ita nunc delinquentibus iracendum, ne præcludatur via ad reconciliandum: idque tanto magis, quod in animis Polonorum plus efficiatur clementia, & mansuetudine, quam asperitate. Quapropter videat Celsitudo Vestra ne cum sontibus insontium etiam commisceatur sanguis: cum nec Deus Altissimus, quamvis absolutissimus omnium Dominus, tam stricto cum peccatoribus agat Jure. Potius multitudini peccantium parcere solet propter paucitatem innocentium. Ausim itaque & ego humillime Celsitudinem Vestram Principalem rogare, dignetur Conditorem suum imitando, hocce severum mandatum & edictum suum in sententiam clementiorem mutare.

Ad hæc Princeps: *Utinam Deus cum his rationibus in conspectum meum Te adduxisset antequam expedivi Exercitum! Sed nunc quid jam sum facturus? quomodo jam Exercitum revocabo?*

bo? Si id facere vellem, & apud Polonos in levipendium devenirem, & militem meum exasperarem, & impofterum in exequendis mandatis meis, dum maxime opus esset alacritate illorum, socordem & immorigerum redderem, si nunc illos infectis rebus reducerem.

Tum dixit *Grondzki*: *Est modus in rebus. Committat tantum Celsitudo Vestra negotium servo suo, & Domino Generali scribat, ut communicatis mecum consiliis parcat Civitati. Adinveniam modum & honorem Celsitudinis Vestræ tuendi, & conscientiam ejusdem S. C. a lapide offensionis avertendo, & militem contentandi, & illos miseros salvandi.*

Dicit Princeps: *Sed qualiter?* Respondet ille: *Liceat mihi post Dominum Generalem confestim excurrere. Addat aliquot milites: det unum ex Polonis Captivum, qui gnarus viæ recte possit me noctu deducere: postquam vero ad Dominum Generalem pervenero, liceat mihi cum annuentia S. Dominationis, scribere ad Polonos, & per eundem Captivum in Civitatem mittere. Sunt mihi multi noti, multi amici: proponam illis summum ipsis imminens periculum, monebo, ut sine mora, humiliando sese coram Domino Generali, pacem vitamque suam, suorumque parvulorum per depositionem alicujus Summæ redimant: quod facturos nihil ambigo. Quod si neglexerint, Vestra quidem Celsitudo tum coram Deo, tum coram Poloniæ Regno excusata manebit:*

bit: illi autem si quid adversi experti fuerint, sibimet ipsis imputare id debebunt.

Tum dixit Princeps: *Placet, Fiat.* Confestimque aliquot verba scripsit Domino Generali, ut communicato Consilio cum *Grondzcio*, lentius agat cum Præmislienfibus: & prout desidevit, expedivit illum. Qui tota nocte continuando iter, in aurora assecutus est Generalem penes fluvium *Wiar*, ibidemque Schedulam Principis illi reddidit. Qua lecta, dixit *D. Keměny*: *Equidem quando accepto mandato Celsissimi Principis cum Exercitu sum egressus, mihi etiam sic videbatur, ita fieri debere, prout mihi demandabatur. Sed postquam omnes circumstantias penitius penpendere cœpissem, veniebat mihi in mentem quidam Imperator Romanus, qui multis annis felicissimis successibus fruebatur; tandem aliqua ratione ad iram concitatus, cum quadam Civitate ita egit, prout mihi nunc demandatum. Posthac & Fortuna ipsius in pejus mutata, & ipse miserrime periit. Itaque summopere gaudeo, quod mihi talia attuleris, & te tanquam Angelum Dei video. Fac ergo pro tua prudentia.*

Cœpta Grondszkii placuere Keményio

Scripsit itaque Litteras *Grondzki*, & illas per hunc, quem secum adduxerat Captivum dictum *Zolkierski*, ad Civitatem misit, data eidem informatione, ut ipse etiam quæ vidit, viva voce referret, & moneret, ne aliqua temeritate discrimen sibi attraherent. Sed ad il-

 las

las Litteras illa die nihil responsi accepit. Quod videns Generalis *Keměny*, cum aliqua levi manu militum ivit ad perlustrandum situm loci: dumque in suburbiis huc, atque illuc sese contulisset, via quadam abstrusa prorumpentes ex Civitate milites, ex insidiis voluerunt illum intercipere; quod tamen postquam animadvertisset, jussit suos haltatos irruere in Polonos, & illis subito dissipatis, hac ratione contra Polonos (quod illi prius contra se aliquid tentassent) offensus, jussit ut omnes pedites Germanici in hoc suburbium irruerent: ipsi vero Colonello *Andreæ Gaudi*, ut Templum quoddam lapideum, ex opposito portæ Civitatis situm, & præsidio militum munitum occuparet, quod in momento plane factum. Properantibus namque cum incredibili alacritate militibus, protinus defensores illius Templi, eo relicto intra mœnia Civitatis sese receperunt. Quo obtento, confestim ad quatiendam ex illo loco portam tormenta sunt attracta; sed tamen ad instantiam istius Poloni oppugnatio Civitatis in crastinum est dilata. Eodem momento *Conradus* quoque occupavit molendinum ad ripam fluvii *San*, tam prope Propugnaculo angulari adjacens, ut intra horam potuissent illinc cuniculum agere sub ipsum propugnaculum. Trans fluvium vero *Nicolaus Szebesi* cum Semeniis, & Cosaccis obtinuerunt Claustrum Monialium, & supra illud aliquot tormenta attraxerunt, ex qui-

quibus quicunque in Civitate apparuisset, ferire illum potuissent: & quia adhuc supra aggerem molæ superfuit glacies jam debilitata, comportarunt ex variis ædificiis multitudinem asserum, ut ex superstrata glacie tutius assultum facere possent. *Mansfeld* adhuc cum parte peditum Germanorum, & Hungarorum reservatus fuit, ubi major necessitas postularet. His ita dispositis, dato *Andreæ Gaudi* mandato, ut in gallicinio salutaret Civitatem terna tormenti explosione (quod si aliquid prolocuti fuerint sibi nunciaret) ipse ad equitatum, qui collocatus erat penes molam ad fluvium *Wiar* dictum, recessit.

Quamprimum postea *Gaudi* juxta mandatum tormenta explodere directe ad portam cœpit, mox ex Civitate rogarunt, ne inchoaretur oppugnatio, donec collocuti fuerint cum *Grondzcio*. Quod quamprimum nunciatum est Generali *Keměnio*, statim una cum illo veniens ad Templum, ubi erat *Gaudi*, curavit nunciari nomine *Grondzcii*, quod adsit: qui illo ad se prope mœnia colloquii gratia evocato, primo quidem petierunt armistitium trium dierum. Sed quia nec trium horarum concedebatur, pacta securitate Legatis e medio congregationis ad Dominum Generalem ituris, egressi sunt *Wojakowski* (qui a *Lubomirscio* missus erat ad Principem *Rákócium*) & *Mniszek*, & pacificationem cum Domino Generali inivertunt, assu-

Præmislienses transigunt

assumentes in se conditiones illas, quas *Leopolitani*, & *Samborienses* subscripserant. Pro illo vero delicto, cujus occasione militem hunc contra se attraxerant, deprecari debuerunt Principem per proprios Legatos, & summam 20. Millium Fl. exolvere. Præterea ex militibus Germanicis, qui erant in Civitate sub regimine Colonelli *Giza*, permittere, ut liceret Germanis militibus, quicunque vellent, stipendia sub *Rákócio* mereri, in partes suas transire. Sed dum exequendarum prædictarum conditionum gratia a Domino Generali *Keménio* missi fuissent in Civitatem *Georgius Kapi*, & sæpe dictus *Grondzki*, *Gaudi* quoque ad faciendum delectum militum; & illi quidem duo convivio nomine publico fuissent excepti; hic vero Actum sibi demandatum inchoasset, occasione alicujus casualis incendii in angulo civitatis exorti, inflata tuba Tibicen civitatis signum ejus rei dedisset, Generalis *Keménius* dolum aliquem subesse arbitratus, per proprium tibicinem nuntiavit, ut confestim sui Legati regrederentur. Regressi itaque *Kapi* & *Gaudi*; *Grondzcium* vero prope vi retinuerunt, promittentes una cum illo promissam summam referre. Nec multa interposita mora, cum *Grondzcio* retulerunt quindecim Millia Florenorum, residuum vero cum Legatis ad Principem mittendum promittebant se præstituros intra triduum. Sed quia non erat modus commorandi in eo loco pro-

propter inopiam commeatus: hac in re etiam Dominus Generalis gratiam suam erga illos declaravit, quod consenserit, ut residuam Summæ, videlicet quinque Millia Legati illi una secum adferrent. Illi quoque gratitudinem suam contestantes aliqua munera privatim Domino Generali obtulerunt. Colonellus etiam *Giza* nunciavit *Andreæ Gaudi*, se post decursum trium Mensium, una cum Legione ad servitia Principis venturum. Et istæ quidem conditiones cum Domino *Keménio*, tum aliis, qui Deum timebant, erant gratæ, & ipse Princeps ex animo illis acquievit. Sed milites, imprimis vero Cosacci, iniquissime ferebant, cognitoque auctore istius pacificationis, insidias ipsi struxerunt, & nisi illum *Gaudi* ex præsentissimo periculo eripuisset, subito illum ibidem frustillatim dissecuissent. Relictis tandem penes Legatos ad Principem venturos aliquot militibus, recessit inde Generalis *Kemény*, & relicto Exercitu sub regimine *Szebesii*, ut lente procederet, ipse cum paucis sibi adjunctis properavit ad Principem, assumens secum *Grondzcium*, contra quem ab illo tempore stridebant dentibus ferme omnes gregarii milites, quod illis plane de manibus opimam prædam, quam se in Civitate illa acquisituros sperabant, eripuisset: quod ille cognitum habens, nulli rei se posthac immiscuit; sed adjungens sese Legato Suecico adventum Regis Sueciæ præstolabatur.

Et subinde invaluerunt omnia mala; cæde & flamma omnia implebantur; & si aliquando Poloni qui erant ad latus Principis dixerunt talia non respondere promissis Principis in Manifesto expressis: rejiciebant hoc Domini Hungari in Cosaccos, Cosacci vero quamvis in ipso incendio deprehensos Hungaros adducebant, impune id eis dimittebatur. Quo viso Cosacci tanto liberius, & insolentius grassabantur, & in dies tantas sumebat insolentia vires, ut nec præsidium ad bona alicujus tuenda missum, subvenire posset, cum nec ei insuper parceretur. Et hac ratione omnium Polonorum, qui prono animo ducebantur erga Principem, animi abalienabantur. Accidebat frequenter, ut aliqui per eos, qui erant cum Principe vocati, cum Litteris passus, & quidem notabili caterva adventantes, tamen interficerentur: quod dum excusare conati sunt apud suos Poloni *Rákóciani*, hoc non Principi, sed Cosaccis imputandum esse, respondebatur: *Si nescit militem in officio & disciplina continere, desinat illum ductare: cur accederemus ad Principem? quam gratiam ab ipso expectaturi? mea bona omnia exusta, vicini similiter; quid mihi dabit in recompensationem damnorum?* & multa similia proferebant; quæ quamvis Principi & primariis Officialibus referebantur, surdis hoc excipiebant auribus. Cum autem maximam iram concepisset Princeps contra Marschalcum Regni,

gni, quod secum nullas conferentias institueret, potissimum in bona ipsius sævitum est. Quod Civitas etiam *Lantzhut* subivit, nihil proficientibus intercessionibus Legatorum Imperatoris Romanorum: itaque de mediis plane flammis incensæ prædictæ Civitatis recesserunt; Reverendo *Szelepczenio* Cancellario Regni Hungariæ pessima quæque Principi ominante, & comminante.

Szelepsényi cum cæteris Legatis cæsareis impedire nititur vastitatem

Progrediendo quid actum sit, non est quod referam aliud, nisi cædes, cædes, & continua incendia, quibus ardere visa est tota Polonia! Et rogantibus Polonis, qui cum Principe erant, ut adinveniretur modus talia coercendi, respondebatur: Aliter fieri non posse: hæc enim esse ornamenta belli. Interim etiam Legati Præmisslienses advenerunt, & quod erat residuum, retulerunt.

Rákótzi cum Rege Sueciæ congreditur & Cracoviam obtinet

Pervenit tandem Cracoviam Princeps, quæ secundum Pacta cum Suecis inita, confestim est ei tradita: quam tamen non recipiebat a Suecis, sed adjunctis propriis militibus, sub Regimine *Joannis Bethlen*, & *Gaspari Bartzai* præ manibus illorum reliquit. Ipse tertia die inde egressus, & audiens Regem Sueciæ adventare, obviam ei ivit; & pervenit ad Civitatem *Czmielorv*, ubi antegressi nequissimi Cosacci plurimos Nobiles Litteris Principis securos redditos, utriusque sexus, partim necarunt, partim vulneribus affecerunt. Interim Rege Sueciæ

ciæ eodem appropinquante, & Principe ad salutandum eum procedente, dum more solito, salutandi gratia peditatus exoneraret sclopeta, quidam Princeps Regis Sueciæ globo trajectus occubuit. Quæ res diem lætitiæ destinatum, tristitia implevit.

Peracta salutatione Rex Sueciæ Castra sua posuit ad Zarvichost, uno milliari a Principe, ubi commorantes cum invicem aliquot diebus, & de communibus negotiis consultantes, constructo ponte super navibus, transiverunt Vistulam, & ipsi quidem tendebant *Zamoscium* versus, quod obsidere voluerunt. Interim quia Rex Sueciæ, quam primum intellexit Principem *Rákócium* super expeditione sua non requisivisse consensum Portæ Ottomanicæ, valde id improbavit. Ad emendandum vero hunc errorem expediti sunt ad Imperatorem Turcarum a parte Regis Sueciæ *N. Lylicron*, & *Gotthardus Welling*, a parte vero *Rákócii Franciscus Szebessi*, & *N. Thordai*. Qui initio difficulter sunt admissi. Suecis enim dictum est: *Quid nobiscum vult iste Vester Rex, ex tam remotis partibus, trans mare degens? quid nobis cum illius amicitia?* Sed illis ad hæc blande respondentibus, Turcæ etiam facti sunt mansuetiores. *Rákócianis* autem apertam indignationem declararunt; nihilominus etiam illis factum Principis in hunc modum excusantibus, quod cum valde propere exeundum ipsi fuisset in

Legati Sueci, & Rakótziani, ut accepti in Porta

in Poloniam, non potuerit citius requirere Portam; verum tamen in præstandis officiis suis Imperatori debitis, eundem esse constantissimum: præterea promittendo nomine Domini sui notabilem summam Thalerorum; denique quod audivissent Turcæ famam de successibus *Rakócii* in Polonia, veritate majorem, jam cum bono responso Legatos dimiserant. Sed quia brevi post dimissionem illorum, allatæ sunt ab *Hano* Tatarorum Litteræ, nunciantes universum Exercitum *Rákócii* in captivitatem suam esse deductum; confestim illos ex itinere revocarunt, quasi melius aliquid illis responsuri; & receptis ab illis, quas dederant, Litteris, Suecos quidem honeste detinuerunt, donec mortuus est *Velling*; postea superstitem *Lylicron*, sine ullo responso dimiserunt, cum interdicto: ne accederet *Rákócium*. Qui tamen Eperjesino accesserat Principem, jam eo tempore, quando *Gyaluino* accingebat se contra *Franciscum Réjdejum* Medgyesini Comitia Celebrantem. *Rákóciani vero* durius tractati, & diutius detenti, nec prius, quam e vivis excessissent, dimissi.

Ultimo male habiti

Poloni vero qui circa Zamoscium cœperant congregari, cognito hostilem Exercitum transivisse Vistulam, inde in tres partes divisi, *Potocio* cum parte Exercitus, Wolhiniam versus, Marschalco ad submontanas regiones, *Czarnecio* vero Varsaviam versus iter dirigentibus. Quod cum

cum audivissent Rex Sueciæ, & Princeps *Rákóci* (ad malam informationem quasi universus Exercitus Poloniæ conjunctim eo se contulisset) a Civitate *Bolzyce* (remissis majoribus oneribus suis ductu *Michaelis Mikes* Lublinum) cum expeditiore Exercitu, volentes antevertere Polonos, superato fluvio *Vepro*, recta *Varsaviam* versus progrediebantur. Sed & Poloni ex præcursoribus Cosaccis, & frequentibus incendiis cognoscentes subsequi se hostem, celeritate sunt usi, & sic incolumes evaserunt. Quo magis autem inimicos suos distractos redderent, postquam appropinquassent Varsaviæ, rursus in duas partes sese diviserunt: una pars cum *Czarnecio* trans Vistulam navigaverat, altera vero Lithvaniam versus se contulit. Quia autem dicebatur (quanquam falso prout post apparuit) Marschalcum eo digressionem fecisse, Fœderati his auditis, volentes illum alicubi circumvenire, vestigiis illorum insistendo, & postea, (quamvis animadvertissent illos jam tam procul sese subduxisse, ut nulla spes sit illos assequendi) huc atque illuc deambulando, & obvia quæque vastando, pervenerunt usque ad *Brestiam* in Lithvania sitam Civitatem; & ne viderentur nihil agere, illam aliquantum armis perterrefactam, interjectis aliquot diebus, pactione certa interveniente in partem *Rákócii* receperunt, & pro præsidio *Andream Gaudi* cum selectissimo peditatu Germanico, & equitatu Hungarico reliquerunt.

Ibi multum disputatum est inter Regem Sueciæ, & Principem de confirmatione Pactorum, in Transylvania per Legatos Regis Sueciæ hac conditione confectorum, ut, quam primum ipsi Principales in personis suis simul esse possint, eadem proprio Juramento corroborarent. Quod quidem præstare Rex Sueciæ semper erat paratus: sed *Rákóci* propter aliquod mysterium Suecis valde suspectum, de die in diem differebat. Donec tandem Rex Sueciæ revocatus est ad tuendam Patriam suam; quam tantopere jam Danus per irruptionem suam premebat, ut nunciatum ipsi sit ab Incolis Regni sui, nisi redierit, se ab illo defecturos. Veritus itaque, ne quærendo aliena, perderet propria, redire est coactus. Itaque ibidem vale dicto Principi abiit Prussiam versus. Nihilominus tamen ad præcavendum, ne diceretur illum pacta rupisse, reliquit in Castris Principis Generalem *Steinbock* cum tribus millibus armatorum, & continuum Residentem *Henricum Cœlestinum de Sternbach*, illum ipsum, per quem Pacta sunt confecta, cui etiam Albam dederat ad confirmanda Pacta, si Princeps voluerit, subscriptione propriæ manus, & sigillo corroboratam.

Rákótzi detrectat firmare pacta

Rex Sueciæ revocatur ad propria tuenda

Interim Marschalcus Regni Poloniæ *Lubormirski* irruptionem fecit in ditiones Principis *Rákócii*, ibique quantum per vires & occasionem licuit, vicem pro vice reddidit.

Bona Rákótzi impetit Lubomerski in Hungaria

Prin-

Rákótzi obtentæ Varsaviæ præsidium imponit

Princeps vero *Rákóci* a Brestia Castra sua promovit ad Varsaviam, quam etiam cooperante Generali *Steinbock* obtinuit, & præsidium suum in eam introduxit: Ubi dum inutilem aliquot dierum necteret moram, allatæ sunt Residenti Suecico a Rege suo Litteræ, quibus illi mandabat, ut adhuc semel serio loqueretur cum *Rákócio* de Pactis secum confirmandis. Si id fecerit, maneat *Steinbockius* cum Principe ad omnes occasiones paratus, usque ad finem belli: quod si dilationibus adhuc uti voluerit, *Steinbockius* ad se redeat, & Albam secum referat. Acceptis hisce Litteris *Steinbock*, protinus ivit ad Principem, & easdem repræsentans, juxta mandatum sibi a Rege datum, confirmationem Pactorum ursit; sed quia neque tunc facere id voluit Princeps, *Steinbockius* etiam abivit. Princeps vero præsidium suum eduxit Varsavia, quam *Steinbockius* in transitu spoliavit, hominibus tamen intactis relictis. Albam etiam Domino suo a Residente retulit, ipse autem *Steinbock* cum maximo animi sui cruciatu remansit.

atque iterum educit a Suecis desertus

His peractis Princeps a Varsavia Castra sua promovit Cracoviam versus. Sed circa Sendomiriam duplex fama minime grata illi obviavit; tum quod Cracoviam Rex Poloniæ auctus Exercitu Imperatoris Romanorum serio oppugnet; tum quod *Lubomirski* ulciscendo injurias sibi in bonis suis illatas, facta exursione in ditiones Principis, longe lateque illas depopulatus fuerit. Qua fama nimium turbati Domini Transylvani, dum demum viderunt se multum erraffe, quod Generalem *Steinbockium* dimiserint, nec minus, quod *Andream Gaudi* cum selectissimo milite Brestiæ reliquerint. Tum omnes cœperunt sollicitare Principem, ut maturaret regressum in Patriam, ne in absentia sua pejora evenirent. Tum Cosacci cœperunt tumultuari, urgentes ne illos Princeps in locis a finibus suis remotioribus relinqueret, sed ad tutiora deduceret: promittentes se deposita præda protinus redituros, & plures secum adducturos. Nec deerant, qui suaderent sine ulla animi perturbatione, abjecta mora auxilium ferendum esse obsessæ Cracoviæ: alii suaserunt *Gaudium* quatocius revocandum: alii Suecos incusando, quod se in mediis fluctibus dereliquerint: non amplius novam inimicitiam Germanorum sibi accersendam, sed recedendo ultra *Samboriam* Nobiles omnes domum remittendos. Milites autem stipendiarios accersendos. Et dum itur in varias sententias, primum cohortes Polonicales, quas aliquot conscripserat Princeps, aufugere cœperunt, quod fecit ipse Legionarius ipsorum *Stanislarvski*; postea Cosacci nacti aliquot scaphas, cœperunt trajicere suos trans Vistulam. Tum viso eo Transylvani tanto magis cœperunt contristari: nonnulli autem etiam minari, se etiam non dicto Vale Principi domum ituros. Ita-

Perturbantur res Rákótzianæ

Omnes reditum urgent

Itaque prævaluit illud consilium, ut nimirum commissa Fatis Cracovia, similiter & Brestia, qua advenerant via, illa redirent: Itaque eo animum adjecerunt, ut superarent Vistulam; quæ multo difficiliorem præbuit se redeuntibus, nam tum exundaverat, quam Cracoviam antehac euntibus, tunc enim sine ulla difficultate vado transiverant. Sed hac in parte subvenerunt Cosacci, qui trajectis omnibus suis tum militibus, tum oneribus, Principi etiam operam suam obtulerunt. Sed magni constitit illud officium: pro singulis enim equis singulos Imperiales; pro curribus autem quinque, aliquando plures etiam extorquebant. Multi etiam erepta Polonis tum jumenta, tum aliam prædam, dum vidissent se ea asportare non posse, relinquere autem intacta primis occurrentibus, pro piaculo reputarent, Vistulæ donabant: quæ res dum manifestum desperationis, & fugæ speciem præberent inferius degentibus, & dubio procul profugis illis Polonis ad nos, quorum gratiam aucupari ipsis necessum fuit, recurrentibus, & quæ in Castris Principis gererentur, referentibus, Lithvanicus Exercitus Lublino Cracoviam versus tendens, cohortes illas, quæ prius Vistulam superaverant ex improviso adortus, non exiguum damnum illis intulit; sed postquam plures Vistulam trajecissent procul est repulsus.

Dum

Dum talia fierent, *Grondzki* accedens Generalem *Keménium*, rogavit, ut aliquid de se decernere vellet; se enim ex istis signis, quæ videt, conjicere, Principem jam velle derelinquere Poloniam; sibi autem non esse modum deserendi Patriam, in illaque bona non contemnenda, & charissima pignora; non tamen sibi animum esse exemplo aliorum Polonorum, clam sese subducere, sed potius cum venia Principis dimissionem petere: ut dum adhuc aliquod superest tempus, rebus suis posset consulere. His auditis *D. Kemény*, & ipse illum monuit, ne talia in animum induceret, & postquam postulatum illius Principi exposuisset, nomine ejusdem de omnimoda gratia sua assecuravit: & tum demum aperuit intentionem Principis, quod non redire in Patriam; sed tantum Regnicolas belli pertæsos domum remittere, in locum autem illorum stipendiarios milites expeditissimos advocare vellet: præterea, si haberet modum uxorem educendi *Leopoli*, Principem assumpturum hanc curam, in se, ut secure ad bona sua reducatur, & ibidem illi de omnibus necessariis sufficienter prospiciatur: denique si qualiacunque damna occasione sui illi contingerent, omnia ea in duplo Principem refusurum, dummodo sit constans, & prout hactenus fecit, quæ putarit e re, & commodo Principis, consulere non intermittat &c. Simul etiam exposuit incerta quidem fama, attamen allatum esse

Gronszki visis perturbationibus missionem petit, sed multis pollicitationibus retinetur.

Prin-

Principi, Tataros a Polonis vocatos contra se venire. Si itaque hoc verum esset, in tali casu quid facto opus sit, & qua eundum, ut suam sententiam aperiret, postulavit. Exauditis omnibus sibi a Domino Generali prolatis, primum dixit, se promissis Principis acquieturum. Sed quod attinet tractum illum versus fines Hungariæ ad permutandum militem, in hoc rerum cardine, dum metus imminet a Tataris, id improbabat ex his rationibus: quod illuc directe in occursum Tataris via tendat: quod si compertum fuerit illos adventare, eripietur modus transmutandi militis, imo metuenda maxima confusio. Postquam enim appropinquaverint ad fines Regni, omnes tum Transylvani, tum Valachi, eo inclinabunt, & convertent consilia sua, ut quam citissime, etiam invito & insalutato Principe, domum recurrant. Cosacci etiam quam primum ultra Leopolim pervenient, statim Principem derelinquent. Si enim ipse *Chmielnitzki* ipsos retinere non potuit, quando in Castris ad *Leopolim* positis allata illis fuit fama de adventu Tatarorum; tanto minus id præstare poterit Princeps: sed ad præcavenda ejusmodi mala, ante omnia dandum esse mandatum *Andreæ Gaudi*, ut præsidium deducat de Brestia: quo facilius autem conjungi possit cum Principe, ipse Princeps digrediatur *Zamoscium* versus, inde ad *Grodek*, & illuc *Gaudi* per *Slawatycze* ac *Horodlo* facile poterit

consilia Gronsz. kii

terit

terit pervenire; cujus adventu magnum robur accedet; *Chmielnicio* etiam sine mora nunciandum de moderno statu suo. Postquam aderit *Gaudi*, ex re capiat consilium Princeps, si volet ire ad ditiones Cosaccorum, invenietur commodus tractus. Si vero volet ire contra Tataros, multo tutius subire id poterit, quando & *Gaudi* superveniet: & tum Dominis Transylvanis, tum Valachis in remotioribus a Patria sua locis constitutis deserendi Castra Principis omnis eriperetur modus. Si autem viderent se sibi fuga consulere non posse, multo alacrius pugnarent conjunctim omnes. Quod si Poloni obsidentes Cracoviam intellexerint Principem in Russiam tendere, quamvis vellent ipsum a parte posteriori infestare, tanto difficilius id eis foret, quanto remotiora forent Principis Castra a Cracovia. Et hæc quidem non solum approbabat Dominus *Keměny* dicens, Cosaccos etiam similiter sibi suasisse: verum etiam Castra promovit ad *Zamoscium*. Sed inde nescitur cujus consilio & quo fine divertit *Leopolim* versus; postea tamen dicebatur ideo id fecisse, & Colonellum *Gaudi* in Brescia relictum fuisse, quia sperabant Polonos, postquam cognoverint Principem recessisse, Bresciam obsessuros: atque iis tum circa Cracoviam, tum circa Brensciam distentis, Præsidiariis autem utrumque locum strenue defendentibus, datum iri commoditatem meliorem propositum de permutando milite

Hungari Zamoscium promovent Castra

in finem deducendi: postquam autem advenerint illi milites, qui hactenus pro Patria excubabant, jam nullum hostem sibi timendum fore. Attamen Generalis *Kemény* in id intendens, ut Cosaccos incolumes ad tutiora deducere, & Polonos posset eludere, ne animadverterent Principem versus confinia ire velle, talem sibi demonstrari desideravit tractum, ut *Leopoli* a dextris relicta postquam fama Principi allata fuerit de adventu illorum militum, qui ex Transylvania expectabantur, dimissis Cosaccis subito possint ultra *Leopolim* divertere ad confinia, & demum novo milite aucti, quocunque libuerit procedere. Quod autem attinet (inquiebat) famam de adventu Tatarorum, hoc & incertum est adhuc, & si venturi sunt, non prius, quam nostri milites, aderunt. Itaque secundum istam dispositionem a *Zamoscia* promota sunt Castra ad Civitatem *Lasczowka*, *Magierow*, & *Zolkierv*.

inde ad diversa loca

Sed dum jam Castra Principis appropinquarent ad *Zolkierv*, *Czarnetzki* fulminis instar a Cracovia advolans, ex inopinato irruit in Cosaccos, Castra Principis nullo servato ordine subsequentes, & notabilem in illis edidit cladem; prædamque illis magna ex parte una cum curribus eripuit, tantumque incussit terrorem, ut postea semel antegressi Exercitum Principis, quamvis aliquoties Poloni, tum a Lithvania, tum a Cracovia, tum ii qui ex Hun-

Poloni Cosaccos involant, & profligant

Hungaria cum Marschalco redierant, concurrentes eos infestabant, tum penes *Gliniany*, tum & alibi, nulla ratione poterant in id induci, ut se Polonis opponerent, sed quantum fieri poterat, properabant. Hæc videntes Domini Transylvani ipsi etiam tumultuari cœperunt: & dum ventum ultra Civitatem *Tarnopel*, inde tria millia militum simul semelque abierunt Moldaviam versus: cœteri etiam animis fracti, non amplius pugnam, sed reditum meditabantur. Quodam tamen loco *Franciscus Kornis* cum Legione sua, integris octo horis impetum Polonorum fortissime pugnando sustinuit, tandem subsidio Semeniorum ad Castra suos incolumes reduxit.

Fugientibus Rákótzianis solus Franciscus Kornis vim hostium sustinet

Sed Polonis in dies Exercitum Principis animosius infestantibus, præcipue quando ventum est ad *Zalosce*, nequissimi Cosacci, quamvis aliquoties a Principe per *Grondzcium* requisiti fuissent, ut tandem aliquantulum subsisterent, etiamsi pugnare nolint, solum ideo ne illos fugientes videndo Poloni, majores animos sumerent, Principis autem milites animis conciderent, nequaquam tamen remorari voluerunt. Sed hoc nunciavit Principi Hetmanus Cosaccorum *Antonius*: Sciendum est Cosaccos observare naturam eorum canum, qui curribus solent alligari (quando sunt jejuni, tam diu lora rumpere conantur, donec solvantur, atque tunc excurrendo huc atque illuc, quæ-

 runt

runt, quo satiari possint; & si attraxerint ad currum aliquod frustum cadaveris, etiamsi alligati non fuerint, repelli tamen a curru minime possunt. Ita sunt constituti & Cosacci, dum sunt seminudi, dum nihil habent, etiamsi vel maxime velis illos in Castris continere, non retinebis; Sed injussi excurrunt in remotissimas partes, ut prædam aliquam nanciscantur, qua postquam repleverint currus, nequaquam illos impellet quisquam ad pugnandum; sed tantum in id sunt intenti, ut parta possint domum reducere.) *Dicas*, inquit, *Principi*, *non esse jam nunc tempus pugnandi*, *sed tantum quærendus est modus salutem conservandi: Princeps nihil melius faceret*, *quam ut abjectis impedimentis nos sequeretur*, *& aliquantulum reficeret Exercitum suum in partibus nostris. Interim intra paucos dies confluent ad ipsum quam plurimi nostri juvenes.* Et his dictis movit Castra: quæ in quodam eminenti colle ita substiterant, ut, & a *Polonis*, & a *Rákócianis* conspici optime possent.

Cosaccis profugientibus

Hæc dum *Grondzki* retulit Principi, voluit jam cum suo tantum Exercitu inire pugnam cum Polonis sese infestantibus. Sed quia interim Generalis *Kemény* cum potiori parte militum, neglecto aggere per quem transibant currus, vado, quanquam summa cum difficultate, superaverat paludes, Princeps etiam præter voluntatem suam subsequi illos necesse habuit. Cumque vix transivisset aggerem, mox Po-

Poloni Rakotzianos infestant

loni, videntes jam nullos equites apparere a posteriori parte curruum, tuto irruendo in illos, magnam partem curruum, qui omni defensore destituebantur, & aliquot tormenta obtinuerunt. Interim nox diremit prœlium. Noctu reliquis curribus ad Castra sese subducentibus, passus apertus est Polonis, quo illi silentio noctis superato, sequenti die, modo ex hac, modo ex altera parte accurrentes, prædam rapiebant, & mox resiliebant, moxque rursus invadebant. Interim illi etiam homines, qui in illis partibus reperiebantur, unanimiter asserebant Tataros adventare. Imo in illos etiam incidebamus, qui nihil audiverant de Exercitu Transylvanico, sed Tataros effugientes, nobis obviam veniebant. Quapropter in his difficultatibus constitutus Princeps, & omni consilio destitutus, Tractatum cum Polonis instituit, quem illi ambabus arripientes manibus sine mora finiverunt. Ipsi enim fatebantur, quod si Transylvani animose contra illos conversi fuissent, facillime illos profligare potuissent. Sed jam terror panicus ferme omnes occupaverat, ideoque his conditionibus transegerunt:

Princeps Rákóci in perpetuum abrenunciet confœderationi Suecorum, & Cosaccorum: Præsidiarium militem suum Cracovia, & Brestia educat: Captivos omnes dimittat (nihilominus tuto ac secure permanere liceat iis, qui ultro Principi servire volent.) Pro illatis damnis Regno Poloni

Rákótzi cum Polonis transigit, rebus in pejus vergentibus

loniæ quater centena millia Thalerorum solvat; quæ quia negabat se in instanti in paratis solvere posse, obsides dedit *Stephanum Apafi*, & *Georgium Gyeröfi*. Poloni vero, ii nimirum, qui hæc Pacta confecerant cum Principe, utpote *Stanislaus Pototzki*, Supremus Exercituum Regni Poloniæ Generalis, *Georgius Lubomirski* Exercitus R. Pol. Vice-Generalis & Marschalcus Regni *Stephanus Czarnetzki*, Primus in Exercitu Polonico Legionarius, & Judex Exercitus, & *Demetrius Korybuth*, Princeps *de Visniorvietz*, promiserunt se effecturos apud Regem & Rempublicam, *ut pacta hæc publico consensu Regni confirmarentur, & roborarentur. Ad præsens vero non amplius Poloni Rákócianos infestent, sed potius Commissarios adhibeant, qui Principem ad confinia Regnorum deducant, ac præcaveant, ne alicubi in faucibus montium aliquod discrimen ei contingat: militibus etiam suis ex præsidiis redeuntibus omnem securitatem cum libero commeatu præstent. Postquam vero Princeps Rákóci summam promissam Polonis integram persolverit, tunc interveniente æterna Amnestia omnium eorum, quæ hac expeditione Rákócii Regno Poloniæ illata sunt malorum, Pax & Concordia & mutua amicitia inter utrumque Regnum erunt colenda.*

Perculsis jam Transylvanis Post Pacta inita, suadebant multi Poloni, boni Amici Principis, præcipue vero Marschalcus Regni, qui advocato *Grondzcio* exposuit, quo

quo in statu nunc jam sit constitutus Princeps: quod nimirum eo angustiarum sit redactus, ut si saltem per biduum illum remorati fuissent, supervenientibus interea Tataris, qui in propinquo sunt, tantopere potuisset constringi, ut vix unus & alter ex universo Exercitu Principis elabi posset: Nihilominus tamen quia ad præsens valde exhaustus est Thesaurus Regni, nec adinvenimus modum solvendi stipendia militibus a longo tempore retenta, volumus illum dimittere, dummodo non frustremur ista summa nobis a Principe promissa. *Quamobrem*, inquit, *obtestor te per omnia Sacra, ut si putas subesse aliquod dubium in ista expectatione nostra, illud nobis aperias sincere: neque enim tibi semper manendum cum Principe, sed tandem redeundum ad Patriam, & ad certa pignora.* Ad hæc respondente *Grondzcio*: *Equidem quid in tacito pectore suo gestet Princeps, hoc soli Deo est cognitum. Interim tamen si ex his, quæ oculis sunt exposita, conjicere licet aliquid, nescio cur sit in ambiguum vocandum promissum Principis. Quod enim attinet possibilitatem exolvendæ summæ promissæ, respiciendo opes Rákócii, quæ quantæ sint melius constat Illustrissimæ Magnificentiæ Vestræ, quam mihi; quis possit dubitare, an possit promissa præstare, dummodo velit? de voluntate autem Principis quid sit statuendum, judicet ipse Illustrissimus Dominus. Obsidem fidei suæ offert Affinem suum, qui Germanam Sororem*

De Fide promissorum dubitant Poloni

Sed Gronszki tuetur Principis Fidem

 rem

rem Matris suæ habet sibi connubio junctam; & alterum prout animadvertere possum, ex præcipua prosapia. Tum Marschalcus interrogat: *Uter Obsidum est Affinis Principis?* dicit, *Stephanus Apafi.* Iterum Marschalcus: *Scisne pro certo rem ita se habere?* Tum asserente cum magna obtestatione *Grondzcio*, infallibiliter tali sanguinis nexu *Apafium* junctum esse Principi. Tandem dicit Marschalcus: *Quandoquidem ita est, jam nunc nec ego ipse ambigo quicquam, & cæteris omnem eximam scrupulum; impossibile enim est ipsum talem Amicum relicturum.* Post ejusmodi itaque informationem suadebant Poloni Principi, ut, quandoquidem certum sit, prope jam adesse Tataros, quibus ad resistendum minus idonei visi sunt Polonis Transylvani, non quod viribus sint impares, sed quod animo destituantur (ipsi namque Poloni quando ad salutandum Principem jam post reconciliationem adveniebant, & milites ipsius circumspiciebant, inter se in hunc modum colloquebantur: *Peccaret horribiliter, si aliquis nostrum viribus nostris obtentam de hoc Exercitu superioritatem arrogaret. Etenim si parem viribus, & apparatui suo haberent animum, deglutire nos possent, & nobis profligatis nec Tatari illis formidabiles essent. Sed ipse Deus nostri misertus, tantopere illos confudit.* Merito itaque canere debemus: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo fecisti gloriam.*) Suadebant

bant, inquam, ut cum iis militibus, qui equis confidunt, abjecta omni mora, rediret in Patriam. Tormenta autem & alia onera, & pedites, & quicunque reperirentur debiles, relinqueret in Castris Polonorum cum aliquibus Comissariis, qui una cum Commissariis ex Exercitu Polonico deputatis, tormenta & si quid in curribus usibus aptum inventum fuerit, secundum justam taxam ad rationem Summæ promissæ Polonis assignent. Quod vero attinet homines Principis inter Polonos relictos, si advenientes Tatari illos sibi vendicare, & ab illis repetere volent, Polonos dicturos esse; *Hos a Principe, vigore Pactorum, ad servitia Regni, cui adhuc alii supersunt hostes, relictos esse.* Si hac ratione illos protegere poterunt; se hoc libenter facturos, non ignorantes, Principem esse suum a parte Turcarum antemurale, ac proinde se ex animo velle illum conservatum; persuasum habentes Principem etiam, & Regnum Transylvaniæ, ita gratum fore, ut opem suam nunquam sit denegaturus, si aliquando eam Poloni postulaverint. Quod si Tatari valde obstinate requisiverint milites Principis in Castris Polonorum derelictos, & Poloni viderint se illos sine suo periculo retinere non posse, ac proinde ab illis recesserint, de duobus malis eligendo minus, præstaret ut pauciores illique gregarii cederent Tataris: Princeps vero cum omnibus Primatibus conservatus, facilius eliberandorum

rum captivorum adinveniret modum. Sed si (quod Deus avertat) universus Exercitus succubuerit, in tali casu etiam universo Regno exitium immineret.

Hoc consilium postquam *Grondzki* retulisset Principi, in præsentia aliquot Primariorum Virorum, dixit Princeps: *Non sunt nobis ita horribiles Tatari, prout sentiunt de illis Domini Poloni. Neque enim sunt tam potentes, prout de illis præsumitur. Bene nos habemus exploratas vires illorum per Nicolaum Szebesi,* & enumerando quantum posset prodire ex hac & alia provincia Tatarica, tandem ait: *Si omnes egressi fuerint, ad summum efficient Viginti quatuor Millia ad pugnam idoneorum. Cum his autem Deo confisi non detrectamus pugnam; recedant tantum Domini Poloni. Michael Mikes* etiam dixit: *Quousque nobis sunt ad latus acinaces, nemo nobis persuadebit, ut nec viso hoste tam turpiter timeamus. Recedant tantum a nobis Domini Poloni, & amplius de nobis non sint solliciti; nostrum erit agere cum Tataris.* Monuerunt tamen illum, ut dato honesto responso Polonis nomine Principis, hoc solum urgeret, ut recederent. Quo facto statim sequenti mane Poloni discesserunt Volhiniam versus, Princeps vero Patriam versus. Sed postquam unius diei iter tantum confecisset Princeps, advolat a Marschalco Regni nuncius vesperi, qui adfert mox post discessum Principis circa Meridiem,

Redit Rákótzius

præ-

præcursoriam manum Tatarorum advenisse ad Castra Polonorum, ac simul, atque cognovissent Principem recesisse, confestim regressos; asserendo, tantum unius diei itinere abesse Hanum cum tantis copiis, quantas in Poloniam adhuc nunquam adduxerat; ac proinde idem Marschalcus monuit ac oravit: Si hactenus universo Exercitui suo prospicere neglexit, provideat sibi subducendo sese præsentissimo periculo jam cum paucissimis, illis autem expeditissimis.

& ut properet, monetur

Sed tum temporis quoque adhuc valde perplexo animo erat Princeps, quid sit faciendum. Cum autem inter alios Polonos, qui ab Exercitu Polonico vigore Pactorum Principi adjuncti erant, reperirentur aliqui, qui eodem tractu versus *Leopolim* tendebant; inter hos vero præcipue duo Principi singulariter propensi, nimirum *Gabriel Silnitzki*, qui & in Transylvaniam fuit a Regno, & rursus a Leopoli ad Principem Ablegatus ad *Stryi*, ideoque jam valde confidens, ac familiaris eidem factus, & *Alexander Ludovicus Niezabytorvski*, qui pariter a *Leopoli* una cum aliis fuerat Ablegatus, & quod tum illum Principi magis devinctum reddebat, tum & apud Principem illi majorem confidentiam conciliabat; aliquot antehac Annis, singularem Principis erga se benevolentiam expertus, hac occasione debitam gratitudinem contestandam esse ratus, operam suam in deducendo, citra omne discrimen ad Patriam suam

Prin

Principe obtulerat. Cum enim post insignem, & lamentabilem illam Polonorum ad *Batoh* cladem (de qua superius) prædictus *Niezabytorvski* singulari Divina Providentia illi periculo ereptus fuisset, & primum quidem in Moldaviam, postea inde in Transylvaniam cum 70. circiter sibi adjunctis Polonis, ex eodem discrimine conservatis devenisset, memorabilem ei Princeps *Rákócius* humanitatem suam exhibuerat, nempe, & muneribus illum excoluerat, & cum omni commoditate per omnes ditiones suas ad fines usque Regni deduci curaverat: & idem *Niezabytorvski* cum *Grondzcio* etiam affinitate junctus erat. Dum itaque Principi a Marschalco Regni tristis illa fama, (de qua paulo superius) allata fuisset, jussit *Grondzcium*, confestim ad se utrumque h. e. *Niezabytovium* & *Silnicium* advocare. Qui postquam advenissent, mox exponit, quæ sibi sint a Marschalco nunciata, simulque interrogat, utrum sit fides adhibenda? & denique quærit consilium, quid sit faciendum? Qui unanimi voce responderunt: Non est cur pro novitate hoc reputet, etenim jam dudum id & nos prædiximus: neque est cur ambigat, Tataros tam prope adesse. Illi enim cum nulla habeant impedimenta, uno die cum volunt, a *Cameneco* huc usque accurrere possunt. Neque etiam aliud factu restat, præter id, quod Dominus Marschalcus suadet, & intimat. Si autem aliquid faciendum, faciat

sine

sine mora, ut non advertat Exercitus. Si enim intellexerit Vestram Celsitudinem velle se derelinquere, fiet maxima confusio, nec ullus illos cohibere poterit, & verendum, ne qui deberent esse ultimi, fiant primi, & contra: itaque admaturet jam non consilium, sed discessum, quia periculum in mora.

His auditis Princeps egressus in Aurora, circiter cum 500. Castra reliquit, sub Regimine Generalis *Kemény*, & *Francisci Kornis*, & *Nicolai Szebesi*. Ecce autem postquam vix unum milliare a Castris emensus fuisset Princeps, advolat unus Ductor Polonorum, ex iis qui adjuncti erant deducendis Castris *Rákócii*, dictus *Drusskiewitz*, qui adfert nuncium Principi, validam manum Tatarorum irruisse in posteriora agmina Transylvanorum ultra aggerem, (qui Castra interruperat, eo quod sero vespere superare illum simul omnes non potuissent) commorantia, & arreptis aliquot captivis eodem momento regressos esse: (quod multum profuit conservationi eorum, qui exiverant ex Castris: quia enim id non erat ipsis cognitum, omnes Captivi uno ore referebant Hano Tatarorum, Principem in Castris esse, & pugnare cum illo velle) & hæc quidem denuncians suasit, ut citius procederet, ne forte illum Tatari subsequerentur, quod non esset boni ominis: cujus consilio cœteri etiam Poloni suum calculum adjecerunt, quod tamen celabatur alios. Sed

Adsunt Tatarorum agmina

Prin-

Rákótzi suæ saluti consulit timetur supellectili Principis

Princeps quasi æstum meridianum effugere volens, addidit calcar equo, atque succussim processit usque ad *Tarnopel*, iis qui post se veniebant, hæc ignorantibus. Interim accurrit unus famulorum Principis *Franciscus Henter* nuncians, duodecim equos onerarios preciosiorem supellectilem Principis bajulantes curæ ac fidei *Andreæ Vayna* commissos, præ lassitudine remansisse retro plus quam milliari ultra *Tarnopolim*; tum Princeps rogavit *Paulum Frater*, & alios (nam imperare tunc non valebat) ut redirent & curam inirent, qualiter illi equi cum suis sarcinis conservari possent. Sed nullus voluit subire hanc provinciam; verum quivis excusando debilitatem equi, ideoque in tertia aut quarta linea Principem subsequens aliis loquebatur: *Si in antecessum jubet procurrere Princeps lubens faciam, sed retro minime: fœtet namque valde, qui post nos stat ventus: mihi etiam pariter curæ est salus, atque Principi. Jam amisi omnia, saltem ipse incolumis domum redire volo, hocque pro lucro reputo.* Hæc Princeps videns, & audiens, advocat *Grondzcium* & ait ei: Ecce equi nostri aliquas res nostras utilissimas portantes remanserunt retro, redeat, & quærat modum, qualiter si non iisdem equis, saltem conductis curribus, aut alia quacunque ratione, etiamsi equis abjectis res ipsas adducat, ne pereant: nam magnum damnum pateremur. Certe si hoc præstiterit, nunquam hujus Officii obli-

ad eam requirendam, & tutandam Gronszki mittitur

obliviscemur. Cohorruit ille his auditis, neque enim ignorabat, sibi non tantum a Tataris imminere periculum, verum etiam a Polonis insolentioribus, qui passim Hungaros in parvo numero deprehensos spoliabant, nonnullos autem illorum etiam trucidabant: nihilominus veritus, ne, si hoc officium subire detrectaverit, ea etiam omnia, quæ, hactenus in promerenda Gratia Principis exantlaverat, oblivioni traderentur, non multum cunctatus, sed id tantum petens, ut sibi aliquis Famulorum Principis adjungeretur, cum quo colloqui posset, se id facturum declaravit. Princeps itaque eundem *Franciscum Henter*, qui ab equis venerat, & quo in loco remanserint, noverat, redire cum illo jussit. Redeuntes illi quibuscunque obviarunt, nomine Principis illos hortabantur, ut secum regrederentur, asserentes se ideo jussu Principis regressos, ut collectis in unum manipulum iis omnibus, qui sparsim remanserunt, & a Polonis infestantur, facilius tueri & ad Principem incolumes deducere possint. Sed qui aliis excellebant, respondebant: *Certe nunc Princeps de aliis non sit sollicitus, tantum de seipso, bene intelligimus quid velitis: nimirum vos in id intendere, ut propter asportationem rerum Principis regrediamur: sed hoc certe non fiet. Jam nos nostra pocula amisimus, restat ut nostri ipsorum curam agamus: & vos ipsi nescitis quid quæritis. Certe Princeps non amplius illis in-*
stru-

strumentis utetur. Si enim effugient manus Tatarorum, non evitabunt Polonos, qui nobis insidiantur. Et aliis tamen minus circumspectis, associatis sibi circiter 35. militibus, pervenerunt usque ad *Andream Vayna*, qui nihil sciens quid

repertamque ad Principem defert

ageretur in Castris retro, & qualiter procederet Princeps, tanquam in pacatissima regione, depositis oneribus, & dimissis ad pascua equis, discumbebat: non tam ideo, quod equi essent viribus destituti, quam ut pro recepto more in meridie conquiesceret, sperans Principem etiam alicubi meridiari, qui interim, qua potuit celeritate iter carpebat. At postquam intellexit omnia prout erant in re, confestim compositis rebus progressum maturavit, (idque tanto magis, quod videret non procul a se divertisse aliquot Polonos, forte eo animo, ut postquam plures iis accumulati fuissent, aliquid attentarent) nec tamen prius assequi poterant Principem, quam sera nocte penes *Zbororv*, quo sine ullo damno cum equis & sibi adjunctis ipsi quoque devenerunt.

nocte adsecutus Principem

Postquam ingressus fuisset *Grondzki* cum sociis, inter alto somno sepultos, incidit in *Michaelem Mikes*, qui vigilias agens circa Principem atque preces fundens, & ex voce, quis sit, qui inquireret, ubinam sit Princeps, agnoscens, ad se eundem advocat, & multum congratulatus, quod in tali occasione tam feliciter inservierit, cœpit ei enarrare, qualiter conclu-

serint

serint de ulteriori progressu itineris cum Principe, quod nimirum metuendo, ne solita celeritate sua Tatari præoccuparent viam ante confinia Regni (quod evitare volens *Gabriel Silnitzki*, jam derelinquerat Principem, cui operam suam in deducendo, usque ad limina Patriæ suæ addixerat) constituerint ire *Leopolim*, ut ibi commorarentur tam diu, donec secure domum redeundi pateret via. Istius autem consilii (inquit) auctor est *D. Niezabytorvski* Affinis tuus: simulque interrogat eundem *Grondzcium*, an ipsi etiam placeret hoc consilium? qui ex abrupto (minus intentus ad omnes circumstantias excutiendas) respondet, non video cur id improbem, etenim *Leopolis* multo propius hinc distat, quam *Maramaros*, videlicet tantum octo milliaribus, quæ uno die, commodissime possunt confici, ad confinia autem perveniri nequaquam potest. Quod autem attinet fortitudinem loci, etiamsi aliquot Myriades Tatarorum eo advenerint, nihil efficient: jam enim hæc Civitas bis acrem oppugnationem, primo quidem Cosaccorum, cum Tataris conjunctorum, secundo vero Cosaccorum simul, & Moscorum intrepide & feliciter sustinuit, & nunc nullus ibi superest a Tataris metus. Præterea, quia hoc suadet *D. Niezabytorvski*, cujus teneræ conscientiæ sum bene conscius, persuasum habeo nihil periculi subesse. Si enim

 ali-

aliquid adversi pro sua prudentia prævideret, pro innato candore talia non suaderet.

Tum *D. Mikes*: *Ego*, inquit, *fateor ingenue, nisi sciremus D. Niezabytovium esse Affinem tuum, & nisi tuam in multis occasionibus fidelitatem exploratam haberemus, soli D. Niezabytovio nequaquam confideremus. Incumbit itaque tibi, ut prævideas quam solertissime, ne nobis ista confidentia aliquid mali adferat. Sive enim bene, sive in contrarium, (quod Deus Clementissimus avertat) hoc consilium successerit, vobis hoc imputabitur.* Resqondet *Grondzki*: *Nodum Gordium solvere me vult Generositas Tua, cui nequaquam sufficio priusquam D. Niezabytovium allocutus fuero. Sed ubi illum nunc quæram? cui equum pascendum, ut saltem ille, si non ego, quiescat, tradam?* (Famulos namque ejus numero 25. & equos 36. post initos Tractatus Poloni abegerant, & jam solus cum unico equo remanserat) Tum *D. Mikes*: *Equum mihi trade, ipse habebo curam illius, tu autem quære Affinem tuum, donec ipsum invenias, & communicatis consiliis id concludite, quod indubitato bono nostro cedat.*

Periculum si Leopolim pergat Princeps, exponit Grondszki

Multum itaque quæsito, ac tandem invento *D. Niezabytovio* dormiente, de somno eum excitans, per jocum dixit: *Non decet nunc noctem dormire totam, illum, qui tuendæ incolumitatis tanti Principis in se officium assumsit*, post (dissimulans se aliqua colloquia instituisse cum Domino Michaele Mikes) interrogat, quid sit conclusum de ulteriori progressu? Respondens *Niezabytorvski*, inquit: Hoc placuisse & Principi, & Consiliariis suis, ut potius *Leopolim* se conferant: quod sibi etiam placere, ait &c. Tum *Grondzki*: Rogo, ne moleste ferat, quod de isto proposito disertius & confidentius colloqui velim cum Generositate Tua: neque enim hic agitur de lana caprina, sed de conservatione Magni inter Christianos Principis, & potioris partis Procerum Transylvaniæ, primum quidem fidei illorum, cum quibus sunt Pacta confecta, sed postmodum Vestræ Dominationi salutem suam commitentium. Itaque interest ex vinculo conscientiæ, ita nunc omnes circumstantias rerum trutinare, & excutere, ne si forte aliquid adversi præter opinionem evenerit, ad illam insipientium responsionem sit recurrendum: *Non putaram*. Ad hæc dicit *Niezabytorvski*: Et Princeps, & reliqui omnes acquieverunt super hoc consilio, tu autem quem habes scrupulum? dicas. Tum *Grondzki*: *Equidem & hoc valde possibile est, Principem cum sibi adjunctis hodie Leopolim perventurum, & hoc extra omnem disquisitionem est positum, Civitatem hanc ita esse fortem, ut intra mœnia illius consistens tutissimus esse possit ab omni impetu Tatarorum; hoc quoque est certissimum, postquam Civitati appropinquaverit Princeps, & Vestra Dominatio dixerit: Illum cum paucis* (&

(& rem ita sese habere ex aliis etiam cognoscet Commendans Leopoliensis) intromitti velle, cum maxima omnium exultatione receptum iri Principem. Postquam autem Princeps receptus, & Dominatio Vestra officio perfuncta fuerit, atque ad hospitium sese contulerit, tota vero disputatio de Principe dependebit a Commendante, cujus gubernationi in Civitate, fidei ipsius commissæ Vestra Dominatio ingerere sese, aut obniti nequaquam potest : sicut nec ille Regimini Dominationis Vestræ, quod exercere vult in Legione sua, dum est in campo. Quod si contingeret, (nec aliter per statum rerum fieri potest) ut ille recepto Principe, litteris exaratis Regi, & Reipublicæ, aperiret tam raram Avem, cum multis pullis ingressam esse in hanc caveam, cujus fores ille claudit, nec ullus eo invito eas aperit, simulque peteret informationem qualiter tractanda esset? Quid cogitat Dominatio Vestra, utrum aliquis eorum, qui sunt ad latus Regis, id suffragii sit daturus, ut dimitteretur Princeps? Hoc certe non suadebit Generalis Germanorum: non suadebunt illi, quorum bona sunt exusta & depopulata. Sed quid dicturi sunt Patres Societatis Jesu, sine quibus nullum consilium? Sane illi eum, quo Ductore tot Templa desolata, tot Sanctuaria profanata, tot Patres interempti, eum quem jam apellarunt inimicum vivorum & mortuorum, dimittendum nequaquam censebunt. Imo verendum est, ne Regem impellant ad nocen-

cendum Principi, adducendo pro exemplo Regem Israelitarum Saulum, quem Deus rejecit a facie sua, ideo quod pepercisset Regi Amalechitarum Agag, quem Deus in manus ejus tradiderat. Et plura adhuc loqui volentem interrumpens cum maxima indignatione *Niczabytorvski* ait: *Manifeste video, te jam omnem bonum affectum & confidentiam exuisse erga gentem tuam, & omnem induisse hostilitatem; & propterea in dubium vocare fidem, & conscientiam tantorum in Republica Virorum, qui sunt confectæ Pacis auctores, quod nec ipsi Hungari faciunt! Saltem propter famam nominis Polonorum talia nunquam fient. Si enim tanti Principis fidem falleremus, quis unquam nobis crederet?* Tum *Grondzki*, quibus potuit quam placidiſſimis rationibus mitigando iram illius ait: *Certe magnum est robur Pactorum, quod tam magni in Republica Viri sint auctores eorum! Sed nonne hi iidem interfuerunt tractatibus ad Varsaviam cum Suecis initis? Imo adfuit & Sereniſſimus, adfuerunt plures quam nunc Senatores, adfuerunt ferme omnes Ordines Regni, & tamen quia quibusdam aliter visum est, quam fuit conclusum contra datam fidem Vittembergium, & alios Officiales detinuerunt, & hucusque detinent.* Ad hæc iterum *Niezabytorvski*: *Alia fuit ratio cum Suecis, illi enim prius datam fidem in multis violarunt, & ideo pro eo, quod ipsi fecerunt, juxta illam Regulam: Frangenti fidem, fides frangatur eidem, hoc*

hoc reportarunt. Alia autem ratio est Principis Rákócii, qui majori in respectu, & observantia est coram universo Regno Poloniæ, similiter & Domini Transylvani, cum quibus semper bona vicinitas nobis intercessit; quapropter illis talia non sunt metuenda.

Rursus *Grondzki* ait: *Semel adhuc aliquid proloquar (quod liceat citra offensam) postea mihi silentium imponam: Ego vero in hac sum sententia, posse Dominos Polonos, quicquid adversi velint, Principi inferre, idque sine violatione Pactorum, siquidem nondum sunt per Regem & Rempublicam corroborata, & pro invalidis ab utraque parte contrahente illa reputari, manifesto patet inde, quod & Princeps id desideraverit a Dominis Generalibus Exercit. Reg. ut fiat confirmatio illorum per Rempublicam, & illi etiam se id effecturos in se assumserunt. Quod priusquam in effectum deductum fuerit, in arbitrio Regni est positum, sive velit illis stare, sive aliquid addere, sive totaliter ea abrogare, & annihilare: idque tanto magis, quia auctores Pactorum nullam habuerunt a Regno ad id faciendum concessam sibi Plenipotentiam, sed hoc evenit præter opinionem omnium. Jam vero juxta Regulam Jurisconsultorum: Res inter duos acta tertio non præjudicat. Tres aut quatuor Senatores, utut eximii, universo Regno præjudicare non possunt. Præterea in Pactis nulla est mentio ejus rei, nempe Dominos Polonos in se assumsisse, quod*

quod Principem teneantur recipere Leopolim, & inde quando volet dimittere; vel pro illo cum Tataris dimicare, sed simpliciter tantum liberum passum domum remeandi illi concesserunt. Si itaque ultra conditiones faciens aliquid Princeps in aliquod sese præcipitaverit malum, hoc violationi Pactorum nequaquam poterit attribui, sed sibimet ipsi id debebit imputare, totam culpam rejiciendo in auctorem consilii. Tandem dixit *Niezabytorvski: Prout antehac dixi, ita nunc quoquo constantissime affirmo, nunquam talia Polonos ultro, vel malo dolo facturos. Sed hoc potius timeo, ne forsan Tatari si cognoverint Principem recepisse sese Leopolim, illuc pervenientes, requirant, ut sibi tradatur, minantes, nisi id facere velint, exustionem suburbiorum, depopulationem Provinciarum Regni, captivationem eorum, quos extra mœnia invenerint &c. in tali casu verendum esset, ne pelle aliena redimerent propriam. Quapropter si placet Principi mutare consilium, sine ulla mora, confestim moveat cum summo silentio, nemini indicando quorsum velit ire, neque id curando etiamsi aliqui hic remanserint, aut aberraverint. Multum enim expedit si confestim moverit, ut postmodum ros decidens cooperiat vestigia, ne agnoscatur quorsum diverterit Princeps: & si aliqui remanserint, illi scientes anteriorem conclusionem, recta contendent Leopolim versus; nos vero quamprimum transierimus proximum aggerem, statim una incognita via*

Fugam per devia capiendam esse Principi decernitur

via divertemus ad sinistram partem. Quod si subsequuti fuerint Tatari, illi non agnoscentes nostram diversionem, publicam viam arripient recta Leopolim, idque tanto magis, si inciderint in aliquos Hungaros, qui nec ipsi scientes, quonam Princeps digressionem fecerit, interrogati, quonam iverit Princeps? unanimiter dicent ivisse Leopolim; interim nobis amplius spatium effugiendi manus Tatarorum concedetur.

Cum hac itaque resolutione *Grondzki* regressus ad *Michaelem Mikes*, omnia ei eodem ordine prout expositum est, refert. Qui cuncta totaliter approbans, statim Principem de somno excitat: & primo quidem refert, equos onerarios jam dudum esse adductos; postea fuse exponit, qualiter prius consilium per *Grondzcium* fuerit reprobatum, & loco illius quid conclusum. Quibus omnibus suum quoque lubens Princeps addens calculum, prout suasum est, fecit, & subito de illo loco motionem fecit: & revera multum id profuit, quod media nocte movisset. Nam & equi ad sufferendum laborem multo alacriores redditi, & quia in meridie superfuit aliquod quiescendi spatium, una die perventum est prope Civitatem *Stryi*. Sed multi etiam aliorsum diverterunt. Itaque sequenti die tum propterea, ut concurrerent omnes, tum ut amoverentur ab Alpibus ii, quibus antehac demandatum erat custodire passum; nonnisi duo milliaria processit ad *Skole*. Interim

rim Palatinus Belzensis, Stryensis autem Capitaneus, qui tunc eo loci fuit, invitabat quidem Principem ad se cum summo honore; sed Princeps adhibita aliqua excusatione, in ipsis faucibus montium noctem peregit. Prædictus vero Palatinus, declarans non fucatam suam humanitatem, proprios homines protinus misit, qui amotis præsidiariis ex singulis pagis Scultetos adduxerunt, per quos Princeps usque ad *Hidek-Patak* est deductus.

Tum demum perceperunt Domini Transylvani fructum ejus rei, quod dum ingressus fuisset illas oras Princeps, clementem ac benignum sese incolis locorum illorum exhibuerit. Certatim enim concurrentes obviam, cibum & potum, inedia aliquot dierum seminecatis offerebant. Sed non minus expertus est & ipse Scriptor præsentium, se bene fecisse, quod præcedens antehac cum Generali *Keměny*, prout aliis Nobilibus Polonis, ita vel imprimis cuidam præstanti Matronæ, tale procurrasset præsidium, ut nec ingressi fuerint curiam ipsius ulli milites Principis. Maritus namque ejus (qui tunc abfuerat domo) superveniens illum noctu euntem, cum duobus tantum sibi adjunctis Polonis, quando complures Nobiles redeuntes ex *Stryi* de nuptiis apud Palatinum Belzensem celebratis, bene poti, opprimere illum & socios ejus voluissent, ipse de voce solum agnoscens illum esse, qui Familiæ suæ singularem Pa-

Patronum sese præstiterat, eundem ex faucibus mortis eripuit, & usque ad Principem, tunc in campo quiescentem deduxit. Unde discere quisque potest antiquam illam venientem Delphis Sententiam: *Fac bene dum possis!*

Sequenti iterum die, Deo consilia prospe-rante Princeps Polonis ducibus in Patriam reductus incolumis. Exercitus autem illius cum Generali *Kemény* relictus, a Tataris circumventus, pugnans primum cum illis strenue, tandem summam rei incertæ Martis aleæ concredere minus integrum ratus, dum aliquibus tractatibus incolumitati suæ consulere vellet, ejusque rei gratia ipse *Joannes Kemény* ad Hanum Tatarorum profectus fuisset (potissimum proditione Szemeniorum, qui simul semelque ex Castris Transylvanicis prosiliendo omnes, sclopetaque sua in socios explodendo, patentem portam Tataris aperuerunt) in potestatem hostium devenit (quem quidem Tragicum Actum, ne infandum renovare velle videar dolorem, fusius edisserere nolo) cujus rei fama primum quidem occultabatur in Aula Principis, postea quando diutius occultari non potuit, diffusa per Regnum ingenti luctu animum, prout omnium Incolarum, ita nec minus Principis implevit. Qui nec egrediebatur in publicum aliquot diebus, simulans morbum. Et revera gravis erat Paroxismus, qui semel inficiens perniciosissima lue universum Regnum ad seram usque posteritatem, multorum calamitatum amplam suppeditavit materiam: quæ qualiter postea in Transylvania serpsit, non est mei propositi referre: præsertim quia id ante aliquot annos jam fecit Vir in Regno Transylvaniæ Magnus *Joannes Bethlen.* Reliqui autem Milites Principis, qui in Præsidiis, partim Craco-viæ, sub Regimine *Joannis Bethlen*, partim Bresciæ sub Regimine *Andreæ Gaudi* remanserant, dimissi a Polonis intacti ac incolumes, in Patriam rediere. Quæ res non mediocriter exhilaravit Principem. Sed tamen promissam Polonis summam exsolvere nunquam voluit, amissi Exercitus culpam in eosdem conjiciens. Et tandem Polonis per expressos Legatos id authenticis documentis contestantibus, ac comprobantibus, se nunquam promisisse Principi securitatem a Tataris: siquidem etiamsi pugnare voluissent pro Dominis Transylvanis, nequaquam erant tantæ multitudini, cum exigua militum manu, viribus pares; sed quod in se id tantum assumserint, se non amplius Exercitum Principis infestaturos, idque fideliter præstitisse. Ideoque urgentibus, ut juxta Pacta illis satisfaciat, cœperat ad id exequendum inclinari, nihilominus de tempore ad tempus id differebat. Denique quando Poloni per *Grondzcium* fecerant declarationem, se per compassionem super infortunio Dominorum Transylvanorum, qui devenerunt in manus Tatarorum, in quorum re-

Joannes Kemény in captivitatem cum suis abductus

redemptionem dubio procul notabili opus erit summa, dimidio promissæ Summæ, videlicet Ducentis Millibus Thalerorum fore contentos: quod postquam illis persolvisset, offerebant se ad Turcas missuros cum instantia, ut jam abstineant a persequendo *Rákócio*, quandoquidem pro damnis sibi illatis satisfecerit. Promittebat se ex Regno Hungariæ aliquos egregios Viros in Poloniam ablegaturum, & per eosdem totum negotium complanaturum. Sed hoc quoque promissum omni caruit effectu. Nunc autem si facultas fandi illi concederetur, exclamaret, credo, cum calimitosa quondam Regina Trojæ:

Quicunque Regno fidit, & magna potens
Dominatur aula, nec leves metuit Deos,
Animumque rebus credulum lætis dedit,
Me videat, & te Troja (Transylvania) non
unquam tulit
Documenta fors majora, quam fragili loco
Res Principum starent.

Etenim qui paulo ante tres Imperatores a proposito sese avocare conantes, contempsit, & arundine suffultus, quarto Regi, se multo potentiori bellum inferre non dubitavit, ne unico quidem prælio commisso cum iis, quos subjugare attentavit, in tantas redactus est angustias, ut, cum ex Lerna malorum eluctari remis, velisque contenderet, necessum haberet auxilia eorum implorare, qui ipsum antehac quatenus ab-

abstineret a vicinis, non poterant exorare; ideoque non solum ab illis, sed etiam ab ipsa denique Fortuna derelictus, non prius exitum ex adversitatibus suis adinvenit, quam Heroico quidem more, sed omnibus Christianis dolendo casu, & ominosa Transylvaniæ Eclipsi, ne dicam, tristi pristini nitoris occasu, e numero viventium in terram silentii concessisset. Neque vero cum ipso omnia Transylvaniæ mala sunt sepulta, sed longa serie multa eundem subsequuta. Cujus rei testimonium perhibet Varadinum, nec minus aliæ arces Transylvanicæ, occasione ipsius cum magno ambitu in potestatem Turcarum redactæ: testantur id horrenda per universum Regnum rudera vix intra aliquot seculorum decursum reparanda: testantur (ut taceam miserandum charissimorum Principis pignorum statum) teterrimæ Regnicolarum cædes: periit *Achatius Barczai* (qui exitii *Rákócii*, utrum juste an immerito aliorum subsit judicio, magna pars perhibetur) (a) cum Fratribus suis: periere præterea & alii præcipui Viri, non acinace hostium, nec juxta Juris ordinem convicti, sed violentia potius oppressi, habenas Regni dirigente *Joanne Keménio*. Hic vero extraordinariis mediis Regnum appetens, vix unquam simili infelicitatis exemplo, misere a Turcis tru-

(a) *Rákótzi* exitii sui ipse causa fuit, ut tota testatur Historia Joannis Bethlen.

trucidatus eſt, ita, ut, etiamſi in Patriis iisque patentibus campis, & loco omnibus noto occubuerit, corpus tamen illius diligenter quæſitum nequaquam inveniri potuerit. Et, quemadmodum ut plurimum evenit, cadente ingenti Arbore, multa huc atque illuc disjiciuntur fragmenta; ita notabili Tranſylvaniæ columna cadente, proſtrato videlicet *Joanne Keménio* Viro eximio, & Heroicis virtutibus non ſolum intra Patriæ pomœria ita claro, ut ea tempeſtate ſolus ad ferendum onus Tranſylvaniæ ultimæ ruinæ proximæ, idoneus ac ſufficiens crederetur Atlas; Verum etiam in Aula Viennenſi, ita commendato, ut auxiliis Imperatoris (quod non poterat conſequi *Rákóci*) dignus fuerit habitus. Cadente, inquam, hocce Viro eximio, duæ, ſed prægrandes ad præmendam Tranſylvaniam late ſeſe extenderunt frondes: foris namque remanſerunt barbari hoſtes, bonis & vitæ; domi ſimulati Amici, non minus bonis quam libertatibus incolarum inhiantes; & niſi cœlitus plane demiſſus inſperatus Soſpiator *Michael Apafi*, malis (quibus Tranſylvania jam jamque obruebatur & deſtituta Viris, viribus & ære, cadaver potius quam corpus Reipublicæ dici merebatur) ſubito ſubveniſſet; niſi inſolita felicitate ſua ſibi a Deo conceſſa (his Fortunam ſuam ſecutis, atque ſigna militaria faſcibus ſuis ſubjicientibus, illi vero præter omnem opinionem hominum domum remeantibus) Patriæ ſuæ nubibus atris involutæ, ſolem

Laudes Keményii

proſperitatis reduxiſſet, pereundum ei plane fuiſſet. Quapropter Tranſylvania, ſi Phœbo iſti, quem Deus ſub auſpiciis dicti Principis reducere cœpit, gratam ſe eſſe profitetur, uno & ſincero exclamet ore:

Sis utinam felix, ſupraque pericula tendas
Longa tibi nullum ſecla ferente malum.

Rákócii autem Tragico exemplo, juxta antiquitatis Oraculum: *Alieno periculo qui ſapit, ille ſapit*, utinam ii, quos Supremus cœli, terræque Rector inter Chriſtianos ad Clavum magnæ Navis Reipublicæ collocavit, in tantum ſapiant, ut *dum liceat pace frui*, *bellum non quærant*: & iis contenti, quæ alicui minime quærenti donarunt Aſtra, in aliena ne ſe ingerant raſtra. Etenim teſte, tum ſummorum Politicorum ſententia, tum quotidiana rerum experientia, perfectiſſima vitæ Magiſtra:

Egregia ad Principes παραίνεσις

\- - - - Qui Regna aliena laceſſit
Extremum diſcrimen amat, neſcitque decore
Fortunam tractare ſuam; ſapientior odit
Immodica, & votum non ultra extendit in Orbem.

Quoties autem cum extraneis ineunda ſunt aliqua Fœdera, utinam bene prævideant, ut ſubnixi firmis rationibus, quæ non ſolum in Foro Politico, ſed etiam in Foro Conſcientiæ ſtare poſſint, cum ejusmodi Populis ea ſanciant, de quorum Fide & conſtantia, ac proinde ipſorum

rum Fœderum firmitate prudenter dubitare nemo possit. Sæpe enim illa quæ facile coalescunt, facile rursus dissolvuntur; & id non minus quam Scyllam, & Charibdin vitent, ne salutem suam confidant iis, qui sibimetipsis minus sufficientes, imminente sibi periculo necessum habent socios suos in mediis malorum fluctibus derelinquere. Prout perhibetur quondam accidisse muri: qui cati sese persequentis assultum effugiens, cum ad marginem lacus constitisset, atque præ lassitudine vix spiritum traheret, ibique a rana interrogatus fuisset, quidnam facere intenderet? tum mure respondente, esse sibi irreconciliabilem inimicum Catum, coram quo neque in Urbibus, neque in campis tutus esse possit: qui ubicunque se commorari præsenserit, subito in se irruat, & nunc se ægerrime insidias ejus evasisse, multumque se esse sollicitum, ubinam posset tale invenire reclinatorium, quo Catus pervenire non possit? Rana, his auditis, miserta sortis calamitiosi muris, ait: Scio ego locum, ubi nec fama auditur de cato: est in medio istius lacus petra quædam, illuc te ego nandi peritissima lubens deferam, nullum a te exposcens naulum. Postquam autem eo perveneris, vita durante tutissimus permanebis. Mus, summo perfusus gaudio, quod & locus securus sibi commendetur, & portitor gratuitus occurrat, acceptat oblatum officium Ranæ, committit se fidei illius, atque illi insiliens multum

sibi

sibi gratulatur, quod sibi tam jucunda, super mollibus brachiis contigerit navigatio, & quamvis illum conspergere cœpissent undæ, postquam in profundiores provectus fuisset aquas, nihili tamen hæc facit, eximia spe sese lactans, brevi se optatum posse attingere portum, in quo tranquillam ducturus sit vitam. Interim apparet hydrus, quo viso Rana, mox ad imum lacus fundum sese recipit, derelicto mure. Tum ille per omnia Sacra Neptuno debita obtestatur Ranam, sit memor se Patriam ipsius consilio reliquisse, vitamque suam fidei ipsius concredidisse, simulque rogat, ut sibi in hoc discrimine opem quantocyus ferat; rana autem surdis auribus omnes obtestationes audiente, mus miser luctatur cum undis, nunc aliquantulum sese elevat, nunc mergitur rursus, tandem dum omnes maduissent pili, nandi minime peritus absorptus est aquis; Rana autem nec ad funus quidem comparuit. Simile quid accidit & nostro Principi cum Suecis & Cosaccis. Quamvis enim illi non minus justam, atque Rana conspecto hydro deserendi Principem habuissent causam, quod nimirum Regnum illorum alius, nempe Danus occupare voluerit: Sed tamen parta sibi, periculo Principis, salute, illum inexplicabili ruina involutum, nunquam posthac salutarunt. Ipse vero post varias rerum revolutiones, & in Polonia evenientes, & Patriam suam, (hinc a Polonis sese subsequentibus, inde a Danis propria occupantibus) misere conquassata, quod

aliis

aliis narrandum relinquo, Pactis ad Olivam (a) confectis, finem bello feliciter imposuerunt.

Cosacci vero loco subsidii alicujus Transylvaniam cum Tataris invaserunt, & ingentia damna intulerunt: cum Polonis autem pacificationem aliquoties tentaverunt, sed nihil stabile adinvenerunt. Decedentibus namque *Chmielnicio Hetmano* (b) & *Wyhovio* Cancellario Cosaccorum, qui magna prudentia res moderabantur, omnia in pejus abiere, adeo ut & ipse *Wyhorski* pertæsus inconstantiæ, & latrociniorum Cosaccorum in partes Polonorum transire, necessum habuerit. Qui tandem ob levem aliquam suspicionem violentia militum Polonorum frustillatim est dissectus. Cœteri itaque Cosacci, partim videntes quid acciderit *Wyhovio*, partim patratorum scelerum conscii, ideoque de consequenda stabili Amnestia desperantes, ultro sese Turcis subjecerunt; eo plane tempore, dum Regnum Poloniæ, per solennem Legatum suum dictum *Radziejorvski* (c) de prolongatione antiquorum inter Polonos, & Turcas Pactorum, tractatum instituisset Anno circiter 1669. quan-

(a) Pax Olivensis partim in Claustro Oliva 3. Maji, partim Haffniæ 27. Maji 1660. confecta est. Vide Acta Pacis Olivensis inedita authore I. G. Boehmio Vradisl. 1763. 2. Tom.

(b) *Chmielnicius* Hetmanorum celeberrimus hausto veneno, quod Polonus aliquis a Turcis corruptus miscuit, vivere desiit 1657. 15. Aug.

(c) *Radziejorvski* vir eloquens, opulentus, & magnæ Inter suos auctoritatis evocati *Caroli Svecici* causa fuit. Anno 1662. una cum *Stanislavio* affine *Rákótzii*, & assecla in Polonos, absolutus fuit in Comitiis criminis proditionis.

quam enim fatebantur Turcæ, se, tam ex Historiis suis, quam ex constanti Senum relatione, perspectum habere, Polonos nulla in re impegisse in Pacta, nihilominus id desiderabant, ut (quandoquidem ex triginta Civitatibus Cosaccorum advenientes Legati nomine universitatis circiter trecenti ultro sub protectionem Turcarum confugiant) illis Poloni, si pace frui volent, perpetuo renuncient: ad quam propositionem dum respondisset *Radziejorvski*, Cosaccos non esse liberum populum, nec habere ullum proprium territorium, nec ullam Rempublicam, neque ullum Principem, præter ipsum Regem, & omnino illos in personis suis simpliciter mere, & absolute esse subditos Polonorum, qui per nimiam insolentiam ante aliquot Annos rebellionem contra Regnum subito susceperant, & multa mala incolis intulerant. Sed postea a Polonis aliquoties bene castigati, tandem sese humiliarunt, & Regnum deprecati de anteactis veniam obtinuerunt, atque in gratiam redintegrati etiam nunc quiescunt, neque cum istis nefariis consentiunt; sed ii tantum, qui tempore disturbiorum ita se gesserunt, ut ipsi sese indignos aliqua venia, & gratia judicarint, huc recurrunt: qui tamen propter rationes superius allatas nullam facultatem habent cum extraneis Monarchis aliquem tractatum instituendi. Addebat præterea *Radziejorvski*: se, (quamvis de Cosaccis in specie nihil habuerit commissum sibi a Regno) daturum operam, ut Respublica seditiosis istis rusticis, qui nunc Cosaccorum nomen sibi vendicent, præbeat consensum,

quatenus exeant in Ditiones Turcarum. Sed si una cum illo tractu, quem sparsim inhabitant, vellent sese imperio Turcico adjungere, hoc Polonos nulla ratione unquam concessuros, siquidem omnes illæ Provinciæ sint plenissimi Juris Regni Poloniæ.

Ad hæc, nomine Imperatoris Turcarum respondebatur: Illum ad disquisitionem de Juribus Cosaccorum non condescensurum, sed quicunque ad Patrocinium ejus recurrunt, se eos ita protecturum, ut ne pilum quidem ex omnibus iis rebus, quas Cosacci suas esse dicant, alteri sit concessurus. Et sic gens insolentissima ac improba, dum Poloni ex malis (intervenientibus Pactis cum Suecis, Moscis & *Rákócio*) eluctatos se esse arbitrarentur, tandem illis perniciosissimum bellum Turcicum attraxit, quod verendum est, ne majora secum, quam nostra vidit ætas, successu temporis, importet mala. Et sic gens maleferiata, prout origo fuit omnium Regni Poloniæ adversitatum, ac calamitatum, ita ad consummationem illorum, & Turcis occasionem præbuit belli contra Polonos suscipiendi: quod quidem inchoatum est Anno 1672. Sed quando & qualis Finis illius sit futurus, hoc in abstruso Supremi Regis Regum arbitrio & consilio est reconditum. (a) Qui, ut tandem misertus afflictæ Gentis Polonæ, omnia discrimina rerum ab illa avertere, ac disjectis omnibus Polonorum hostibus, Regnum hoc Nobilissimum alma pace beare, & pristinum nitorem ei restituere dignetur. Hoc devotissime ac sincere auctor conscripti Opusculi, ita germanus ejusdem Regni Filius, adversitatibus illius ex animo compatiens, precatur.

(a) Bellum hoc cepit sub Rege *Michaele Wisniorviecki*; terminatum vero est regnante *Jonne III. Sobieskio*, anno 1676. pace Zuravnovii 17. Octobris confecta. Hujus in corona petenda rivalis erat *Michael Apafi* is, cui Librum inscripsit *Gronszki*; hic *Sobieski* Vienna 1683. *Kara Mustapham* Vezirium, cum quo ante Pacem Zuravnoviensem pepigerat, depulit.

Index Rerum Memorabiliorum.

Gg Crea-

Hlat-

Leo-

Za-